





I
7
282







THOM·ERASTI·PARS·ALTERA




B



CI

DISPVTATIONVM

DE NOVA

PHILIPPI PARA-CELSI MEDICINA PARS ALTERA:

In qua Philosophiæ Paracelsicæ Principia & Elementa explorantur.

A

THOMA ERASTO MEDICI-næ in inclyta Schola Heidelbergensi Professore.

CONTINET PRAESENS HAEC DISPVTATIO, PRAETER SOlidam fundamentorum doctrinæ Paracelsi Confutationem, alia plurima ad veræ philpsophiæ perceptionem vtilissima; quorum capita quædam generalia post Præfationem ponuntur.

Adiectus est Index rerum & verborum copiosus.





Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

M. D. LXXII.

ILLVSTRISSIMO ET CLARISSIMO PRINCIPI, D. IOHANNI ALBERTO, DVCI MECHELBVRgensi, Principi Vuandalorum, Comiti Schuerini, Domino Rostochij & Stargardiæ, &c. Domino suo clementissimo.



EC meo solius iudicio, nec temerè & fortuitò hasce aduersus Paracelsum Disputationes institui, Princeps illustrissime. Nam & authoritate atq; exhortatione virorum doctrina, virtute ac pietate præstantissimorum motus, & argumentis neutiquã aspernandis aut leuibus persuasus, in certamen hoc tandem descendi. Plus apud me vtraq; valuerunt, quòd libros Paracelsi (quos tunc occasione disputationis, inter quosdam de Stibij viribus natæ, iterum euoluere fortè cœperam) non modò portentosis & perniciosis erroribus refertos, verùm etiã intollerabilium & inauditarum blasphemiarũ plenos inueniebam. Manifestam & planè horrendam istam impietatem, cùm à nemine ferè seriò publiceq; redargui, ac sine insigni impietate ferri: tamen lõgius non posse iudicarem, cohortationibus bonorum et doctorum virorum minus restiti:ne, quod in alijs ego tacitè accusabam, in me alij meritò condemnarent. Quòd reliqua doctrinæ ipsius capita nulli data opera sigillatim refutarent, minus mirabar. Etsi enim pestifera sunt propè omnia, quæ pessimo consilio nouauit, ita sunt tamen absur-

da, putida, falsa, inepta, monstrosa ab omni tùm sensu, tū ratione aliena & abhorrentia, vt non tàm argumentis refutanda, quàm risu & complosione manuū ac pedum explodenda videātur. Veriti sunt, puto, viri cordati & prudentes, ne, si apertam stultitiam longo argumentorum tractu refellere studerent, plus ex ea diligentia dedecoris, quàm gloriæ sibi compararent. Ego autem horum nihil vel metuens vel desperans pietatis ac veritatis defensionem alacri animo suscepi: nec dubito quicquam, quin voluntas & studium Deo probentur, factum verò bonis viris omnibus gratum acceptumq; sit futurum. Ergo in prima parte hoc egi sedulò, vt publicè prodeßem omnibus: et confutarem perspicuê ac solidè, in quibus plerique omnes vidētur peccare. Quis enim opinatur fascinationibus vim quandam ineße? Quis superstitiosas quorundam molitiones, Magorum nefarios ausus, Lamiarum & similium conatus execrabiles, firmiter credit irritos eße? Paßim videmus adhuc pharmaca ægris offerri sub numero certo et definito: quo nec maior nec minor putatur vtilis eße: imò nocere creditur. Sic in nominibus certorum morborum pronunciatis, vim exitiosam inesse persuasum habent plurimi. Quare aut prorsus non efferunt talia, aut cū præfatione despuentes proferunt. Multum vestibus tribuunt multi. Nec desunt, qui plurimum referre putant, qua forma æger decumbat. Sic in herbarum collectione, medicaminū præparatione, alijsq; pluribus grauißimè vbiq; peccatur. Noxias hasce superstitiones, cùm non solùm plantari ac vehementer augeri à Paracelso notaßem, verùm et-
iam

iam nouas, horribiles & inauditas insuper blasphemias seminari & diuulgari cognouissem, primam instituti operis partem pietatis defensionem et pestilentissimorum errorum confutationem continere volui: vt, qui libros eius fortè legent, moniti sciant à quibus sibi temperent. In altera parte fundamenta doctrinæ Physicæ Paracelsi excussi & discussi: in fumum abire, adeoq; ad nihilum recidere ostendi: dum ad veritatis trutinam examinata, non falsa tantùm ac putida, verùm etiam damnosa ac impia esse commonstraui. Quippe operam dedi, vt philosophiæ, quam probamus nos & sequimur, principia firmissimis argumentis ab ipsa rerum euidentia & sensuum testimonijs petitis, certa, firma, solida, vera, rebus consentientia probarem: Aduersariorum autem rationi, sensibus, rebus ipsis repugnare demonstrarem. Et vt illi etiam, qui philosophiæ operam nunquam dederunt, ac proinde disputationum philosophicarum non sunt vsquequaq; capaces, nullā sibi dubitandi causam relictam intelligerent, à Deo nostra in sacrosancto eius verbo asseri et comprobari, Paracelsica vituperari & damnari, quàm potui clarissimè declaraui. Quòd porrò Illustrissimo Celsit. tuæ nomine, PRINCEPS LAVDATISSIME, librum hunc insignitum & ornatum in publico apparere volui, inconsultè factum non est. Nam cum, quæ in eo disputantur, partim ad pietatem spectent, partim ad bonarum artium notitiam pertineant, meritò videbatur illi Principi consecrandus: qui & pietatis amans, & optimarum artium studiosus atq; intelligens publicæ ab omnibus habe-

tur. Quàm verò pietatis studium & sincerus Dei cultus tibi sint cordi, tùm alia plurima docent, tùm illud apertè declarat, quòd erroribus ac superstitione profligatis, & Ecclesijs imperio tuo subiectis à falsæ doctrinæ fermento repurgatis, verum veri Dei cultum constanter ac fortiter tueris. Quanta deinde beneuolentia & sedulitate plãtes, excites, ames, colas, nutrias, promoueas bonarum artium studia: quo amore harum professores et studiosos cõplectaris, foueas, ornes, amplifices, nulli nesciunt. Quinimò vel ex eo perspiciunt omnes, quòd nõ solùm te felicissimè in bonis literis versatum intelligunt, verùm etiam filios tuos Principes rectè præclareq; institui summa cura, voluptate ac studio præcipere vidẽt ac audiunt. Cõmunia hæc omnium dũtaxat recito, ne videar aliud agere velle, quã ago. Quæ priuatim ex D. Ioan. Husano, Cel. tuæ Cancellario, viro multifaria eruditione politissimo, ac maximarum rerum vsu clarissimo, & D. Thoma Blarero cũ Maiorum suorum claritate, tum propria virtute nobilissimo, de præclarissimis excelsi & Heroici animi tui virtutibus, corporis bonis, alijsq; tum fortunæ tum industriæ ornamẽtis audiui, silentio præterire ob id volui, ne adulari Celsit. tuæ voluisse videar. Satis habeo, quòd tua Celsit, eos progressus fecisse in bonis artibus noscitur, vt & iudicare hæc nostra, & aduersus iniquos calumniatores defendere, publicè denique omnibus commendare valeas. Quamobrẽ reuerenter tuam Cel. oro, vt hilari vultu hoc, quod offerimus suscipias, otio dato perlegas & iudices, et, si recta, si vera, si pietati, quæ disputamus, consentanea

esse

esse perspexeris, aduersus maleuolorum morsus fortiter heroiceq́ue defendas. Erit hoc Deo gratum, tuæ Celsit. gloriosum, Reipublicæ vtile ac salutare. Deus opt. Max: tuam Celsitudinem ad nominis sui gloriam per multos deinceps annos incolumem seruet. Amen. Calend. Martij. Anno M. D. LXXII.

Tuæ Celsit. obseruantissimus:
Thom. Erastus Medicus.

GENERALIA QVAEDAM CAPITA HVIVS SECVNDAE PARtis disputationum aduersus Paracelsum.

1 De Doctrina & Doctore siue Magistro Paracelsi.
2 De rerum naturalium veris Principijs.
3 De falsis Paracelsi naturæ Principijs.
4 De Elementis rerum mistarum.
5 De seminibus rerum in abysso elementorum Paracelsicorum latentibus.
6 De mistione.
7 De mistorum imperfectione quorundam generatione & causis.
8 De generatione,
9 De Cabala eiusque speciebus seu partibus: & vtrum aliqua licita sit, an non sit.

His adiecimus.

10 Tractatū de Ortu, speciebus, & materia Metallorum: in quo famosa de Metallorum transmutatione quæstio diligenter & fusè enodatur.
11 Epistola de Lapidis sabulosi (qui in Palatinatu ad Rhenum reperitur, historia, ortu, natura, & causis.

DISPVTATIONVM DE NOVA PHILIPPI PARACELSI MEDICINA PARS ALTERA: IN QVA PHILOsophiæ Paracelsicæ principia & elementa explorantur.

Collocutores.

FVRNIVS, ERASTVS.



VRN. Etsi ex præcedente collatione permulta notaui, quæ fortasse nunquam in mentem mihi venissent, eoque nomine magnas tibi habeo gratias, cupio nihilominus, & quidem multò auidius, quæ consequuntur, audire. Credo ex eo nasci, quòd illis, quæ contra pietatem effutiuit Paracelsus, fidem nunquam habui: sed sic legi, quasi non legissem. A philosophia ipsius ac medicina non sic abhorreo: videtur enim non prorsus nihil esse, quod adfert. Quare enixè te rogo, vt hac in parte me iuuare, & ex dubitationibus euadendi viam monstrare veram rectamque non graueris. ERA. Libenter, quantum in me est, è vepreto isto te educam: tu modo circumspice, ne aculeos & spinas infixas animo tecum efferas. Indicare viam tritam & expeditam potero: spinas oculis subijcere valeo: infixas extrahere nolenti frustra tentauero. Ergo sicut in superiore disceptatione immanem eius impietatem patefecimus: ita in præsente collatione incredibilem inscitiam, & planè asininam ruditatem aperiemus. Verùm ne temerè vagemur, sed intra certos limites permaneamus, de Principijs rerum ab initio disputabimus. Hinc ad elementa, & eorum mistionem (quæque affinia horum sunt) *Propositio.*

progrediemur. Ab his ad mista imperfecta descendemus: mox de Generatione cum quædam dixerimus, in naturæ hominis contemplatione finem secundæ parti imponemus. Antequam verò ad rem ipsam accedamus, generatim de philosophia doctrinaque Paracelsi quædam præponemus: simulq; de Doctore seu præceptore ipsius, adeoq; de naturæ illo lumine, quod in omnibus propè versibus inculcat, quoties in cōuiciorum campos expaciatur (quod certè nimis sæpe facit) disseremus. Sic enim fiet, spero, vt ex consequentibus plurima sint clariora. FVR. Non displicet consilium: cupio enim iam pridem hac de re aliquid solidi cognoscere. ER. Haud puto apud te opus esse multis argumētis, quibus Paracelsum prorsus rudem omnis philosophiæ abstrusioris fuisse probem. Etenim qui libros eius legit, &, quam ingeniosas rerum dubiarum causas adferat, obseruauit, idem præclarè quoq; vidit inertem rusticum, artiumq; liberaliū omnium imperitiss. fuisse.

Paracelsus omnium bonarum artiū imperitiss. fuit

Magū extitisse non inficior, postq̄ ipse præclaræ huius artis peritiam sibi arrogat. Nuper mihi vir pius, doctus, industrius, D. Georg. Vetterus Paracelsi amans & studiosus, asseuerantissimè affirmauit, eum Magiæ nefandæ perquàm studiosum fuisse, & cacodæmonem haud aliter quàm socium nominare consueuisse. Nihil magis, inquiebat, metui, quotiens ebrius erat (erat autem frequenter) quàm vt agmina Diabolorū accerseret: quod sæpenumero facere voluit (speciem artis suę editurus) sed à me rogatus omisit. Cum sobrium monerem, vt missa isthæc faceret, quòd Deum grauiter offenderet, quodque ad extremum triste stipendium solitus esset persoluere famulis suis diabolus: respondebat, se non multò pòst receptui cantaturum esse. Fuit hic vir Paracelsi comes indiuiduus biennio, & quarta insuper anni parte per Austriam, Transyluaniam, aliasque regiones

Paracelsus fuit Magus.

Paracelsus diabolum vocabat socium.

giones eum sequens: vt Chirurgica ab eo doceretur: quæ tūc sola profitebatur. Toto tempore, inquit, quo apud ipsum vixi, neque Theologica, neq; Philosophica, neque medica extra chirurgiam tractabat. Non potui non credere, quæ mihi referebat, primum quidem quia pius est: deinde quia Paracelsum amabat, eiq; plurimum se debere profitebatur (ne fortè ex odio commemorauisse aliquid putes) vt qui librum ab eo accepisset manu eius propria exaratum iustæ magnitudinis, remedia continentem, quibus in curandis vlceribus vti solebat. Tertiò, quòd de seipso scribere non est veritus, se in Magia plurimum profecisse, eiusdemque virtute admirāda perfecisse. Quartò, quòd omnes Magicas artes in libris suis passim studiosè defendit, laudat, commendat, prædicat, inculcat. Quintò, quòd idem omnes alij, quicunq; familiariter eum nouerunt, pro re certa constanter affirmarunt. Demum quòd ex discipulis eius aliqui magni sunt impietatis huius cultores. ergo sceleratæ Magiæ vsum ei non adimo. Arbitror etiam Chemiam ipsum non leuiter solùm & perfunctoriè attigisse, sed prorsus studiosè coluisse. Si quid fuit in eo laudabile, vnum hoc fermè videtur commendari posse, quòd pharmacorum quorundam præparationes docuit. Quanquam superioribus diebus è viro optimo, Medico doctrina & experientia clarissimo, & in Chemicis exercitatissimo D. Balthasare Brauchio intellexi ante Paracelsum artificiosas per Chemiā medicaminum præparationes à Hyeronimo Scallero, & Magēbuchio, medicis Norimbergensibus, & D. Vuolfgango Talhausero Augustano vsurpatas & doctas fuisse. Hi viri tametsi in Chemię peritia Paracelso non cedant, artem tamen ac methodum veram non damnarunt, sed studiosissimè obseruarunt. Equidem remedia noua non faciunt artem nouam. Duo ergo concedere

Paracelf. Chemiæ studiosus fuit.

D. Balthasar Brauchius, medicus.

Paracel. studia linguarum damnauit.

Paracel. Logicæ peritiã iudicauit exitiosam.

ipsi possumus, vt & Chemicus fuerit ac Magus. Quid prętereà sciuerit, non facilè dixero. Linguarũ omnium, etiam maternæ ignarus fuit: quod omnes confiteri nobiscum coguntur, qui orationem eius considerarunt. In lib. de Caduco matricis palàm præcipit, ne quis linguas addiscat, inque eis se exerceat, quod damnosum esse hoc studium putaret. Logicæ artis, qua vna verum à falso aptè distinguimus, & quid in re qualibet insit veri aut falsi, proprij aut alieni, ritè comprehendimus, nõ modò inscius fuit, sed pro certissima peste habuit. Sic enim alicubi scripsit: Irrepsit Logica, quæ naturæ ac sapientiæ lumen obscurauit, & peregrinã doctrinam inuexit. Sic naturæ pariter & Spiritus sancti lumen extinctum est: quod fortè peccatum sit in Spiritum sanctum, neque in hoc neq; in altero mundo remittendum. Mox matrẽ nominat pestis, odij, rixarum, litium. Hunc tu philosophiæ noticiam habuisse putabis, qui ab illo instrumento, sine quo rectè iudicare obscuras & difficiles rationes nullus vnquam potuit, tantoperè abhorruit? Multò sanius Aristotel. docuit, absurdum esse vnà cum scientijs modũ sciendi addiscere velle. Absurdius est, nullo pacto eum percipere velle, ac nihilominus rerum difficilium scientiam profiteri: quam vix pauci egregia linguarum peritia præditi, nec vulgari Logices noticia instructi, consequi summo labore possunt. Si præcepta Dialectices didicisset, nunquam scripsisset in lib. de Peste, quæ hîc subijciam. Errant, inquit, qui Astronomiam, Philosophiam, & Medicinam dicunt differre, cum vnum quiddam sint. Omnino enim tres artes non sunt, sed vnica. Qualem putabimus philosophum esse, qui differentiam inter Astronomiam & medicinam nullam intelligere potuit? Omitto crassiora, de quibus ordine agendum erit.

EVR. Miror hanc intemperiem propagatam in discipulos.

pulos. Etsi enim Paracelsi amans & studiosus ipse fui, nunquam tamen omnia eius dicta factaque probaui. Nunc quidam iactare audet, se vlcerosam categoriarum dispositionem ad sanitatem reuocauisse, non sine sæuo Chirurgiæ ministerio, atque vnum panificium omnibus modalium subtilitatibus, ieiunisque prædicamentorum digestionibus anteponere. Sanè cum venter esurit, præfero ego quoque panificium Aristotelis & philosophorũ de his rebus disputationibus. At cum animus esurit veritatẽ, longè magis explet eius famem Aristoteles, quàm pistores. ER. Si nouis censoribus fidem habere velis, putabis nullos alios categorias intellexisse, generumque & specierum ordinationes ante ipsos neminem instituere didicisse. FVR. Cur ista sugillant Aristarchi noui, quæ nec vituperauit aliquando homo prudens, nec accusaturus est deinceps vllus intelligens? ER. In causa est, quòd falsa nouaque dogmata, imò exitiosa deliria se non defensuros vident, nisi prius euertant omnia: & non tantùm ordines rerum luxent, verùm etiam loquendi consuetudinem peruertant. Iccirco non contenti sunt suis quibusdam barbaris, inauditis & verè tartareis vocibus vti: sed rectum insuper nominum vsum labefactare seriò nitũtur, quò vel sic rudibus se excusent, cùm substantias qualitates, & è contrà qualitates substantias esse ac fieri inusitato more scribunt. Et quánam alia ratione thesim suam tuebuntur, si à turpi rerum atq; nominum confusione non adiuuentur? Verùm enim nihil aliud consequentur, quàm quòd omnibus probabunt, rectè Aristotelem scripsisse, Thesium defensores quiduis perpeti malle, quàm errauisse videri. FVR. Quid sibi volunt cum sic scribunt? Nos prædicamenta in morbis collocamus, non morbos in prædicamentis: & signaturas ex radicibu sordinatè educimus, non verò radi-

Impudens iactantia cuiusdã Paracelsici.

Cur omnia cõfundant Paracelsici.

ces in angustijs signaturarum collocamus: & nomina rebus accommodamus, non res nominibus submittimus. ER. Aut meditantur calumniã, aut quid carpant nesciunt. Categoriæ namque sunt veluti classes quædam, τ̃ νοημάτων, siue conceptionum animi simplicium. Etenim non considerantur res in Prædicamentis absolutè, quatenus extra mentem conceptionemque nostram subsistunt, sed quatenus subijci & prædicari aptæ sunt: siue quatenus discrimina secundarum conceptionum (quas vulgò secundas nominant intentiones) eis applicantur. Vt enim distinctæ essent noticiæ, neq; cõfundi omnia esset necesse, disposuerunt sapientes viri rerum omnium notiones in decem veluti ordines, quos à prædicando vocarunt Prædicamenta. Nullus nescit substantiam corpoream nusquã inueniri omnibus qualitatib. carentem Nihilominus substantiã in proprio genere meritò collocamus: & in alio rursus qualitates: propterea quòd substantiæ conceptio toto genere differt à comprehensione qualitatis. Res ita propemodum habet, ac si imperator exercitum ex varijs gẽtibus collectum sic disponeret, vt Germanos, Italos, Gallos, Hispanos, in suæ gentis acie quosq; consistere oporteret. In exercitu sic ordinato, qui Gallum, aut Italum in Germanorum acie, aut Germanum in illorũ classe inuenire conaretur, meritò rideretur. Multò magis ridendi sunt, qui in substantiarum classe qualitatem, aut in qualitatũ ordine substantiam vel quantitatem quærunt. FVR. At non perinde facilè est qualitates à substantijs dispertiri, atque Germanos ab Italis separare. Quare non rectè videntur illæ ab his distingui, cum accidentia sint à suis subiectis inseparabilia. ER. Res prædicamentorum generibus diuisæ non sunt, quòd secretæ extent (Accidentia namq; ἀχώριστα sunt, id est, non subsistunt seorsum à substantijs) sed quòd

Categoriæ quid sint.

sepa-

separatim à nobis intelligantur: quodque secundi conceptus, quos secundas intentiones vocari dixi, diuersis attribuantur. Nullus enim colorem, exempli gratia, corpus aut substantiam esse dicit: nec quisquã corpus putat esse qualitatẽ. Aliud ergo secundum νόημα cum assignent corpori omnes homines, quâm colorib. aut qualitatibus, patet, vtraque non posse in eodem ordine ac censu collocari. Impossibile est, vt rectè aliquid definiat, quisquis ordines hosce confundit. Quos dum luxare studet spiritus Paracelsi, hoc agit, vt omnem noticiam nostram non modò perturbet, verùm etiam radicitus euertat ac tollat. Nos ergo morbos in qualitatis categoria collocamus, propterea quòd secundum hoc νόημα aliud nullum, eis conuenire intelligimus. Signa ex causis suis ordinatè educimus, & ex illis has multò quàm Paracelsici rectius ac verius indagamus. Pleuritis, exempli gratia, sub sensus non cadit. Hanc autem ex dolore lateris pungente, spiritus difficultate, febre, pulsus qualitate, sputo, signis videlicet sensibilibus adesse conijcimus. Neque interim nescimus, quæ sit omnium horum symptomatum causa. Quippe qui hoc ignorat, nequaquam certò intelligit, Pleuritidis hæc esse signa: sed ita solum nouit, quomodo idiotæ norũt. Cæterùm longè differt speculatio, qua signorum causæ inquiruntur, ab ea, qua ex signis causas venamur.

Vsus Categoriæ.

EVR. Quomodo ergo distinguenda fuerint prædicamenta ex ipsorum sententia? ER. Generum & specierum ordinationes videntur meditari in causis & effectibus, vt causarum aliæ sint communissimæ, aliæ minus communes, & aliæ rursus angustiores, dum ad effectum indiuiduũ peruentum sit. Et remotissimas quidẽ atq; communiss. causas, genera summa siue generaliss: sub his contentas, genera subalterna: proximã effectui producendo, speciẽ indiuiduam seu specialissimã: de-

Distinctio Categoriarũ iuxta Paracelsic.

niq; effectus, indiuidua volũt nominari: si rectè diuinare potui. Dum isto modo causas effectuũ omnes, supremas, infimas, medias sub vno genere claudũt, non differũt semper genere qualitas, actio, & substantia. Quippe motus ignem generat interdum. Quare in eodem collocari genere oportebit. At ignis est substantia. Si medicum exemplum desideras, hoc adferũt. Actio vesicæ læsa à calculo, exempli gratia, est effectus seu indiuiduũ. Huius causa infima seu proxima, quæ qualitate & magnitudine meatum claudit, est species postrema seu specialissima. Mucilagines lentæ & viscosæ in cauitate partium contentæ, ex quibus densatis coagulatur calculus, sunt genera subalterna. Tartarum in leguminibus, caseo, cereuisia comprehensum, est generalissimum genus. quæ supra hoc sunt, Transcendentia vocantur. Hæc est præclara Paracelsicorum Logica, per quam actiones læsæ in eodem reponuntur genere, in quo calculus statuitur. Quin imo si morbi, inquiunt, in natura semina & principia habent, generationesq; & transplantationes absoluunt, vtique à prædicamentorum carceribus nostro præsidio liberabuntur. Ex recitatis abundè liquet, puto, quibus rationib. moti conceptuũ distinctiones reprehendant. Causæ & effectus in eodem genere comprehenduntur. Actio vesicæ læsa, & calculus obstruens causa sunt & effectus. In eodẽ ergo genere collocantur. At calculus in genere est substantiæ positus: ergo & vesicæ actio ab eodem læsa in substantia collocanda est. Item, quæ principium & causam habent, in eodem genere continentur. Morbi principia & causas habent semina in abyssis elementorum latentia, quæ sunt substantiæ: ergo & morbi sunt substantiæ. Quis nõ miretur argutias & subtilitates hasce Marcolphi? Si didicissent isti homines intelligere philosophos, hoc etiam percepissent, rerum notiones non com-

Actio læsa & calculus in eodem genere collocantur à Paracelsicis.

compoſitas,ſed ſimplices & incomplexas, (vt loquuntur)quoad eis conceptus ſecundi diſcrepantes applicantur, digeſtas eſſe in decem ſumma illa genera ſeu ordines,nunquam ita fœdè errauiſſent, vt generaliſſima genera infinita propè,pro decē nobis fabricarent. Quot enim res ſunt,ſpecie differentes, tot ferè ponere eos oportet ſumma genera. Taceo quòd tranſcendentia non multò pauciora nobis cudent nouæ Logices noui magiſtri. Si deinde Galenum & Medicos attentè legiſſent,calculum peruidiſſent obſtructionis cauſam eſſe,non quoad eſt ſubſtantia, ſed quoad talis quædam eſt ſubſtantia,in loco tali ſua. Morborū cauſas inſuper perſpexiſſent à Galeno διαθέσεις ritè vocari: & has in partiū θέσιν vel ordine tantùm intelligi ſimul vidiſſent. Sed hac de re in conſequente collatione, cum de continente morborum cauſa diſſeremus, plura dicemus. Prædicamentorum diſpoſitionem ſi vocant ideo ieiunam,quia ab Ariſtotele ieiuno & ſobrio digeſta ſint,rectè iudicant: Sin aliter exiſtimant, etiam atque etiam moneo, vt cum ad corrigēdam hanc tractationem acceſſuri ſunt, ſobrij accedant. Tam enim fuit ille ieiunus ac ſobrius cum ſcriberet, vt vix à perſpicaciſſimis poſt aſſiduam & diuturnam meditationem plenè intelligatur: nedum ab inflatoribus iſtis nares fœtore ſulphuris oppletas,oculos arſenici fumo turbatos, cerebrum hydrargyri vapore debilitatum habentibus, emendetur. Tempus eſt, vt ad Paracelſum redeamus. Dixi enim præter ſceleſtam Magiam, Chemiā, & Chirurgiæ partem,quæ vlcerum curationem præcipuè docet,nihil ſciuiſſe,bonarum artium ac linguarum imperitiſſimum fuiſſe: eam artem, quæ ſtudia noſtra inprimis dirigit,etiam conuicijs proſcidiſſe. Quid aliud docet Logica,quàm ambigua diſtinguere, confuſa ſecernere,obſcura illuſtrare,coniuncta ſeparare, compoſita

Vſus Logi

in suas partes resoluere, effectus à causis, consequentia ab antecedentibus interstinguere, vltima à primis, probabilia à necessarijs, similia à dissimilibus, aliena à proprijs, vera à falsis discernere: deniq; quid ex quouis rectè consequatur aut non consequatur iudicare? Si rectè fiunt hæc, Logicam vituperari non oportuit, quæ hæc & his similia nos docet. Saltem exempla Christi absterrere fanaticos homines ab ista intẽperie debuerunt. Etenim argumentando quàm præclarè obturauit ora sæpe aduersarijs, aliquando etiam discipulis? quemadmodum cum resurrexisse eum discipuli non crederent, ac spiritum se videre omnino putarent, vt habetur in Euangelio Lucæ vigesimo quarto capite: quo in loco hoc eos argumento conuincit. Quisquis carnes & ossa habet, non est spiritus: qui his carent. At ego carnem & ossa habeo: quod palpando & videndo cognoscere potestis. Proinde non spiritus sum, sed ille ipse Christus, Deus & homo, qui vobiscum antea vixi. Pharisæis autem Messiam pro filio Dauidis duntaxat habentibus ita occurrit. Pater filium suum non vocat Dominum, si nihil amplius sit. At Dauid rex Israelitarum omnium, Christum filium suum vocat in spiritu dominum suum. Ergo amplius aliquid est Christus, quàm Dauidis regis potentissimi filius. In eodem capite Matthæi vigesimo secundo Sadducæos hoc argumento repellit, mortuosque resurgere demonstrat, quòd Deus non sit mortuorum Deus, sed viuorum. At Deus est, ac semper manebit Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi, &c. Ergo Abrahamus Isaacus, Iacobus non mortui sunt, sed viuunt. Hæc pro exemplis adduxisse sufficit, quibus demonstretur, Logicam non esse pestem, sed artẽ talem, sine qua vnum ex alio nunquam rectè artificioseque concludi possit. Quis ergo putet hominem peruersum, hanc artem scelerate vituperan-

Christus argumentando uincit aduersarios.

perantem, quique hoc vnum in optatis habuisse videtur, vt diuina pariter & humana omnia confunderet, turbaret, contaminaret, deformaret, corrũperet, euerteret, in vera philosophia progressus aliquos fecisse? Qualis quantusque fuerit philosophus, vel vnum hoc satis declarat, quòd bonos authores nullos legit: aut, si legit interdum aliquid, non intellexit. Ex nullo librorum eius loco (quos ego vidi ac legi) suspicari potui, ipsum vel Aristotelis, vel alius probati authoris lectione delectatum aliquando fuisse. Meteora tantùm Aristotelis, quæ spinosa & superuacanea multa continere ait, ac tandem simpliciter abijcit, eminus inspexisse videtur. Quin imo in loco suprà citato, in quo studium linguarum vetat, etiam lectionẽ bonorum authorum prohibet. Quid, quòd ne sacrarum quidem literarum studium permittit? Pseudospiritus, ait alicubi, non semper est aptus ad annunciandum verbum Dei: cogitur enim talis studere, & ex ratione bruta phantasmata elicere: cùm veris preconibus eadem hora detur, quid loquantur. Studium sacrarum literarũ superat rationem, Qui ergo has addiscere conatur, auxilium ab astris cogitur petere, quæ ad intelligendum ei præstò sunt: verùm ad malum. Astra namq; ad bona & ad mala auxilio sunt, sed mali duntaxat finis gratia. Huc illud etiam facit, quod in charta Germanica à discipulis eius profecta scribitur asseuerauisse, nullam omnino religionem veram esse ex omnibus, quæ nunc floreant. Solum textum Scripturę legendum, interpretationem nullam admittendam. Paulò pòst enim nouã veramque exorituram religionem: cum tamen profanus nebulo vbique flagitiosissimo & planè sacrilego ausu totam scripturam interpretando deprauare studuerit. Ergo cum non legerit ipse bonos authores, atque alijs lectione eorum interdixerit, quomodo solidi aliquid

Paracel. lectionem bonorum authorum vetat.

Paracelsus damnat omnes religiones præsentes.

nouiſſe putabimus? Adde ſi libet, quòd meditationi vacare crapula & ebrietas nõ ſinit. Toto tempore,quo apud eum vixit D. Iohan. Oporinus, vix vna vel altera hora ſobrius fuit.Idem hoc alij omnes,qui eum nouerunt ac viderũt aliquando,mihi confirmarunt. Et qui libellos ipſius non vident pleroſque ab ebrio conſcriptos ac dictatos,illi delirijs Paracelſicis ita ſunt ebrij, vt iudicio in hac re omni careant. Vix potuiſſet homo ſobrius,qui maximè hoc facere ſedulò ſtuduiſſet, tam incondita,inepta,monſtroſa, & repugnantia excogitare dogmata. De fornaculis eius nunc taceo: in quibus curandis quicquid ab ebrietate otij ac temporis relinqueretur,conſumendum erat. Hoc in præſentiarum velim præcipuè apud te cogites, quòd Doctore nullo eſt vſus,vtiúe voluit.De hominibus loquor. Nã quos alios habuerit magiſtros,nimis eſt ex ſcriptis ipſius clarum.Sanè perſæpe affirmat, ſe ab homine nullo edoctum fuiſſe: quod in lib. de Podagra & ſpeciebus repetit. Facilè mihi perſuaſit. Non enim ſic deſipuiſſet vnquam, ſi ſanæ mentis præceptorem aliquem ſecutus fuiſſet. FVR. Lumini naturali vbique ferè acceptam refert omnẽ ſuam cognitionem:aliquando etiam cœlitus ſe inſtitutum aſſerit. ER. Ergo quóſnam habuerit admirandæ ſuæ doctrinæ præceptores conſideremus, quò tandem naturalis illius luminis ab ipſo decantati originem,naturam,& vim ſeu facultatem peruideamus. FVR. Quanquam mihi videor intelligere, quid Naturæ lumen appellarit, video tamen eum non eadem ſemper de ſuis præceptoribus ſcribere. Quare cupio audire., quid de hac re tu obſeruaris. ER. Naturale lumen,de quo gloriatur,quale ſit,vix potui aduertere. Confuſè & vniuersè de eo plerunque loquitur: nec ego diſtinctè, quale eſſet, prius intelligere potui, quàm ex multorum collatione locorum tandem deprehendi

Paracelſus nullo unquam uſus eſt præceptore.

prehendi. Qui nouit, quibus magistris & doctoribus profecerit, simul intelligit, quo lumine illuminatus fuerit. De Præceptoribus igitur quæ notauisti, producito. FVR. Aliquando dicit, Deum esse ac fuisse magistrum suum, vt in Paragrano. In lib. de Caduco matricis ait. Solus Deus medicum efficit docendo. Ex hominibus nihil discimus. Vires herbarũ necesse habemus à maiore discere, quàm sit homo. Similia quædam alibi quoq; reperies, præsertim in libro de Inuentione artium. Nonnuquam Angelos, vt de Podagra eiusq; speciebus. Præceptor, inquit, est Angelicus & mortalis. Hic nullum reddit doctum: falsa est huius doctrina, falsaq; proponit omnia. Doctorem oportet esse angelum. Homo namque infundere nequit, quibus ipse destituitur. Et alibi de Podagra. Qui paret angelis, parenti obedit. Qui à spiritibus discit, à parentibus instituitur. Item de Caduco. Præceptor est immortalis & mortalis. Hic ad illum relatus est tanquam pannus madidus ad fontem cõparatus. Vt enim in panno aliquid insit humoris, vix tamen in magna siti linguam frigefeceris, sitim certè non sedaueris. Ita ab angelis, vt è fonte haurienda est doctrina, non à mortalibus expectanda. Interdum Mundum nominat suum magistrum, vt cum in Paramiro scribit, homines ab hominibus non doceri, sed à magno Mundo. Item cum ait, Naturale lumẽ magnum esse Mundum. Item cum scribit, Aristoteli, Hippocrati, Galeno similes esse, qui doctrinam suam nec ex Deo, nec ex natura hauriant. Reperies etiam vbi tribuat docendi virtutem Physionomiæ, Chiromantiæ, ac similibus artibus: quòd in lib. quodam de Podagra iam prius citato constanter affirmat. Quicquid homo nouit, inquit, hoc necesse est eum ex iam nominatis artificibusq; didicisse. Iam & Cabalã facit magistram. Remedia, ait in libello quodam, non inuenit medicus ex

Præceptores Paracelsi.
1
2.
3.
4.
5.

" ſuo capite,ſed ex Cabala: cui fundamento innixi ſunt
" Hippocrates,Machaon,Aeſculapius,& alij. Aliquoties
6. Eueſtris hoc adſcribit,vt in lib. de Vita longa, & ad A-
thenienſes.Hos dicit in aquis,ſpeculis,cryſtallis,vngui-
bus,ſe oſtentare: dormientibus ac vigilantibus appa-
„ rere:ac res omnes docere. Vbi non eſt Eueſtrũ,inquit,
ibi notitia naturalis nulla eſt. In eiſdem ad Athenien.
7. libris,neſcio quæ alia monſtra fingit, à quibus erudian
tur homines in omni genere doctrinarum. Quid quòd
8. Serpẽtes luminis naturalis veluti creatores & infuſo-
res facit? Quippe ſic de eis ſcriptũ reliquit. Serpentes
„ Germanici in hunc vſque diem retinuerunt vires ma-
„ ximas,rudibus incredibiles, adeoq; naturalibus maio-
„ res,atque id non ſine cauſa. Quoniam ſerpens primos
„ homines bona malaque docuit. Hanc porrò faculta-
„ tem homines in lumine naturali tam excellenter eru-
„ diendi non tunc ſolùm habuerunt ſerpentes, verùm
„ etiam in Mundi finem vſque ſeruant. Plus eis Deus al-
„ tiſsimus myſteriorum inſeuit, quàm creaturis alijs v-
9. niuerſis. Nec rarò Magiam facit doctorem ſuum.
„ Morbi,inquit(de Caduco loquens) non cognoſcũtur
„ niſi per Magiam.Item in Labyrinth. Occulta naturæ
„ omnia per Magiam eiuſdemque ſpecies manifeſtan-
„ tur,quas ſcire Medicum oportet. De Perſicaria. Ma-
„ giam fundamentum eſſe oportet cognitionis herba-
„ rum.Item in Aſtronomia magna. Multa ſunt à veteri-
„ bus remedia inuenta per magiam, quam tamen inte-
„ grè non perdidicerant.Extrema eſt dementia, hanc ar-
10. tem vt Diabolicam reijcere. Idem fermè eum voluiſſe
exiſtimo, cum ſe ab Aſtronomia, vel Necromantia vel
Philoſophia adepta edoctum aſſeuerat. Non enim ita
ſuperſtitiosè artes diſtinxit, vt alij vos diſtinguere ſo-
11. letis. Teſtimonia,ſi cupis videre,in lib. Sagacis Aſtron.
atq; alibi reperies. In plurimis omnino locis agnoſcit
ſuos

ſuos præceptores Cœlum ſiue ſydera, ſiue horũ fabros ac præſides. Homo (ſcribit in Paragrano) debet artes vniuerſas diſcere ab aſtris. In domibus namq; Planeta- " fabri ſunt, qui artes omnes docuerunt. Quicquid natu " ræ lumẽ homines docet, ab aſtris oritur, ſcribit in præ- " fat. Aſtron. magnæ: quod in cap. mox repetit. Item, Præ- " ceptor noſter naturalis eſt cœlum, cum rationẽ, ſcien- " tiam, intelligentiam, conſtet ab aſtris profluere. Item, " Cùm in ſyderibus inſint omnes artes, facultates, ſapien " tia, ratio, etiã ſtultitia, ſequitur nihil in homine ineſſe " poſſe præter id, quod à ſyderibus datum ei eſt: & quæ " in naturæ lumine ſunt, eorundem opus eſſe. In ſyderi- " bus ſchola eſt, in qua prædicta omnia docentur. Item, " Quicquid homo poteſt hominẽ docere, id omne ſtel- " læ perfectius docent. Hæc vera eſt ratio, qua hominem " in naturali lumine perfectum efficias. Item, Ex cœlo " ſcitote lumen naturæ ſolidè accipi. Ac, vt ſemel dicam omnia, plus quàm vigeſies hanc ſententiam in vno hoc libro repetit. Cœlos porrò ſeu aſtra non poſſe docere artes, atque illuſtrare animos noſtros rerum intelligentia, niſi per ſpiritus ratione prȩditos id faciat, per ſe notum eſt, & à Paracelſo millies, vt ſic loquar affirmatum. Vocat autem hos ſpiritus Fabros. De quibus, qui præter illa, quæ in prima parte recitata ſunt, etiam alia cupit legere, inſpiciat cap. 7. lib. 1. Sagacis Aſtron, Vbi admirabilem horũ fabrorũ induſtriam commemorat. Quin etiam medicũ inter hos collocat medicorum omniũ doctorem. Hunc cum ſuo pharmacopœo pluribus deſcribit in 8. cap. ſequente, Apollinem eũ vocans. De Necromantia loquẽs, hos ponit mortales, vt in lib. de Stultorũ generat. In lib. de Caduco omnia cõprehendit, 8. indicans modos, quibus doceantur homines. Primns eſt cũ ſpiritus docuerũt Alter cũ conſulẽs inſtituit. Tertius, cũ quis ex vſu doctior eſt factus.

Medicus cœleſtis Paracelſi.

Quartus cum ex Magia,Necromantia,& similibus aliquid inuentum fuit.Hæc,inquit,non docuit ars,sed naturæ lumen artium prætextu. Quintum ponit Chiromantiam.Sextum Physionomiam. Septimum Similitudinem.Octauum Chemiam. Omnes modos hîc recenset,omissis veris discendi modis. Hæc sunt, quæ de magistris & præceptoribus inter legendum annotaui.
ER. Minimè opus est, opinor, vt de Naturali lumine,à quo illustratus fuit Paracelsus, pluribus te moneam. Constat enim ex recitatis à te,lumen hoc ab illis effundi & infundi,à quibus Paracelso doctrina omnis manauit. Profluxit autem doctrina Paracelsica ab impuris spiritibus. Quocirca non vocabimus vllo nomine rectius hoc lumen, quàm vel diabolicum, vel infernale: cùm aliud nihil sit, quàm suggestio & instinctus quidã Diaboli. Etenim congenitum & à natura insitum non est,quod tam paucis concessum est. Aduenticium externumque esse quiddam ipse vltrò fatetur,vt ex testimonijs â te productis, alijsque pluribus liquet. Vnde igitur profectum putabimus? A Deó ne aut bonis spiritibus? At cum semel atque iterum hoc asserit,authores alios decies aut pluries nobis refert. Cæterùm suprà nobis constitutum memini, hanc esse in Paracelsi inaudita omnibus seculis inconstantia tenendam rationem,vt id sensisse putetur magis seriò,quod asseuerat crebius. Quamobrem authores huius luminis censuit alios esse spiritus. Patet ex hoc,cur plerunque solitus sit dictare sua comprehenso prius gladij capulo: in cuius cauo se tenere inclusum spiritum doctorẽ stultè impieque credebat.Hinc factum est, vt quæ tunc ei somnia seu potius deliria occurrerent, chartis committeret,quòd diuinitus inspirata opinaretur. Vix enim tam audax fuisset ac ineptus,vt suas nugas alijs proponat,si in suo cerebro natas putauisset,nec aliunde in

Lumen naturale Paracelsi unde, & quid sit.

se de

ſe deriuatas perſuaſum habuiſſet. A Deo igitur non fuerunt ei inſtillata, quæ ſcripſit: nec â bonis Angelis. Quoniam neque Deus, neque electi eius ſpiritus aliquid impij, abſurdi, ementiti, falſi, ac noxij ſuggerunt, præcipiunt, inſtillãt hominibus. Sed nec Mundus eum docuit aliter, quàm docet alios cunctos. Quippe quæ in hoc mundo ſunt ac fiunt, ſcibilia, ſiue obiecta ſunt mentis noſtræ: non ſunt doctores & magiſtri, quomodo hîc de Præceptoribus loquimur. De Phyſionomia, Chiromantia, & ſimilibus alijs artibus fruſtrà dixero. Cõſtat enim permultos fuiſſe in his longè exercitatiores, qui maiorem ſibi ob id rerum aliarum cognitionem adſcribere non ſunt auſi. Cabala ſi tribueret ingenij diuinitatem, & nouarum efficeret artium inuentores, inueniſſent eas iam pridem alij multò quàm Paracelſus in Cabala doctiores. At hi probarunt ab alijs inuentas ſcientias. Ex quo ſequitur, in Cabala nihil tale contineri. Taceo iam, quòd impudentiſſimè ſe ipſum arguit mendacij: (quod tamen in eo non eſt nouũ aut inſolens) cum conſtet Cabalam vocatam doctrinam, quam velut per manus alij alijs traderent, homines hominibus. Ipſe autem ſuprà aſſeruit, hominem ab homine recti, veri, certi, pręclari, nihil poſſe doceri. Puto tantùm de Cabalæ parte, quam laudabilem & licitam faciunt, nouiſſe Paracelſum, quantum ego Hebraicæ linguæ didici. Quæ ad impietatem & ſuperſtitionem adeoque Magiam infamem pertinent, vel ab ipſis dæmonibus, abſque etiam Hebraicarum literarum noticia perdiſcere facilè potuit. Sunt enim valde liberales ij doctores, & diſcipulos recipiunt quoſlibet, repudiant nullos. FVR. Non eſt igitur ars ſimplex Cabala? Tu mihi videris aliam ponere licitam, aliam execrabilem & infamem. ER. Sic eſt. Etenim Cabala laudabilis nil eſt aliud, quàm Theologia ἀναγωγικὴ aut συμβολικὴ re-

Cabala eſt duplex.

motiſſimos cuiusque nominis ac ſententiæ ſenſus exquirens,& allegoricè cuncta exponens. Alia deinde eſt, quæ conceptis verbis,characteribus, figuris, precibus, horarum obſeruationibus, mirabilia facere annititur: quæ nil eſt aliud, quàm ſcelesta & deteſtanda Magia. Huius tam nō eſt pars vlla naturalis & permiſſa, quàm nulla reperitur Magia mirabilium operatrix licita & naturalis. FVR. Vehementer velim hanc rem mihi pluribus exponi. ER. Non pertinet ad hunc locum,ſed ad primam partem ſpectat: in qua talia interrogare debuiſſes. Quia tamen non Paracelſus tantùm, ſed etiam diſcipuli eius ſubinde iactitant Cabalæ noticiam, in fine huius collationis poteſtatem tibi facio de hac re quærendi. Quæ ex lectione bonorum authorum didici, perlibenter tecum communicabo. Nunc ſufficiat audiuiſſe,Paracelſum non poſſe doctrinam ſuam acceptam referre primæ Cabalæ, abſtruſos Scripturæ ſenſus inueſtiganti, & ænigmata eiuſdem explicanti: in qua nimius fuit Origenes. Hæc Cabala non docet curare morbos corporum & ſimilia, ſed in ſolius Scripturæ diuinæ ſublimiore interpretatione verſatur. Sanè Cabalam nobis commendat,quam ſecuti Hippocrat. Aeſculap. Machaon, alij, remedia inuenerunt: vt paulò antè nobis ex eius libello quodã recitabas. Hos autem viros primæ Cabalæ rudes & imperitos prorſus fuiſſe,ne Paracelſus quidem,puto, negauerit. Alteram igitur habuerit magiſtram oportet: quod nil eſt aliud, quàm Cacodæmonis opera inſtitutum eſſe. Quòd ſi ergo ex hac Cabala, vel ex Magia,vel Necromantia,vel Aſtronomiæ ſuæ ſpeciebus alijs,profundam ſuam eruditionem ac ſapientiam,vnà cum lumine illo ſuo,hauſit,non eſt,cur nobis author eſſe velit,vt ab eiſdem magiſtris erudiamur. Nullus hodie tam rudis eſt, vt neſciat ſine commercio Cacodæmonis has artes (Sic e-

nim nunc vocemus) neq; addisci neque exerceri posse. Iam qui talibus gaudent præceptoribus, digni sunt, qui eorundem putentur esse discipuli. Quæ ab eis edoctus fuerit Paracelsus, partim vidimus, partim videbimus, volente Domino. Negari non potest, quin diaboli mancipium sit, quisquis nefariarum istarum artium studio tenetur, quantisper eum sceleris sui non pœnitet. Nec est, quòd excusare factum suum aliquis conetur, quasi non scelestam, sed naturalem Magiam sectatur & colat. Euidentissimè namque suprà demonstrauimus, naturalem Magiam mirabilium horum effectricem in rerum natura nullam esse aut fuisse. Audi, quæso te, fabulam perquàm lepidam, scilicet: quam discipulorum eius aliqui, tanquam veram historiam narrauerunt. Paracelsum dicũt Galeno apud inferos commoranti per spiritum seu diabolum medicos aliquot libellos suos misisse, atque per literas orasse, vt perlectis libellis indicaret, vtra medicina sanior iudicanda sit, Paracelsicáne an Galenica? Galenum porrò spiritui internuncio responsum hoc dictauisse, se post lectos libellos Paracelsicam medicinam probare, suam verò damnare, vt quæ ruitura sit, illa tanquam vera remanente. FVR. Audiui eũ ad philosophos Athenienses etiam scripsisse, atque interrogasse, quænam philosophia sit optima: responsumq; tulisse, Aristotelem & Platonem minimè damnãdos, at cæteros vix veræ philosophiæ vestigium tenuisse. Nunc cũ referebas, cum Galeno ad inferos vsque literas misisse, cogitare cœpi, num & Atheniensib. ad Tartara per eundẽ tabellariũ scripsisset. ER. Rectè cogitas. Nulli enim apud superos reperiũtur hodie philosophi Athenienses, Turcis immanibus, & barbaris Græciæ imperantib. Miror vehementer, cur tantoperè Aristotelis doctrinã vituperent Paracelsus eiusq; discipuli: & in vnius Galeni sententia

Paracelsus Galeno apud inferos agenti literas & libros misit.

quàm Atheniensium plurium iudicio, facilius acquiescant. Quis non videt, quibus præceptoribus profecerit Paracelsus, qui talibus vtitur legatis? An debet naturalis Magia censeri, quæ talium vtitur societate internunciorum? Cæterùm perinde est, siue artes magicas, siue cœlum eiusq; fabros, siue serpentes, siue mortuorum spectra (quæ ipse modò nominat Euestra, modò corpora vocat syderalia, modò spiritus appellat) statuas tibi magistros. Semper enim Cacodæmonem habebis præceptorem. Etenim in serpente nullus alius primos parentes decepit: de quibus legere poteris Eusebium in fine libri primi de Præparatione Euangelica. Nec aliud sunt vel spectra illa mortuorum, vel fabri illi cœlestes. Vtrosque ponit quidem mortales Paracelsus: sed pro ratione est voluntas, seu insana libido, qua, quod lubet, fingit, refingit, asserit, negat, abijcit, reuocat, mutat. Saltem mandati diuini à mortuis aliquid sciscitari ac discere vetantis, recordari debuisset, Deuteronom. 18. Ergo nihil aliud cum esse affirmat naturale illud lumen, cuius beneficio nouum se nouæ medicinæ nouæque Philosophiæ authorem factum scribit, quam afflatum & inspirationem magistrorũ suorum, præclarè perspicimus nos, quanto studio tenebrosum, tartareum, & diabolicum hoc lumen vitare, fugere, execrari, vnà cum authoribus suis debeamus. Quapropter posthac rationibus & argumentis humanis & verè naturalibus pugnandum erit, longissimè fugato lumine hoc Cacodæmonũ pestilentissimo. FVR. Quid igitur? An lumen naturæ damnas? ER. Lumen naturale non damnamus. Illud vituperamus & execramur, quod Paracelsus ita vocat & inculcat: quod naturale non est, sed diabolicum & tartareum, sicut ostendi. Omnis scientia naturalis eatenus est vera, quatenus cum rebus consentit. Res enim mensurant nostram cognitio-

Naturale Paracelsi lumen detestandum est pijs.

gnitio-

nitionem,non contrà. Non enim quia nos ita cogitamus,res ita habent: ſed quia ſic habẽt, ita eas cognoſcimus,cùm rectè cognoſcimus. Lumen ergo naturale verum à rebus ipſis ortum habet,dum ita eas cognoſcimus,quomodo ſe nobis offerunt. Cæterùm cognitio noſtra orditur à ſenſibus. Quoniam ex illis quæ abſque errore ſenſus comprehenderunt, principia ſtatuimus,vt in libro de Opt. ſecta diuinè explicat Galenus, (quem authorem ſi tam ſtuderent intelligere Paracelſici,quàm contemnunt facilè, minus proderent ſuam inſcitiam.) A principijs progredimur deinde ad ignota, quæ ex eis concludi poſſunt. FVR. Iam mihi venit in mentem,quod in lib.quodam de Podagra ſcribit, ideo nos omnia percipere intelligentia poſſe: quia ex omnibus compoſiti ſimus. Quoniam ex Angelis, inquit, & " ſpiritibus homo creatus eſt, omnium horum ſcientiæ " particeps eſſe poteſt. Quin etiã Dæmones res noſtras " propterea notas habere ibidem affirmat, quia ex eo- " dem Limbo efferti ſint,ex quo facti nos ſumus. Nos au " tem ideo cognoſcere omnia poſſe, quia ex omnibus " conſtemus. In præfatione quadam ad Clauſerum Tigurinum ſic ſcribit: Innata eſt mihi violentia medica " ex patrio ſolo. Quibus verbis aut ab aſtris patriæ, aut à proprietate aeris vel terræ, medicum ſe factum ſignificat. ER. Memini & ego horum locorum. Sed ad rem noſtram nihil faciunt. Non enim quærimus in præſentia,quid poſſit homo intelligere, ſed quis de potentia reducat ad actum. Capaces nos eſſe diſciplinarum nullus negat: Sed & præceptore opus habere nos certum eſt. Fatuam porrò iſtam opinionẽ Empedoclis & aliorum quorundã philoſophorum, ſimile ſimili cognoſci dicentium,atq; ob id à nobis omnia cognoſci opinantium: quia ex omnibus facti ſimus, ſcitiſſimè ac firmiſſimè declarauit & cõfutauit Ariſtoteles: vt non ſit ne-

Naturale uerũ lumen unde ortum duxerit.

necesse aliquid nos addere. Hoc vnum tamē adijciam: Si, quia intelligimus aliquid, ex eodem constructi sumus, ex Deo facti sumus. Deum enim aliqua ex parte intelligimus. Quinimò ex Diabolo & impio nebulone Paracelso commisti compositique fuerimus, quia hos quoque Dei hostes cognouimus. Tantum verò abest vt essentia mea ex his conflata sit, vt duos hosce socios ex animo propter impietatem oderim, & impijs sceleratisque conatibus vtriusque (adeoque omnium qui defendere sacrilegos ipsorum errores conatusq; tentabunt, me, auxiliante mihi Domino, acerrimū & perpetuum hostem futurum profitear. De patrij soli natura & proprietate, quæ dicit, rident Heluetij. Nullus enim in eremo, postquam habitari cœpit ille locus, repertus est, qui absq; studio bonarum artium factus fuisset excellens medicus. Solús ne igitur Paracelsus terræ illius particeps fuit? Aliquoties ibi fui, sed nihilo doctior ex eo factus sum. Mirum est, quòd non eius discipuli eôdem profecti sunt, vt ex haustu aeris illius repentè conciperent Paracelsi animam. Quis quæso non videt hæc ridicula & impia esse? Ergo ad nostra redeamus. FVR. Cum aliquando Deum nonnunquam bonos Angelos, sæpe cœlos faciat præceptores suos, quomodo non ab his potius deducis lumen hoc naturæ, quàm à prauis spiritibus? ER. Causæ iustæ sunt. Primū quia constitutum nobis est, hanc pro sententia magis seria habendam, quam frequētius vrget. Longè autem sæpius ait se à cœlo, Euestris, Magia, Necromantia, &c. institutum, quàm vel à Deo vel ab angelis. FVR. At à cœlo doceri, non est à diabolo erudiri. ER. Si à cœlo sic vellet instrui, quomodo nostri Astrologi contendunt ex genituræ figura ingenium à syderibus nato donari, tollerabilior foret sententia: quanquam sic etiam falsa & impia esset. Ingenij solùm felicitatem syderi-

Quomodo cœlum Astrologis doctos efficiat.

deri-

deribus materiam ritè accommodateque temperantibus adſcribunt,ſcientiam ab eis infundi repentè non ſentiunt. Etenim niſi ſtudeat, ac bonis præceptoribus vtitur, qui ſic natus eſt,doctus nunquam fiet, ex ipſorum ſententia. Non enim adſentiuntur,quicunque aliquid retinent mentis,iudicij,pietatis,prudentiæ, impiæ Arabum & Conciliatoris phantaſiæ doctrinam aliter à cœlo expectantium. Cæterùm Paracelſus cœlum non facit isto modo magiſtrum, ſed fabros quoſdam circa ſtellas ſeu ſydera obambulantes, artium & ſcientiarum omnium perfectam cognitionem poſſidentes,hac ſimul virtute præditos opinatur, vt lumen illud naturæ,ſubitò,velut per infundibulum, infundere,quibus velint, poſſint. Sanè vult hos fabros doctrinarum & Sapientiæ in momento ex indoctis aliquos reddere doctos,ex inſipientibus ſapientes, ex inexercitatis exercitatos,quemadmodum Solomonem à Deo instructum legimus. Etenim huius quoque intelligentiam,vt nuper dicebamus, non à Deo profectam, ſed à ſyderibus infuſam alicubi ſcribit. Hos artium & ſcientiarum omnium architectos nullos alios eſſe poſſe. quàm Cacodæmones,quorum poteſtas eſt in aere:nullus ſanæ mentis homo dubitat. Siue igitur cœlos ac ſydera, ſiue apparentia ſpectra, ſiue Magiam, aut Necromantiam, ſimilesúe artes, ſiue ipſoſmet Cacodæmones ſtatuat præceptores,idem ſemper ſenſit. Deinde quomodo poſſumus Deum vel ſanctos Dei miniſtros angelos,authores & doctores facere impudentiſſimorum mendaciorum, falſiſſimarum opinionum, monſtroſiſſimarum imaginationum, nocentiſſimæ doctrinæ, impuriſſimarum, & non credibilium blaſphemiarum? Adde quòd vita adeo ſpurca & flagitioſa, qualis Paracelſi fuit,nō eſt cum pręclaris Dei donis ſubitò datis ſociata. Ipſemet in libro de Lunat. ſcribit

Phantaſia Conciliatoris de inſtitutione cœleſti.

Salomō ſapientiam ſuam ab aſtris accepit.

Vita Paracelſi.

à ſpiritu Dei ductos vitam doctrina præceptoris ſui dignam ducere, fructusque tanto magiſtro dignos edere. Quocirca vel ipſo iudice ab alio ſpiritu edoctus fuit. Deniq; cum fuerit omnium bonarum artium rudis, quomodo poteſt à Deo doctus cenſeri? Sanè Dei opera non ſunt inania & fucata. Quem inſtituit, is verè artifex eſt. Paracelſus autem nullius rei habuit noticiam, præterquam fortaſsè Chemiæ operum: ad quæ non eſt opus aliis magiſtris, quàm quos Deus olim fecit ac ordinauit. Et talem eum fuiſſe, qualem diximus, partim ex antè diſputatis, partim ex dicendis perſpicuum eſt. Lumen ergo naturæ Paracelſicum nihil aliud eſt, quàm tenebræ, ſiue impietatis, nequitiæ, & mendaciorum à ſpiritibus impoſtoribus profecta inſpiratio, & perſuaſio. Quò illud etiam pertinet, quod in lib. quodam de Podagra his verbis ſcripſit. Hoc verum eſt, inquit, multæ ſunt in medicina artes, quæ à diabolo & ſpiritibus patefactæ ſunt, Vides quem habeat ſuæ medicinæ authorem? Quomodo hæc cum ſacris literis medicinam & medicamina à Deo eſſe aſſerentibus conciliabis? Sanè haud ſecus videtur â Diabolo fuiſſe demētatus, quàm Phrenitici aliterúe delirantes à morbis oblæſi ſunt. Quamuis enim inepta tum dicāt tum faciant, pulchrè tamen ſibi placent: nec ſe quenquam inueniri elegantiorem putant. Simili quadam ratione Paracelſus eruditè eleganterque ſe de rebus quibuſuis differere putans, mirificè ſibi placuiſſe videtur, cùm ſub hoc Sole vix aliquis natus noſcatur æquè ineptus & inſanus. Modum huius excæcationis docet in proximè citato libro. FVR. Iſta iam mittamus, & quæ de Principiis tradidit, excutiamus. ER. Non facilius poteris videre, quantū in hac re delirauerit, quàm ſi principiorum naturam, neceſſitatem, atque vſum prius rectè perſpexeris. Rectum enim & verum menſura eſt

Lumen naturale Paracelſi quale.

ra est obliqui & falsi:nec retrò commeat ratio. Proinde nisi aliter tu censeas, ante omnia veram sententiam dilucidè proponã, postea errores indicabo. FVR. Placet maximè. ER. Vt expeditiora sint omnia, sciendum est, nos cum probatis authoribus omnibus differentiam ponere inter Principia & Elementa. Et elementa quidem vocabimus hoc loco, partes ex quibus compo sita sunt corpora naturalia, & in quas iterũ dissoluuntur, minimas siue simplicissimas specie. Tales sunt, quæ in alias specie differentes diuidi amplius non possunt. Partes intelligo non quaslibet, sed corporeas, & per se subsistentes. Etenim partes illas, in quas ratione cogitationeque duntaxat dissoluuntur corpora naturalia, quæque per se subsistere nequeunt, non elementa, sed principia nominamus. Elementa igitur sunt corpora naturalia, ex quibus mixta omnia conflata sunt, simpli cissima. Principia autem sunt tanquam elementorum quædam elementa: nec sunt corpora, sed corporũ prin cipia: nec re ipsa sunt corporum partes separabiles, sed sola cogitatione in ea diuiduntur corpora: cuius causa καθ᾽ ἐπίνοιαν ἐλάχιστα vocantur à Græcis. FVR. Scio nomina principij & elementi latè patere: sed quid in nostra tractatione per hæc debeam intelligere, ex iam dictis clarè perspicio. Quare progredi ad vlteriora poteris. ER. Plato in Phœdro plurimum commendat Hippocratis præceptum de indaganda alicuius rei certa noticia. Etenim & rectam dictare rationem, & absq; ea methodo progressionem iter cæci esse affirmat. Est autem hoc præceptũ, vt, quod sit scire cupimus, simplex ne sit an compositũ cõsideremus. Si simplex sit, quam agendi ac patiendi à rebus quibusuis vim habeat obseruemus. Si partes habeat, singulas aptè distinguamus, & quæ cuiusque facultas naturaque sit expendamus. Hac via ingressi vetustissimi homines, qui primi

Differunt Elementa & Principia.

Præceptũ Hippocrat. de indaganda rerum noticia.

Qua uia ueteres principia inuenerint.

philoſophari,hoc eſt,naturalium rerum cauſas peruestigare cœperunt, ex viciſſitudine & mutabilitate rerum perpetua perſpexerunt rerum hîc orientium & occidentium ſimplicem nullam eſſe. Quippe cum velut in fluxu quodam refluxuq; res omnes ſublunares, continuè verſari viderent,perpetuum & ſtabile nihil inuenirent, mutabilia eſſe vniuerſa,quæ natura conſtant, rectè ſtatuerunt. Hanc deinde mutabilitatem cùm attentius conſideraſſent, in omni mutatione(nō in ea tantùm,in qua neq; nomen, neque naturam res amittunt,vt cum homo permanens calefit,eſurit,dormit,ægrotat,verùm etiam in ea,per quam vtrumq; deperditur,vt cum ex ſemine homo, ex ouo pullus generatur)aliquid remanere animaduerterūt. Ex quo mox concluſerunt, quicquid fieret,ex aliquo fieri: ex nihilo autem nihil effici: nec rem vllam per ſe ſubſiſtentem ad nihilum reduci. Quiddam igitur eſſe præclarè notauerunt,quòd ſecundum eſſentiam ſuam corruptibile non ſit: & in quo id tantùm ſit corruptile, quod in ipſo ſit Quocirca aliquid eſſe dixerunt, ex quo omnia fierent,& in quod omnia rurſus diſſoluerētur: ipſo interim ſemper remanente. In huius rei natura explicanda varij fuerunt,dum alij aerem,alij aquam,alij alio nomine exprimere tentarent. Non enim puto eos adeò fuiſſe imperitos, vt aquam,aerem, ignē, inſtar aliarum rerum corrumpi, atque ideo compoſita eſſe corpora neſcirent. Hoc ſanè omnes vel ex ipſis loquendi modis intellexerunt,aliud eſſe id,ex quo aliquid fieret, atque aliud rurſus id,quod fieret. Niſi hoc concederetur,facilè videbāt conſequi,vt res eſſent, priuſquam fierent: in qua fortè opinione fuerunt, qui ſeparatione omnia fieri opinati ſunt: quos Paracelſus quoque in libro ad Athen ſequitur. Equidem omnes omnibus ſeculis (vt & ex 1. Phyſ. cap. 7. & ex omnibus ſcriptoribus anti-

Aliquid eſt, ex quo alia omnia fiunt.

quiſſimis liquet.)ſic locuti ſunt,idque conſentaneè rebus,vt in qualibet mutatione dicerent: vel hoc eſſe factum aliquid,vel ex hoc eſſe factum aliquid,vel vtrumque de eodem efferrent. Dicimus quidem hominem fieri doctum,& ex indocto fieri doctum: at non vſitatè venuſteque dicimus,ex homine aliquem fieri doctum. Quippe hac loquendi formula,cùm videlicet ex hoc dicimus aliquid fieri, factumúe, ferè ſignificare ſolemus illud,ex quo aliud factum eſt,interijſſe: vt cum ex ſemine corrupto animal, ex pane permutato ſanguinem,ex ouo tranſmutato pullum fieri aut factum dicimus.Quod tamen perpetuum non eſt. Nam ex lapidibus ac lignis domum,& ex ære ſtatuam factã pronunciamus:tametſi æs corruptum non ſit in figuratione. Sed hoc locum habet in illis,quorũ affectio,quæ corrumpitur, nomine caret. Propriè namq; vocula Ex, illud ſignificat,quod perit in re qualibet: vt cum ex imperito aliquis factus eſt peritus, interijt imperitia, & in eius locum ſcientia ſucceſſit. Econtrariò longè vſitatius dicimus ex ſemine plantam, & ex ouo pullum factum,quàm ſemen plantam, & ouum pullum factum. Quippe neque ſemen neque ouum ſic remanent, vt naturas ſuas priſtinas cum nominibus retineant.Cum enim hoc dicimus aliquid fieri,de ſubiecto loquentes, accidens ſolùm in eo mutari ſignificamus: vt tamen ſubiectum maneat quod fuit: ſicut cum hominem calefactum aut edoctum aſſerimus.Quòd ſi de qualitate in ſubiecto inhærente loquentes dicamus, hoc fit hoc, vt indoctus fit doctus. Ex quibus perſpicuè patet,voculam Ex, aliquid notare, quod in mutatione qualibet corrumpitur, tametſi expreſsè hoc in oratione non ſit poſitum. Quare cũ ex ære ſtatua facta dicitur,aliquid in ære,quod remanſit, corruptum eſſe ſignificatur, in cuius locum figura ſtatuæ ſucceſſerit, Siue igitur dica-

mus,hoc fit hoc, siue, ex hoc fit hoc, semper intelligitur aliquid esse permanens: & aliquid esse, quod ei per motum accesserit. Sic ex motu mutationeque rerum manifestè cognitum est,res omnes generabiles & corruptibiles compositas esse:atque ex duobus principijs, videlicet re quapiam permanente, seu subiecto, & ea quæ in hoc inducta per motum forma fuit, constare. Cæterùm cum non ex quolibet quodlibet,sed ex determinato certum & determinatū duntaxat fieri cognouissent,tertij principij necessitatem comprehēderunt.

Necessitas priuationis.

Quippe aliquid in subiecto inesse oportere perspexerunt,propter quod vnam magis formam,quàm aliam quamuis recipere posset. Hoc principium non est rerum,quoad sunt,siue quoad existūt,aut factæ iam sunt, principium,sed quoad fiunt. Nam sine quo res aliqua non potest id fieri quod fit, hoc ad eius generationem prorsus est necessarium. Reliqua duo principia sunt vtroque modo,quatenus res fiunt, & quatenus subsistunt.Ergo si res consideremus,quatenus fiunt, tria earum reperimus principia,subiectum, formam,& subiecti habilitatem ad certam formam suscipiendam. Minimè difficile est tria hæc principia in corporibus videre & distinguere:vt in homine,exempli gratia, & in pane. Nullus est quin intelligat tria in homine,qui calefit.Primum est subiectum:deinde caliditas inducta: & tertiò caloris priuatio seu frigus.Non enim posset cale fieri,si non careret calore:& quidem ita,vt simul habilis esset calefieri. Lapis enim habet priuationem visus, at non eam,de qua nos hîc agimus:cui videlicet possit succedere visus.Verùm catulus nuper natus,aut qui in matrice adhuc formatur, priuationē eiuscemodi obtinet. Sic cum panis vertitur in sanguinem, manifestè tria hæc in eo cernimus,materiam,sanguinis formam, & priuationem, quæ propriè sanguinis formæ opponitur.

nitur. Caret hæc nomine, ideoque hîc obscurius intelligitur, quàm in priore exemplo. Ergo vt res generentur, necessaria est priuatio: vt autem subsistant, necesse est eandem abolitam esse. Hac enim præsente, res non est actu, sed potentia solùm: qua deperdita necesse est formam oppositam adesse. Hæc rerum naturalium omnium principia communissima, non huius vel illius solummodo, alij alijs nominibus propter difficultatē expresserunt. In re aliqua vna, vt cum homo fit doctus, facilè est hæc tria eloqui. Omnes enim mediocri ingenio præditi in hominis docti generatione intelligunt, hominem, imperitiam, quæ cum scientia queat permutari, & scientiam. Difficilius autem est, aptè sic nominare, vt omnibus in vniuersum congruant. Philosophi propè omnes, quorum ad nos monumenta peruenerunt, materiam, formam, & priuationem aliquando vocarunt. Theologi antiquiores, vt Augustinus, materiam, formam, & rationem seminalem vocauit. Maluit enim priuationem vocare rationem seminalem materiæ à Deo insitam, quàm priuationem. Alij habilitatem materiæ seu aptitudinem rectius putant dici. In sensu discrepantia nulla est, cum Aristoteles apertè doceat, non illam priuationē, quæ pura est negatio (cum hæc subiectum non determinet, ac omnibus ex æquo rebus aptari queat, etiam imaginatis, vt Chimæræ & Hippocentauro) sed illam, quæ vt habilitas quædā ad formā certæ opponitur formæ, generationis rerum principium esse tertium. Idem optima sanè ratione materiam primam, actum seu formam, & priuationem nuncupauit. Et cùm potentia seu materia & priuatio re sint eadem, ratione tantùm distinguantur, non est mirandum, si vtrunque hoc principium vno sæpe nomine philosophi enunciarunt, ac modò materiam, modò potentiam vocarunt, Quod enim esse potest, nec dum

Principia uariè nominantur apud authores.

est,propter materiam hoc habet. Forma namque seu actus non facit, vt res aliquid esse possint: sed vt hoc ipsum existant,quod sunt. Quicquid enim actu est, hoc necesse est vel actum esse,vel actum habere. Elementa igitur cum non sint actus,& tamen existant, actum in materia habere fatendum est. Sic vides principia non posse per se aut seorsum subsistere, vt elementa vocata,sed sola cogitatione separabilia esse. Deinde neque plura neque pauciora esse posse, quibuscunque tandem nominibus proponere cuique libeat. Sufficiunt enim ad rerum generationem & constitutionem subiectum,& contraria,cum interna principia quærimus. Nunc, si placet,Paracelsi de rerum principijs opinionem nobis recita,vt quatenus cum veritate conueniat,aut pugnet,videamus. FVR.Scitè ratiocinati sunt veteres, recteque principia scrutati sunt à confessis notisque ordientes,& ab his ad ignota procedentes. Veruntamen scrupulum mihi reliquisti, qui me plurimum vexat. Intellexi principia,quibus corpora constant,corpora non esse. Corpus enim omne compositum est, principium autem simplex est. Quin extra compositum principium fingere non licet: cùm sola cogitatione separabilia sint. Quo pacto igitur quibusúe argumentis persuadebimus aduersarijs, nos corpora non conflare ex incorporeis? Materia non est corpus,sed potentia pura:vt contendunt Philosophi.Forma quoque non est corpus. At his tanquam partibus essentialibus constant corpora. Confiunt ergo corpora ex rebus quibusdam incorporeis: quod apud vos absurdum quidem est,imò impossibile censetur: apud Paracelsum nostrum absurdi & falsi nihil continet.

Principia sola cogitatione separabilia sunt.

Principium est simplex.

ER. Explicatu difficilis est quæstio: nec facilè ab alijs intelligitur,quàm ab exercitatis.Signum est, quòd plurimi omnibus temporibus hac de re dubitarunt. Hinc ortum

Vtrum ex incorporeis corpora fabricent philosophi.

ortum habuit Auerrois imaginatio de interminatis in materia dimensionibus: contra quas tanto studio nonnulli pugnarunt. Nec absimile verò est, Anaxagoram atque alios, qui corporata principia statuerunt, in eundem scopulum impegisse. Si principia corporum poneremus distincta vel separata, vt olim fecisse aliqui leguntur, vix responderi posset. Iam verò dum non modò seiuncta nō facimus, sed inseparabilia prorsus statuimus, menteque sola distinguimus, minùs difficiles habet explicatus. Deus ab initio non creauit materiam seorsum, sed vnà cum elementorum & cœli formis creauit vniuersi materiam. Sed nec causam video, cur magis dubitari possit, quomodo ex materia, (quam in nascentibus rebus sensus adesse demonstrant.) & forma, elementorum corpora sint creata, quàm quomodo ex nihilo sint effecta. Qui enim potuit ex nihilo facere aliquid, idem nouit materiam sic exornare suis formis, vt priusquam vna intereat, alia subintrarit: vacuumque in ea multò minus relinquatur, quàm in corporibus. Prima igitur materia per solam analogiam, ratione alia nulla, intelligi & declarari potest. Huius naturam seu essentiam si aliter non percipi à nobis cogitabis, ipsam per se ipsam cognosci non posse pariter iudicabis. Quomodo enim per se & in se sola mente concipiatur, quæ nec fuit, nec est, nec erit vnquam sola? Si seorsum materia & forma esse, ac deinde ex ambobus iunctis corpora conflari fingeretur, certè ex nō corporibus corpora cōponerentur. At materia nunquám fuit ita, vt forma omni careret, hoc est, vt corpus nō esset. Quare quæ generantur & corrūpuntur, ex materia fiunt non nuda, sed forma aliqua vestita. Inter corruptionem vnius & inductionem alius tempus interuenire nō potest, sed in eodē instanti illa corrupta & hæc generata est. Summa hæc est. Qui

Deus materiā non creauit omni forma destitutam.

ſic ex principijs generatis per eorundem coniunctionem imaginantur componi corpora, quomodo ex miſtis elementis generantur miſta, ex non corporibus faciunt corpora. Si enim principia corpora ponant, iam non principia ſtatuunt, ſed elemẽta. Hoc enim differre diximus principium ab elemẽto, quòd principia ſola cogitatione extra compoſitum ſint, quodq́; ex ipſis elementa etiam conſtent: elementa autem & ante omnia miſta ſint, & ex miſtis iterum generentur. Nos autem de principio dicimus, (Sacrarum literarum teſtimonio ſubnixi) elementa cum miſtorum omnium materia creata fuiſſe. Quare cum ex elementis omnia fieri alia dicamus, ex incorporeis corpora minimè cõponimus. Si aliquid reduci ad nihilum concederemus, nec generationem vnius corruptionem eſſe alterius, & contrà vnius interitũ alterius eſſe ortum cõſtanter aſſereremus, inſimulari fortaſsè huius vanitatis poſſemus. FVR. De miſtis corporibus nulla eſt dubitatio: ſed de elementis ſeu primis ambigi poteſt. Hæc enim ſola ex prima conſtant materia. ER. Iam eſt dictũ nobis, elementa non ſic eſſe per copulationem facta principiorum, quomodo miſta compoſita ſunt per elementorum coniunctionem, ſed elementa cum materia & forma ſimul fuiſſe creata. FVR. Cur ergo ponuntur eodem modo generata ex materia & forma, ſicut miſta alia? ER. Cauſa duplex adduci poteſt. Vna, quòd philoſophi generales rerum naturalium cauſas inueſtigantes eadem analogia putarunt principia ponenda ſimplicium & compoſitorum corporum. Et qui mundum ſemper fuiſſe opinati ſunt, facilè ſeſe excuſabunt. Qui autem factum nobiſcum crediderunt, nihilominus eandem eſſe ſimplicium & compoſitorum rationem arbitrati ſunt. Nos, qui ex verbo Dei elementa primùm creata ſcimus, deinde ex his cætera

confe-

confecta eadem vi & potestate nouimus, Analogiam eandem seruari posse putamus. Sicut igitur ex ouo corrupto, in quo pullus actu non inest, pullum generari cernimus, ita ex aqua, in qua ignis actu nullus reperitur, ignem generari censemus. FVR. Cum ex aqua fit ignis, an non tunc aquæ materia caret forma? ER. Non. Suprà namque monui, in eodem instante, quo aquæ forma corrumpitur, ignis formam existere, nullo intercedente momento temporis. FVR. Quomodo fieri hoc potest? ER. Aqua primũ calefit, & formam suam nihilominus retinet. Non enim amisso gradu quolibet frigiditatis, mox desinit esse aqua, sed eodem momento illo, quo calor eò vsque auctus est, vt ignis formæ (exempli causa) conueniens sit factus, hæc inducta, & aquæ forma (deleta frigiditate ac humiditate aquæ necessaria) corrupta est. Nam primæ qualitates effectrices intendi ac remitti possunt, quantisper grauitas, leuitas, raritas, densitas intra propriam latitudinem, elemento cuilibet congruentem, consistere possunt. FVR. Videtur nihilominus materia aquæ nudari omni forma, & fieri quiddam omnis corporatæ naturæ expers, ER. Res non sic habet. Non enim spoliatur aquæ forma, priusquam ignis qualitates introductæ iam sint, vt est declaratum. FVR. Hoc ergo me vis cogitare, quemadmodum lignum, ex quo Mercurius est fingendus, priorem formam suam non abijcit, antequam Mercurij figuram receperit, sic materiam sub aquæ formam existentem, ignisque forma carentem, tum demum pristinam suam amittere formam, cum ignis forma induta est? ER. Omnino. FVR. Sed Mercurij figura cum sit accidens quoddam, ideoque intendi remittique possit, partes habet, quarum vna post aliam induci in materiam potest. Formæ autem naturales instar numerorum sunt, ac veluti in puncto quo-

Quomodo in elementorũ generatione materia non sit sine forma.

dam consistunt, vt siue addas siue detrahas eis quantumuis minimum, totam speciem permutari necesse sit. ER. Esto, inducatur pars figuræ vna ante aliam. An non proportione quadam & analogia simile fit in dispositionibus ad formas substantiales? Certè negari non potest: vtut formæ ipsæ in quodam veluti puncto indiuiduo consistant. Quinimò quisquis rectè percepit, quomodo dispositiones neque generentur neque corrumpantur, sed quibusdam motis repentè vel existāt, vel corruptæ sint, haud difficulter ex hac quæstione aliàs obscura satis se extricauerit. Examinare debet, qui nondum hæc intelligit, quæ de eis Aristoteles in 7. Physic. cap. 3. diuinè commentatus est. Hoc loco quæ vberiorem longioremq; explanationem desiderant, mittam, & tuum te exemplum perpendere præcipiam. Quippe ratio eadem est partium figuræ & totius. Vt ergo tota figura in tempore effingatur in materia, saltem partem eius aliquam subitò introductam fuisse necessarium est. Quod de hac rectè dicitur, id si ad formæ naturalis ortum traduxeris, nihil peccabis. Vt enim hîc prior figura non antè expuncta intelligi potest, quàm alia fuerit insculpta, sic in naturalium rerum ortu res quodammodo habent. FVR. Etsi nondū hanc rem plenè percipio, videor mihi tamen longius nunc quàm antea prospicere. Quare ad alia descendam ER. Vt lubet. Fortasse dabitur in sequentibus occasio declarandi, quæ in præsenti loco desideras. FVR. Ante omnia te monebo, frustrà te de principijs istis rerum disputauisse, si contra Paracelsum facere putauisti. Mihi quidem pergratum fuit audire, sed cum sententia Theophrastri nostri non pugnant. Intelliges non ex eo tantùm, quòd eius discipuli hoc affirmant, verùm etiam ex alijs, quæ nunc dicam. Primum est, quòd se ostendit Sulphur nominare, quicquid in corporibus facilè ac-

Dispositiones nec generantur, nec corrūpuntur.

cilè accenditur: Mercurium, quòd in vaporem seu fumum dissipatur, atq; in altum tollitur: Salem, quòd in cinerem soluitur. At principia, de quibus ex Aristotelis atq; aliorum philosophorũ sententia tu disceptabas, nec inflãmari, nec dissipari, nec in cineres redigi possũt. Deinde quòd ait corpora cõposita in hęc ttia ꝑ ἀνάλυσιν opera artis Chemicæ resolui: quod de illis principijs cogitare nõ licet. Quippe sola cogitatione cõposita in ea diuidi positũ fuit. ER. Si constanter in vna sententia aliquando perstare consueuisset Paracelsus, argumentis tuis crederem. Nunc aũt cùm ei non minus familiare fuisse cogito de re vna eademque pugnantia scribere, quàm fuit grata cum aurigis compotatio, assentiri tibi nõ possum. Constat eum affirmare non semel, nullum esse in hoc mundo tam simplex corpus, quod non sit confectum ex his tribus. Si ergo Sol, Astra, Cœlum, Elementum, & si quid hisce est purius & simplicius, ex tribus cõmista ei sunt, corporum omnium principia facit. Etenim constanter asserit, totum Limbum ex his tribus constare. Quinetiam angelos aliosq; spiritus ex eisdem compositos esse: quanquã contrarium etiam affirmet, nempe ex substantia spirituum seu angelorum corpora concinnata confectaque fuisse. Accedit huc, quod præclarissimi eius discipuli ausi sunt affirmare: adeoque petulanter & flagitiosè Aristotelis sententiam, quam præ inscitia & ingenij ruditate (nisi si improbitas in causa fuit) assequi nunquã potuerunt, flagellare. Natura, inquiunt, alia principia nulla agnoscit corporum, quàm corpora. Item, Ad materiam primam nec per ἀνάλυσιν nec per σύνθεσιν peruenitur. Quin nec vsus Aristoteleorum principiorum est aliquis, cùm Paracelsicorum sit maximus. Item, Corpora nõ componuntur ex alijs, quàm ex ijs, in quę resoluuntur. In resolutione autem tria prædicta, alia nulla, reperiuntur.

Quid Paracelsus uocet Salẽ, Sulphur, Mercurium.

Angeli ex sale, sulphure, hydrargyro constant.

Argumẽta Paracelsici cuiusdam cõtra Aristotelem.

Quare principia nulla ſint fingenda alia. Item, analo-
gia cognoſci ait principia Ariſtoteles: cùm captum in-
genij noſtri hæc res ſuperet. Inſcitiſſimè confundunt
ijdem principia cognitionis & rerum, dum principia
notiora compoſitis eſſe debere aſſerunt. Ruditatem
hanc alijs verbis in Athenæi ſectatoribus à Galeno re-
prehenſam ſi animaduertiſſent, nunquã ignorantiam
ſuam ita leuiter prodidiſſent. Ferunt ergo cõtemptus
ſui pœnam iuſtiſſimã. Verba Galeni de his, qui eadem
principia artium ſiue cognitionis & rerum faciebant,
hæc ſunt. Τὸ μὲν οὖν ὥσπερ ζώου, καὶ τῆς ἰατρικῆς ὑποθέσθαι στοι-
χεῖα τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ψυχρὸν, καὶ τὸ ξηρὸν, καὶ τὸ ὑγρὸν, ὅσης ἀλο-
γίας ἔχεται, τί ἂν ἐγὼ νῦν ἐπεξίειμι; κεκωμώδηται γὰρ ὑπὸ πολ-
λῶν ἤδη τὸ δόγμα, καὶ ψύγον καὶ γέλωτα οὐ σμικρὸν τῷ πα-
λαιῷ προσετρίψατο λόγῳ. Ineptius formam cum mate-
ria miſceri dicunt: cùm ſola corpora propriè miſceri
omnes eruditi affirment. Præclara hæc aduerſus Ari-
ſtotelem diſputatio abundè probat, vel perperam ab i-
pſis Paracelſum intelligi, vel rectè à nobis exponi. Quid
quod ijdem ex Paracelſi ſententia ſcribunt, elementa,
quæ corpora eſſe negant, ſed corporum duntaxat rece-
ptacula & hoſpitia ſeu domicilia (Matrices vocãt) aſſe-
uerant, ex tribus illis orta commiſtaque fuiſſe? Quo-
modo ſi ex corporibus commiſtis elementa ſunt con-
fecta, corpora non eſſe defendent? Quanquam ex Pa-
racelſo non ſit vel difficile vel nouum contradicto-
rias ſententias proferre. Hoc verò omnem abſurdita-
tem ſuperat, quod aiunt Ariſtotelem cum pleriſq; phi-
loſophis negare, ex quatuor elementis tanquam mate
ria confiteri corpora miſta reliqua. Dignus mehercule
præceptore eſt hic diſcipulus, vt quàm moderatiſſimè
dicam. FVR. Mox ad hæc: nunc illud dicam, alios non
ſic interpretari mentem Paracelſi, ſed audacter affir-
mare, hunc Ariſtoteli non repugnare. ER. Facilè refu-
tatur

tatur,quod obijcis. Non laboramus,quo quisque modo Paracelsum exponat.Scimus enim vbiq; secum fœdissimè pugnare: & proinde contraria sentientes facilimè suas opiniones ex eodem probare.Dicam iterum hoc loco,ne repetendũ sit deinde sæpius, vix aliquam esse in Paracelsi scriptis sententiam, cuius non etiam contraria in eisdem reperiatur. Quare poterunt contraria de re eadem sentientes suam vttiq; opinionem ex scriptis eius comprobare. Ad me quod attinet,non ob id aliquos aduocaui testes, vt semper ita sensisse fidem facerem,sed vt ab alijs quoque sic intellectum indicarem. Quam verò dicant Praracelsum non repugnare Aristotelis sententiæ,audi quæso. FVRN. Audiam. ERAST. Constat apud omnes sanos, principium, vt nunc de principio loquimur, differre ab eo, cuius est principium:(Principiatum vocant aliqui.)nec idem vtrumque esse. Ex quo sequitur, rectè à nobis ex Aristotelis omniumq́ue eruditorum philosophorum mente affirmatum fuisse,principium corporum per se subsistentium non esse corpus. Hoc isti nõ concedunt, quamuis concedere videantur, cùm sic argumentantur. Ex indiuiduis in suo genere absolutis nullum corpus cõstituitur. Sal communis, Sulphur,& Mercurius sunt indiuidua in suo genere absoluta. Non igitur sunt corporum principia. Sanè certum est, Paracelsum, & hos ipsos,tria illa principia sua censere corpora. Quoniam sic per artem separari aiunt,vt in conspectum veniant, & distingui ab alijs queant misti corporis partibus. Quare seorsum subsistere ea oportet. Iam verò quod seipso subsistit vel est actus,vel habet actum.Principia illa Paracelsi non sunt actus. Non enim visibilia possent reddi. Ergo habent actum. Ergo sunt corpora. Quomodo igitur non sunt, quærat aliquis, indiuidua in corporũ genere absoluta, cùm seipsis subsistere va-

Paracelsus uix ullam sententiam constãter tenuit.

Tria principia Paracelsi sunt corpora.

leant? Indiuiduum absolutum vocant corpus mistum seu compositum. Affirmant igitur principia Paracelsi, corpora esse per se subsistentia: quod Aristotel. cum omnibus omnium gentium ætatumq; eruditis & intelligentibus viris constanter negauit. Quocirca pugnat eius sententia cũ Aristotelis doctrina in hac parte. Nec est dubium, quin contradicere voluerit, tametsi facere nescierit: vt postea liquebit. Nunc illud obiter æstimemus, quod isti censores noui instar Dictatoris cuiusdã statuunt, Corpus simplex non esse absolutũ in suo genere. Deinde quòd ex absolutis corporibus alia constitui negant. Quo iure, quibusúe legibus sic decernunt? An semina in seminum genere, oua in ouorum genere, elementa in simplicium corporũ genere non sunt absoluta corpora? Quæ hoc philosophia sanxit? Nulla. Nam Paracelsi somnia tam honesta nominatione indigna, execrabilia & planè detestanda sunt deliria. Esto, sit ouum pullus inchoatus, semẽ dimidiata planta. An propterea illud in ouorum, hoc in seminũ genere imperfectum erit, quia destinatum est alius rei generationi? Apage cum hisce nugis, Elementa sunt huius mundi sublunaris corpora simplicissima, & in hunc vsum à Deo creata, vt ex ipsis ad mistionem coeuntibus corpora alia conformentur: quæ nullus vnquam, excepto spiritu Paracelsi, absoluta corpora negauit. Vtrum ignis ob id, quod inter elementa præcipuè author & effector est mistionum, inchoatum & imperfectum dicetur corpus? Imo verò an Paracelsica principia non sint perfecta in suo genere corpora, quia ex eis reliqua componantur? Quomodo igitur in separationibus seorsum demonstrari ac seipsis subsistere feruntur? Flagris & scutica digna sit sententia, quæ se ipso consistens seu subsistẽs corpus, neget absolutum esse in suo genere. Aequè falsè alterum dicitur, ex absolutis nullum

Corpus simplex perperã negatur absolutum esse in suo genere.

lum componi corpus:vt ex dictis patet. Nolo adferre lac, quòd manifestè commistum est ex butyro, caseo, & sero, corporibus absolutis. Nolo alia perinde manifestam compositionem obtinentia proponere. Dicam nota confessaq; omnibus non insanis. Quis nescit ex communi sale, pane, fructibus, carnibus, corporibus in suo genere perfectiss. & absolutissimis, in vẽtriculo mistis, tandem generari sanguinem ex omnibus constitutum? Quis marinas aliquas itemq; ad aquarum salsarum scaturigines prouenientes plantas nõ sentit aqua vel marina vel salsa nutritas? Corruptores dignius quã reformatores dicẽdi sunt, qui tales nobis leges ferunt.

Ex absolutis corporibus cõponuntur alia corpora.

FVR. Malim audire aliquid de argumentis à te recitatis. Habeo enim quæ illis addam. ER. Aut falsa sunt, aut ad rem præsentem non spectant. Demonstraui clarè in supradictis, corporũ principia non esse corpora, sed corporea. Differt enim principiũ corporis simplicis à corpore: quomodo compositi corporis principium à corpore composito differt. Quis ignorat neq; butyrum, neq; caseum lac esse, tametsi lactea sint? Quemadmodum compositi partes nõ sunt compositum ipsum. ita nec simplicis corporis, quod in alia solui corpora nequit, partes siue principia, corpora possunt esse, licet corporea esse certum sit. Aliud namque est corpus, aliud corporeum. Formæ naturales, adeoque animæ nostræ principia sunt corporea, corpora tamen neutiquã sunt. Qualitates quoque, proprietates, & vires corporum, rectè dicuntur corporeę (alio tamen modo, quàm principia) corpora præter Paracelsi spiritum nullus appellauerit. Hæc si ridebunt Paracelsici, nihil lucrabũtur amplius, quàm quòd summam ruditatem suam cum impia temeritate coniunctam prodent. FVR. Hoc pacto iterum videberis corpora nobis fabricari ex incorporeis, quod absurdum iudicant etiã Paracelsici.

Corporũ principia non sunt corpora.

Corpus & corporeum differunt.

ER. Non omnes. Quidā enim corpora ex incorporeis cum magistro suo cōficiunt: alij cum eodem fieri posse negant. Semper aut saltem in plerisq; possunt contraria dicentes authoritate magistri communis inniti, vt non multò prius dicebam. Tam fœcundus fuit, vt contradictorias passim opiniones foueat, ac testimonijs vtramq; partem armet. Nos mista corpora ex simplicibus componimus, vt ex materia: & in hoc iterum dissolui dicimus: simplicia sola cogitatione in sua principia solubilia ponimus: actu vel materiā sine forma, vel hanc sine materia subsistere posset tantum abest vt affirmemus, vt nec imaginabile esse putemus. Hæc ergo creata de principio sic dicimus, vt neutra pars alteram præcesserit. FVR. Quid ergo prodest ista de principijs imaginatio? ER. Si elementa non in se mutuò transmutarentur, id est, si non generarentur & corrumperentur, sed impatibilia permanerēt, vsum sanè in his exiguum haberet. Dum verò corrumpuntur & generantur iuxta partes, non potuit huius mutationis natura vel percipi vel explanari absq; hac de principijs cōsideratione. Cum enim ignis corrumpitur, nec ad nihilum reducitur, necesse est illud amitti, quo ignis est ignis. Quod enim remanet, materia est, qua ignis nequaquam est ignis. Aliud enim est, quod, vt ignis: aliud, ex quo, vt materia: aliud, quo, vt forma: per quam materia hoc adipiscitur, vt ignis sit, & dicatur. Sic cum ex ouo fit pullus, corrumpitur ouum: nec tamen oui materia euanescit penitus: sed priore forma, per quā ouum erat, perdita, nouam acquisiuit, qua pullus est. Vides igitur nos nō posse vel mutationis vel naturæ elementorum scientiam assequi absq; principiorum noticia. Eodem modo res habet in mistis. Clarè iam perspicis, opinor, non esse ociosam hanc disputationem, vt insci tissimè quidam scripsit. Deinde prima rerum naturalium

Vsus principiorum.

lium principia nõ esse corpora, tametsi sint corporea: & proinde elementa non posse in corpora resolui arte Chemica. Demum nos neque mista corpora fabricare ex incorporeis, neque elementa. Quippe mista ex elementis componi dicimus: Elementa autem non concedimus eodem modo ex principijs per se subsistentibus aliquando conflata fuisse, sed cum eorundem formis materiam primam concreatam scimus: quam omni forma nullo temporis momento caruisse nouimus. Habes ad argumenta tria responsionem: simulq; insulsissimum esse quartum intelligis, cum ait, principiorum intelligentiam ingenij humani captum superare. Si omnium captus esset, qualis est Paracelsi & talium discipulorum, tolerari posset, quod dicit. Ad illud de principijs noticiæ ac rerum suprà satis responsum est. Notiora quidem nobis esse oportet principia cognitionis nostræ, ex quibus in obscuriorum & ignotorum noticiam deuenimus: at rerum principia euidentiora nobis esse rebus, quarum sunt principia, necessarium non est. Quippe ex effectibus & compositis nobis notioribus, nempe sensibus magis occurrentibus, in noticiam demum venimus componentium & principiorum. Tales nobis nugas cum proferant inaudita temeritate rudissimi, vt lenissimè dicam, homines, non dubitant cœlo bellum denunciare. Quæ præterea te habere aiebas proponito. FVR. De materia & forma quærere volebam, vtrum substantias poneres an accidentia. Verùm quando differre dicebas, quod, quo, ex quo, in mentem venit Aristoteles, cùm substantias diuidit in compositum, formam, & materiã. Quinetiam materia intellexi de principio à Deo sic creatam, vt omni forma spoliata nunquam fuerit. Intelligo iam ita ex ea fieri omnia, quomodo ex pane sanguinem generari nouimus. Et si enim forma panis prorsus deperdi-

tur,& in materia panis,forma sanguinis succedit,ex nō corpore tamen ob id nullus sanguinem genitum censuit. Restat aliud, quod mihi planius explicari cupio, Vtrum res quæuis in ea,ex quibus cōstat,resolui possit. Hac namq; sumptione inprimis nituntur tria illa principia ponentes. ER. Limitatione indiget. Iam enim ostensum est,corpora simplicia cogitatione duntaxat in principia diuidi:atque ideo ineptos esse, qui sic argumentantur, Corpora non possunt arte Chemię dissolui in materiam & formam: Ergo non sunt ex his tanquam principijs constituta. Intelligi proinde propositio debet de partibus materialibus seu corporatis, se ipsis actu subsistere potentibus. Nisi enim de partibus actu inexistentibus,eisq; materialibus,ex quibus compositum conflatum sit, accipiatur, plurimum fallet. Multæ namq; res ex composito quolibet fiunt, ex quibus actu inexistentibus factum nunquam fuit. Verum igitur est,rem quamq; ex illis constare, ex quibus actu inexistentibus veluti per compositionem quandam composita est. In has partes resolui compositum si dicatur,libenter propositionem concedemus. At ex illis partibus conflatas esse res omnes, quæ per substantialem materiæ transmutationem ex ea generantur,nunquam confitebimur. Nulla enim ratione poterit hæc sententia vera demonstrari. Quis nescit diuersa artis operatione virtute ignis,aut caloris ignei corpora solida in nitrum verti posse, in cineres, in liquores, in res alias? An ideo dicemus ex his compositas fuisse? Non arbitror.Legimus hominum certorum corpora in vermes, pediculos, aliaque talia conuersa fuisse, ex quibus conflata commistaq; nullus existimauerit. Multorum vel pulmones vel partes aliæ in pus corruptæ fuerunt,quas ex pure generatas ne asini quidem putauerint. Sic cibi sæpe in humores putres aut stercora mutantur

An res omnes in ea, ex quibus constant, resolui poßint.

tantur

tantur, quos ex talibus compositos rebus fuisse, nullus sanæ mentis dixerit. Animalis corpus, in carnes, ossa, neruos, sanguinem, aliasque partes tales dissolui potest, quoniam in eo actu inexistunt. At has vel à natura, vel ab arte in semen & sanguinem: vel hæc in cibos, ex quibus confecta sunt, dissolui posse, ne Cacodæmon quidem ausit affirmare. Quis pullum redire putat in ouum, ex quo conformatus est? aut ouum in gallinaceum sanguinem, ex quo genitus fuit? aut deniq; hunc in frumentum, quo nutrita est gallina, redire credat? Non datur regressus ad formam à priuatione: nec retrorsum in generando vadit natura. Prorsum semper progreditur in mistis: & tanquam circulo quodam mutationes suas absoluit, ex priore semper efficiens posterius, nunquam ex posteriore prius, antequam ad elementa prima peruentum fuerit. Quocirca non est reciproca in rebus naturalibus compositis generatio, sed alia fit post aliam: vt in 1. lib. Metaph. cap. 2. luculentè docuit Aristoteles. Cum enim vellet ostendere generationem ratione materiæ non abire in infinitum, dupliciter indicauit aliquid ex aliquo generari. Vel enim ita fit sicut ex puero vir, aut ex imperfecto perfectum: vel vt ex aere generatur aqua vel ignis. Hanc elementorum esse asserit, reciprocamque ostendit: illam reflecti negat, sed à primis corporibus seu elementis per varias mistiones & discrepãtes materias semper ire prorsum docet, quousque tanquam per circulum ad prima iterũ descenderit elemẽta. οὐκ ἀνακάμπτει πρὸς ἄλληλα, οὐδὲ γίγνεται ἐξ ἀνδρὸς παῖς. οὐ γὰρ γίγνεται ἐκ τῆς γενέσεως τὸ γιγνόμενον, ἀλλ' ἐστὶ μετὰ τὴν γένεσιν. Elementorum generationem dicit reflecti. Non enim vnum elementum in genere elementorum est alterius veluti seminarium & imperfectum quiddam. At in mistorum generatione, in qua vnum tanquam semen est quoddam alius, aut

rationem habet imperfectum ad perfectum, reflexio tam non potest concedi, quàm non potest ex viro puer iterum fieri: ex quo mutato vir factus fuit. Quicquid igitur velut imperfectū permutatur ad perfectionem, siue permutata temperie elementorum priore aliud fit, reuerti ad priorem naturam nunquam poterit. Huiusmodi namque generationes non reflectuntur in circulum, siue nō retrocedunt, sed prorsum semper eunt, dum ad summum est ventum. Deinde sicut per varias mutationes ascenderunt, ita per alias rursus paulatim dissoluuntur, quousq; ad elementa reditus fiat. Quamobrem nō corrumpitur vinum in omphacium, ex quo ortum est, sed in acetum. Et hoc deinde in aliud quiddam mutatur, atq; illud rursus in aliud, donec reditum sit ad prima elementa. Hac ratione non transmutatur bilis in sanguinem, ex quo supercalefacto nata est, sed in humorem alium: & hic porrò in alium, dum ad elementa peruentum sit. Ergo non ex quibuslibet rebus quę per ignem ex corporibus mineralium, plantarum, animalium generātur, composita ea sunt. Imò impossibile dicimus esse, vt mistum, quod per substantialem transmutationem misti alterius est factum (sicut cum ex sanguine fit caro, neruus, os, vena, cerebrum) in eadem illa vel ab arte vel à natura resoluatur, ex quibus primò factum est. Dissoluuntur quidem omnia tandem in materiam, ex qua facta fuerunt ab initio, scilicet in elementa: sed in salem, sulphur, & mercurium, etiam elementa deinde verti ac diuidi, ne Paracelsici quidem, non palàm scelerati & indissimulanter mendaces affirmabunt. Etenim qui mihi inter ipsos peritiores videntur, non audent constanter affirmare, se in omnibus corporibus mistis omnia tria distinctè inuenire. Quomodo ergo putabimus ex elementis separari seu elici ista posse, quæ ex variè multipliciterque mi-

stis.

ſtis nonnullis corporibus euocare nequeunt? Quis miretur vi ignis variata ex eadem materia varia generari corpora? Qui talia actu fuiſſe in eiſdem credit, atque ex talibus actu exiſtentibus compoſita fuiſſe putat, næ is eſt nimis rerum imperitus. Sic enim caſeum quoque ex vermibus, bouem ex apibus confectum fateri cogemur. FVRN. Intelligo hæc iam ſatis. Memini autem te ſuprà dicere, Paracelſum Ariſtotelis de Principijs diſſertationem oppugnare voluiſſe quidem, at facere neſciuiſſe: quod apertius mihi declarari velim. ERAS. Nulla hîc obſcuritas. Credo Paracelſum Ariſtotelis mentem ne vel eminus quidem olfeciſſe. Quomodo enim homo indoctus, perpetuò ebrius, eiuſmodi cognoſcere in animum induxiſſet? Audiuit omnes dicentes, tria eſſe rerum principia. Audiuit nō minus affirmantes, quatuor elementa eſſe rerum principia. Cumque non ſciret inter miſta & ſimplicia diſtinguere, & Ariſtotelē putaret elementorum quoque principia exiſtimauiſſe corpora, placuit ei in horum locum ſubſtituere tria illa, quæ apud auri decoctores inuenerat. Deinde longius progreſſus eſt, ac elementis quatuor è medio ſublatis, tria ſua principia repoſuit. Nec alia eſt diſcipulorum eius opinio, ſi ad verba eorum reſpicias: quamuis aliud neſcientes dicant. Ille etenim quem ſuprà diximus tam bellè Ariſtotelem reprehendiſſe, tandem ſua principia ex Paracelſi ſententia definiens, ait, Corpora eſſe prima, ſimpliciſſima, perpetua, per ſe conſiſtentia, ex quorum miſtione omnia fiant, & in quæ poſtremò reſoluantur. Poſtquam fortiter, opinione ſua, pro Paracelſo contra Ariſtotelem de Principijs pugnauit, elementa definiuit, principia ſe definire putans. Elementa namq; ſunt corpora ſimpliciſſima (ideoq; indiuiſibilia ſecundum ſpeciem) per ſe ſubſiſtentia, ex quib. miſtis cætera fiunt,

Paracelſus Ariſtot. ſentētiam de Principijs oppugnare neſciuit.

Definitio Principij Paracelſici cuiuſdam.

Elementū quid.

& in quæ denique rursus soluuntur mista. Principia neque corpora neq; miscibilia sunt: nec per se subsistunt: nec mistorum corporum principia dici rectè possunt. Hi sunt egregij illi Aristotelis probatissimorumq; aliorum authorum reformatores. F V R. At Paracelsus negat elemēta simplicia esse corpora, sed ex tribus illis asserit esse composita. Quinetiā cœlum & sydera ex eisdem conflata contendit. Elementa aūt quatuor vulgò nota Matrices vocat fructus mundanos ex se, tanquam ex sinu quodam, proferentes & cōseruantes. E R. Tempus est iam, vt doctrinā eius de Elementis excutiamus. Sic enim quæ de principijs dicta sunt, eadem opera dilucidiora fient. Exponam autem primùm, quæ vera sit sententia, quò, quæ Paracelsus finxit, cōspici possint facilius. Quippe manifestè patebit, tria illa corpora neq; principia neq; elementa rectè saneq; ab eo vocari. Suprà dixi, elementa esse corpora. ex quib. cætera fiant, vt in eis insint, & in alia se priora corpora solui nequeant.

Qua ratione elementa inuenerint prisci philosophi.

Quæ aūt & quot sint hæc corpora, ex rerū mutatione seu motu primi illi naturalium rerum cōtemplatores pariter inuenerunt. Loquor hîc præcipuè de elementis mistionis, non compositionis. Etenim literas vsitatè dicimus syllabarum esse elemēta, quòd sint minimæ earum partes, verùm cōpositionis tātùm sunt elementa. Non enim miscentur literæ, sed instar partium domus coniunguntur, proq; varia compositione varias & discrepantes efficiunt syllabas, & consequenter etiam dictiones. Hoc modo si vsurpetur nomen elementi, exquinq; mundus constabit elementis, videlicet, cœlo, igne, aere, aqua, & terra. In qua significatione Aristot. alicubi cœlum vocauit Elementum, velut partē totius mundi simplicem. Nos de solis mundi sublunaris siue mistarum rerum elemētis, hoc est, de mistarum rerum materia hîc agemus. Ergo cùm prisci philosophi res quasuis

quasuis à seipsis, nulla causa externa corrumpente, dissolui cernerent, compositas ex pugnantibus cogitare cœperunt. Nihil enim vnum existens à seipso mutatur. Cum deinde in rerum compositarũ substantiales mutationes intuerentur, atque in tali mutatione quauis diuersas materiæ partes obseruassent, nihil dubitarunt affirmare, omnia ex corporibus quibusdam specie differentibus conflari, quæcunq; præter elementa hîc generantur & corrumpuntur. Et ne sim longior, nec in animalium corporibus, quæ nullus composita esse negauit, nec in fructibus & lacte, alijsq; talibus immorabor, sed in illis solis te iubebo obseruare, quæ minus manifestam sensibus habent compositionem. Itaq; aquam, vinum, succos alios tales inspicito, quoties vel suapte sponte ac naturaliter, vel ab arte corrumpuntur: & apertè videbis eos in dissimiles substãtias dissolui. Sanè cùm vinum optimum & clarissimum putrescit, fæcem subsidere crassam & terream cernimus plurimam. Exhalauisse partem, copia seu quantitas diminuta declarat. Relinqui partes aqueas, & propemodũ insipidas, gustus probat. Idem in aqua, inq; succis quibuslibet deprehenditur. Multò euidentius in corporibus solidioribus minusúe liquidis apparet. Quoniam si vel solo pane, vel solis ossibus alas aliquod animal, nihilominus excrementa crassa, aquea, fumea generari conspicies. Si rursus ex hoc cibo vnico sanguinem genitum explores, non minus dispares continere partes experieris. Eadem est vrinę & aliorum omnium conditio. In omnibus enim reperies substantias diuersas, licet in vna euidentius & facilius separentur, quàm in alia. Ex hac solutione rerũ in partes adeo dissimiles intellexerunt veteres, res mistas ex diuersis corporib. per se consistentibus omnino conflatas commistasq; esse. Cùm aũt quę & quot illa essent corpora, ex quibus reli-

Numerus elementorũ quomodo inuentus sit.

qua conficerent, studiosè inquirerent, atq; ignẽ, aquam, aerem, ac terram ita corrumpi aduerterẽt, vt partium diuersitas eiuscemodi vel nulla, vel exilis admodũ occurreret, clarè cognouerũt, hæc esse aliorum materiã. Sanè cum flamma corrumpitur pura, præter aerem in loco nihil cernitur. Licet hoc manifestè videre in subita flammæ extinctione, cum scilicet euolare non permittitur, vt in cucurbitulis cùm accensa est, corporiq; subitò admouetur: aut cum aliter ignis repentè ac semel contegitur. In nihilum verti non potuit. Vt enim ex nihilo nihil fit, ita quod aliquid est corporei, non potest ad nihilum reduci. Nihil autem præter aerem apparet. Quocirca non est in substantias dissimiles dissolutus seu corruptus. Eodem modo cum aer in ignem mutatur, siue inceditur, excrementum transmutationis nullũ occurrit. Cum aqua purissima decoquitur, in aerem tota fermè vertitur, paucissimis quibusdam reliquijs remanentibus: quas ei permistas fuisse, & ad substantiam non pertinuisse præclarè intelligebant. De terra maior fuit dubitatio. Veruntamen cùm eam receptaculum & velut officinam generationum atq; corruptionum attendissent, nõ valde mirati sunt minus puram esse. Tali via incedẽtes veteres primùm obseruarunt necessariò elementa quædã esse. Et cùm non nescirent, simplicia compositorum esse principia seu materiam, simul hoc quoque cognouerunt, quæ omnium facta fuissent principia seu elementa, simplicissima in corporum genere esse oportere. Posthæc quæ & quot essent inuenerunt. Postmodum accuratius singula rimantes rationibus comprobarunt ac illustrarunt. FVR. Ingeniosè scrutati sunt, fateor. Attamen magna fuit apud veteres philosophos de Elementorum numero disputatio & sententiarum similitudo quæ res suspicionem nobis meritò parit, non tam euidenter

Corpus nõ potest ad nihilum reduci.

dentex

denter & clarè ipſos, quæ dicebas, vidiſſe. Certè poſteriores neceſſe habuerũt argumentis confirmare priuſquam perſuaderent, quatuor illa corpora aliorum elementa materiamque eſſe. Anaxagoras particulas ſimilares, Democritus atomos, Pythagorici, vt ex Timæo probatur, ſuperficies, Thales aquam, alij aerẽ, alij medium quoddam corpus inter hæc, alij aliud commenti ſunt. ER. De Anaxagoræ & Democriti ſententia nolim temerè contendere: ſed de alijs incunctanter affirmo, nihil eos dubitauiſſe, quin ex his quatuor, igne, aere, aqua, terra, per miſtionem coeuntibus naſcerentur, quæcunque præter ipſa oriuntur & intereunt. De Platone quiſquis dubitat amens eſt. De Thalete, Anaximandro, Heraclito, & ſimilibus idem iudicauit Galenus, cum ſic ſcripſit. καὶ μοὶ δοκοῦσιν ἅπαντες ἐκεῖνοι τὴν ὕλην ὀνειρώττειν, ἣ κοινὴ πᾶσιν ὑποβέβληται τοῖς στοιχείοις, καὶ ταύτην μίαν ὁρῶντες ἓν ὑπολαμβάνειν εἶναι καὶ τὸ στοιχεῖον. In hoc igitur iſti errarunt, quòd hæc quatuor ex alio quodam corpore fieri cenſuerunt, licet miſta ex his non minus alijs proximè generarent. Deceptionis cauſam putat Galenus, quòd non intellexerunt materiam tantũ eſſe omnium communem, ex qua cum actu conſtitueretur elementũ. Videbant elementa in ſe mutuò trãſmutari: nec qua ratione hoc eueniret, ſatis videbant. Certius nihil poteſt dici, quàm veteres omnes, aut ſaltem pleroſq;, miſta ex quatuor elementis noſtris creauiſſe: ſiue ex antiquiore corpore fabricarent, ſiue prima eſſe crederent. Anaxagoræ atq; aliorum opinionem confutauit egregiè Ariſtot. in 1. Phyſ. & Democriti phantaſiam in libris de Cœlo & Mundo cribrauit. Quomodo Galenus ex rerum compoſitione probarit ex quatuor elementis conflata eſſe corpora omnia, in 1. de Elementis legere poteris. Hippocratem nõ tantùm hominem, ſed res omnes ex eiſdem conſtituere, tam docet firmè

Hippocrates res omnes ex

quatuor notis elementis constituit.

Galenus in eodem lib. cap. 8. ex ipsismet verbis Hippocratis, vt ambigere nullus possit. Vnum hic locum producam propter sequentia. Sunt enim Paracelsici quidam adeò impudentes, vt Hippocratem quoq; in partes suas traducere audeant. Τοιαύτη γὰρ καὶ ἡ τῶν ζώων φύσις ἐστὶ, καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων. γίνεται γὰρ ὁμοίως πάντα, καὶ τελευτᾷ ὁμοίως πάντα. συνίσταται γὰρ αὐτέων ἡ φύσις ἀπὸ τουτέων τῶν εἰρημένων ἁπάντων, καὶ τελευτᾷ κατὰ τὸ εἰρημένον ἐς τωυτὸν, ὅθεν περ συνέστηκεν ἕκαστον. ἐνταῦθ' οὖν καὶ ἀπεχώρησεν. Natura, inquit, animalium, rerumque aliarum omnium talis est. Generantur enim & intereũt similiter vniuersa. Quoniam constituta est natura eorum ex prædictis omnibus (nempe ex calido, frigido, humido, sicco: siue ex igne, aere, aqua, terra) & occidit, sicut prædictum est, in idem vnumquodque ex quo conflatum est. Huc igitur secedit: nempe ignis ad ignem, aqua ad aquam, aer ad aerem, terra ad terram. FVR. Præclarè equidem video antiquissimam esse hanc opinionẽ, quam ita confidenter ausus est Hippocrates asserere: velim nihilominus audire quomodo probari possit elementa esse quatuor. Dubitarunt enim aliqui non tantùm olim apud veteres, sed & hodie ausus est Cardanus ignem ex censu elementorũ rationibus quibusdam submouere: quas suo deinde loco tuis opponam. ER. Aristoteles quatuor esse probauit pro more suo breuiter in Meteoris, ex analogia & proportione materiæ. Cùm enim contraria sint, ita diuisa esse secundum materiæ proportionem conueniebat, ne vnum virtute actioneque sua corrumperet cætera. Alij ex principijs Aristotelis idem monstrarunt, argumento sumpto à natura motus recti. Sed hæ ostensiones magis seruiunt elementis compositionis, quàm mistionis. Quamobrem his præteritis, quæ ad institutũ nostrum propius pertinent, considerabimus. Iam ostendi sensus nostros ele-

Rationes quatuor duntaxat elementa probantes.

men-

mentorum numerum nos docere. An oblitus es sensibilium iudicem esse sensum, intelligibilium intellectũ? Si de numero, qui hîc iam adsumus, orietur quæstio, An non desipere arbitrareris argumentis demonstrare conantem tot nos esse, cùm numerare nos oculis posset? Corpora mista, cum corrumpuntur, in diuersa corpora dissolui clarè videmus. Etenim quando pomum, exempli gratia, putrescit, partes aliquas instar aeris exhalare, quasdam instar aquæ humidas in superficie hærere, crassas & terreas subsidere cernimus. Easdem non minus perspicuè in integro deprehendimus. Quoniam aereas continuè effluere nobis declarant tum odor, tum rugæ cutis magis magisq; apparentes. Aqueas si vel leuiter digitis compresserimus, similiter conspicimus. De terreis nullus ambigit. Easdem partes in corporibus mistis omnibus sensus comprehenderunt, tametsi in alijs terreæ, in alijs aqueæ, in alijs aereæ superent. Tria hoc pacto elementa perspicuè inuenta sunt. Nam corpora hæc simplicia, & non mista esse, corruptio eorũ probauit, vt suprà declaraui. FVR. At Paracelsus modum docet, quo ex singulis elementis quatuor alia elici queant. ER. Elementa, quæ apud nos hîc sunt, non esse pura, sed aliena quædam habere sibi admista corpora, certum confessumque est omnibus. Quare fieri potest, vt in vnoquoque elemento diuersi generis aliquid, licet exiguum sit, reperiamus. Qui primi ista obseruarunt, terram impurissimam esse animaduerterunt. Imo puram non alibi, quàm in centro inueniri crediderunt. Mouerunt eos tum alia, tũ quòd eam velut centrum esse perspexerũt, in quod confluerent omnia. Certè receptaculũ ac velut sinus quidam est, in quo natura partus suos omnes, aut saltem plerosque miscet, generat, fouet, alit, auget, conseruat. Paulò minus impuram deprehenderunt aquam: pu-

Elementa nostra non sunt pura.

riorem aerem: illum præsertim, qui à terra & aqua recessit longius: purissimum in globo suo existentem ignem. Ratio est, quod ad mistorum generationē creata elemēta creatoris iussu loca infima facilius petunt: vbi rerum generationi subseruiant. Etsi igitur aerem, exempli gratia, nonnihil aquæ, terræ, ignis, in se habere perspexissent, aerem tamen simplex corpus esse incunctanter pronnunciarūt: quod maximam eius partem simplicem, inque alia elementa totum permutari, non in diuersi generis corpora, instar aliorum quorundam resolui conspexissent. Ergo si Paracelsus ex aere quatuor elemēta potuit efficere, ex impuro aere tale quid separauit. Et ignem ex aere facere caret difficultate. Aquam ex aere puro quomodo virtute ignis fabrices difficilius est dictu. Quanquam veteres vnum elementum supponentes ex hoc cætera crearunt rarefactione & condensatione, vt ex Hippocrate liquet. Sed esto, ex aere nostro separētur aer alius, ignis, terra, aqua. Quæro an etiam ex hoc aere rursus eadem secerni possint? Si semper hoc fiat, abibit res in infinitum: quo nihil potest absurdius cogitari. Si tandem purus inuenietur aer, habemus quod quærebamus. Quantum porrò fidei sit tribuendum huic de elementorum separationi mendacio Paracelsi, prudens intelliget Lector, si, quæ in 2. Archid. scripsit, attentè perlegerit, accurateq; examinarit. Sufficit nobis hoc loco mōstrauisse, rectè antiquos ex euidentibus de tribus elementis ratiocinatos. FVR. Quænam tria illa dicis? ER. Terram, Aquam, Aerem. FVR. Ego verò memini me legere, veteres Chemiæ studiosos, quos solos appellare solent philosophos Chemici & Paracelsici, de aere plurimum dubitauisse: propterea quòd in separationibus eum nusquam separatè reperissent. Equidem ex Paracelsi discipulis vnus, quem ego propter candorem & in arte sua

Cur elementa facilius infima petant.

Paracelsi opinio de separatione trium elementorū ex singulis elementis uana est.

te sua experientiam (in qua supra annos triginta summo studio laborauit, ac longè plura cæteris obseruauit) maximi semper feci, sic scribit. Quartū elementum aer scilicet, non est per se, aut in subiecto suo, perceptibilis. In vento & in nube non sentitur aer, sed aqua: quę per transmutationem est aeri permista. Et paulo pòst. Nihil aliud ibidem inuenire potuerunt vnquam, nisi tria, quæ dicta sunt. Aerem simplicem aut compositum ab alijs nullo segregare potuerunt artificio: sed semper aquæ didicerunt, vel igni sub oleo, permistum esse. ER. Idem hic Paracelsi discipulus mihi quoque visus est ab euidentia rerum minus discedere, pietatisque studiosior esse multis alijs. Sanè ingenuè concedit aerem elementum esse quartum, licet in distillationibus nulla possit arte separatim ostendi: plus tribuēs euidentiæ in hac re, quàm arti suæ. Quòd si vera sunt quæ hìc scribit, quomodo vera potuerunt esse, quæ de elementorum separationibus affirmauit Paracelsus? Sanè hic paulò pauciores annos exercuisse Chemiam videtur, quàm Paracelsus vixit. Sed hæc extra propositum dicta sint. Tria elementa manifestè sic cognita sunt quibuslibet perfectis mistis inesse. De quarto, scilicet igne, minus dubitarunt, quòd calorem quendam in omnibus mistis percepissent, quem à solo igne nasci posse præclarè perspexerant. FVR. Quibus argumentis permotos putas, vt ita censerent? ER. Grauissimis ac certissimis. Sanè res vna in pluribus & distinctis rebus inexistens non potest nisi ab vna causa effecta fuisse. Causæ namque diuersæ generant effectus diuersos: communes nihil pariunt, nisi commune aliquid possideant, per quod communem illum effectum generent. At calor in discrepantissimis rebus vnus genere inest. Quare à cōmuni aliqua causa productus est. Deinde quotiens res vna magis minusq; communicata

Aer nō potest in Chemia separari ab alijs elementis.

Argumēta docetia ignem in mistis cōtineri.

est discrepantibus rebus, omnino est necesse, vt, quod alijs communicat, perfectissimè idipsum habeat, quod alijs tribuit. Quòd autem alia magis alia minus eodem participant, ex eo accidit, quòd propius alia alijs ad illud accedunt. Si namq; vnicuique per se, & ex propria sua natura conueniret, æquè perfectè singula obtinerent. Certum porrò est, calorem maiorē ac minorem inesse rebus mistis omnibus, quantumuis natura dissimilibus. Equidem in aliquibus inest adeò copiosus, vt planè vrat: in quibusdam vix, imò ne vix quidem sensibilis est: in nonnullis medio modo inuenitur. Et omnes hi ordines, gradus fermè infinitos habent. Quo fit, vt ex sua natura non habeant, sed aliunde eum accipiant. Vnde autem habeant, si non ab igne accipiant? Igne in rebus naturalibus nihil est calidius. Ergo cùm semper, quod summè tale est, causa sit aliorum, quæ minus talia sunt, ab igne habent res mistæ, vt magis minusque caleant. Equidem in omni genere aliquod esse oportet, quòd sit aliorum mensura & causa. Quare & in calidorum genere. Hoc autē vocamus ignem. Demum quæcunque participatione aliquid sunt, ad illud velut ad causam reducuntur, quod per se tale est. At res mistæ calidæ sunt per aliud quodpiam seu participatione. Quocirca aliquid est primò & per se calidū, quod aliorum sit causa. Hoc autem quid sit, si ignis non sit, ne quidem fingi potest. Quippe quæcunque calefiunt, ab igne aliquo calefieri videmus. Cæterùm cum viderent ignem hunc nostrum violenter hîc detineri, sponte sua semper sublimia petere, suum ei locum in alto attributum, in quo secundum naturam seruaretur, cōcesserūt. Corpus ergo simplex esse cum experti fuissent, nec aliud eo calidius aut æquè calidum occurrisset, rectè collegerunt, ignem caloris sui participes res mistas efficere. At non potest hoc præ-

ſtare,niſi cum ipſis permiſceatur. Ex igne igitur vnà cũ alijs res miſtas conflari ex his concluſerunt. In ſecun do de Generatione & corrup. hoc vtitur inſuper argumento Ariſtoteles. Quæ miſcentur, mutuò agunt & patiuntur. At actio eſt contrariorum. Quare ſunt contraria quæcunque verè miſcentur. Conſtat porrò in miſtis eſſe aquam, corpus frigidum & humidum. Ergo ineſt etiam calidum & ſiccum, hoc eſt, ignis: qui princeps cauſa eſt miſtionis. FVR. Non poteſt ignis res calefacere, abſque eo, vt ipſis ſit permiſtus? Certè multa calefacit, cum quibus tamen ipſe non miſcetur. Præterea in miſtis non perinde ignem ſenſus clarè percipiunt, ac reliqua tria. Sed nec ſublimationes ignem inueniunt. An non potuit calor, qui in miſtis ineſt, à cœlo communicari? Solem certè quotidie calefacere ſentimus hæc noſtratia abſque igne. Addam illud etiam, non debuiſſe Ariſtotelem ex motu ignis ſurſum tendentis concludere in ſublimi alicubi eundem conſeruari, ſed potius in aerem diſſolui: quod ita fieri videamus. ER. Ignem calefacere quædam, cum quibus non miſcetur certum eſt. At calorem iſta nõ diu ſeruant ab igne ſemota, niſi in ignem permutata fuerint. Res aũt miſtæ calorem ſuum ſeruant per omne durationis ſuę tempus. Quare neceſſariũ eſt, vt ſubſtantiam calidam permiſtam habeant. Sanè ferrum, lapides, ligna, calefacit, ac ignea reddit. Sed nõ multò poſt abitum ignis redeunt ad priſtinam ſuam naturam. Non poſſunt igitur miſta tempore quouis calida eſſe ac permanere, ſine calidi elementi permiſtione. Multa certè ex miſtis hactenus calent, vt etiam vrant, idque media hyeme, ignibus omnibus longè remotis. Conſidera tantũ animalia, in quib. calor manifeſtus eſt ipſo mox tactu perceptibilis. Idem hic moriente animali mox exhalat. An dubitas num hic calor ab igne ortũ habeat? Certè nihil

Ignem non eſſe in miſtis probatur.

Reſponſio ad argumẽta prædicta.

est aliud quàm ignis perfectè mistus, & ad mediocritatem redactus. Vnde autem & quibus rebus fouetur & conseruatur hic ignis in animalibus? Cibo nimirum & potu. Ergo & in his est ignis. Aluntur enim & augentur res quælibet eisdem illis, ex quibus constitutæ sunt. Hinc alimenta videntur nomen sortita esse, quòd sint rerum, quas alunt, tanquam elementa. Ideo autē sensus non cōprehendunt cum cæteris elementis ignem, quia hunc, cùm maximè sit inter elementa actiuus, magis alijs retundi in mistione oportuit, ne mistum ante tempus corrumperet. Profectò rectè ab Aristotele affirmatum fuit, ab igne puro nihil generari, sed corrumpi potius omnia, quæ ab ipso attinguntur. Quocirca paucum esse in mistis oportet, exacteque mistum. Deinde quia est corporum omnium tenuissimum, non potest facilè vllis instrumentis vinctus teneri, cùm est à cæteris separatus. In sublimationibus igitur cum tenuissima parte aeris expirat, vt cerni nequeat. Tam nō potest à cœlo rebus mistis calor contribui, qui in eisdē constanter permaneat, quàm non potest ab igne hoc eis dari: quod apertè satis paulo antè ostendimus. Cæterùm insania est, putare cœlestia nobis huc demittere partes sui corporeas, quæ pars fiant materiæ mistorum. Quare neque Plinij neque aliorum sententia potest admitti, qui cœlestia instar sublunarium cōtra sensuum perceptionem mutabilia statuunt. FVR. Cœli corruptionem vereri non debes, si elementum sit, & generationes fructusque statis temporibus producat. Terram ante oculos habes æquali perpetuitate stabilem, vtcunq; in annos & horas mutabili fructuum varietate gaudeat. ER. Agnosco Thrasonis verba. Sed responsum iam est. Si mistorum substantia differt re vera à substantia miscibilium, necessarium est, vt mutabilis sit horum substantia. Quare cœlestia instar sublunarium

rium

narium ſunt corruptibilia: quod abſurdius multò eſt, quàm vt refutari debeat. Nec excuſat, quòd totum non ſit neceſſe corrumpi. Nos enim nec terram nec aliud aliquod elementũ totum corrumpendum ante mundi finem ſcimus, & nihilominus comparatione cœleſtium verè corruptibilia nouimus. Quis terram neget mutatam & corruptam eſſe certo modo, in generatione oſſis, nerui, arboris, herbæ? Hæc omnia, quoniã corrupta iterum in terram ſoluuntur, & generari & corrumpi continuè terræ partes dicimus. Quòd qui de cœlo cœliúe partibus vel cogitare audet, pro ſano minimè habendus eſt. De Ariſtotelis ratione, qui plura vult cognoſcere, legat Scaligerum aduerſus Cardani ſubtilitates diſputantẽ. Conſtat corpus naturale ſuum appetere locum. Ignis autem corpus eſt naturale, ac ſurſum mouetur. Proinde ſpacium locumúe ſuum habet in alto ſupra aerem, ſupra quem fertur. Quòd corpus ſit, ne Cardanus quidẽ puto negare audebit. Quippe ſubſtantiam, & quidem viſibilem concedit eſſe, à ſummo corruptam calore. Quòd elementum ſit, & ex dictis & ex dicendis intelligi poteſt. Et quomodo non putes delirare hominem, qui ignem eſſe dicat ſubſtantiam à calore corruptam, quomodo aqua in glaciem verſa corrupta ſit à frigore ſubſtantia, & eandem ſubitò dicat extremam caliditatem ac ſiccitatẽ ſubiectum corrumpentem? An idem ſunt ſubſtantia corrupta & caliditas corrumpens? An fortè ſubſtantia corrupta fit accidens hoc, à quo corrupta prius fuit? An nõ ſunt hæ Chimeræ ſimiles Paracelſi delirijs? FVR. Quid ſi aeris partes aliquas dicamus à cœlo calefieri & ſiccari ſic, vt ignis fiant? ac proinde ignẽ aliud non eſſe, quàm aerem inflammatum? ER. Si hoc pacto diſtinguas aerem, vt incenſam & feruentem partem voces ignem, partem aliam appelles aerem, non de re, ſed de verbis

Cœli non ſunt corruptioni ſubiecti

litigabis. FVR. Sanè rationem nullam video cur ignem inficiemus esse Elementum. Etenim Cardani rationibus mihi quoque visus est Scaliger eruditissimè occurrere. Quin & ex iam dictis quædam rectius intellexi. Videre namque mihi videor, cur peritiores philosophi ignem in mistis formæ rationem quandam obtinere dixerint. Etenim non tam materiæ corporisque gratia, quàm actionis causa inesse eum oportuit. Est enim instrumentum naturæ, quo motiones omnes naturales præcipuè perficit. Rectè autem actiones & generationes igni attribuuntur, propter caliditatem inter qualitates primas habitus & formæ rationem obtinentem. Equidem Sapientes ignē imprimis vitæ causam dixerunt. Aristoteles quoq; vitam asseruit esse participationis animæ in calore insito per durationem: vitam sine calore iudicans consistere nullo modo posse. Nec aliud, puto, veteribus persuasit animā esse ignem, quàm quòd vitæ actionumque propè omnium præcipuam causam esse viderunt: earum, inquam, quas cognitas ipsi habebant. Quin etiam Paracelsus vitam & animam alicubi putarit nihil esse præter ignem: quod Cardano quoque non semper displicuit. Hoc certè liquidò patet omnibus, ita ingenitum ignem perficere mistiones & coctiones, quomodo in artificialibus externus ignis easdem conficit. Scitè igitur Aristoteles calorem primum naturæ instrumentum & cœlesti naturæ proximum scripsit. Cæterùm imaginabile non est, quomodo internus ignis motionum actionumque naturalium causa sit vel instrumentum, siquidem per subiecti cuiusque substantiam diffusus exporrectusq; negetur. Quippe non satis est, vt forma partes subiecti omnes informet, verùm etiam instrumentum, quo primò suas operationes exercet, ac sine quo nihil admodum agit, vbique præsto esse, perque omnes partes extensum

Ignis inter elemēta formæ & habitus rationem obtinet.

Ignis non potest instrumentū esse formæ, nisi pars misti sit.

tensum conuenit. Iam cum vno & eodem calore formæ omnes rectè vti nequeant, sed proprio & peculiari quodam singulæ egeant, atque calor ignis maior & minor alia ratione nulla efficiatur, quàm si diuersa & inæquali proportione cum alijs elementis permisceatur, ambigere non potest quisque sanus, quin perfecta mista omnia ignem in se contineant. Quod vt est in causticis etiam tactui exploratum, ita in alijs facilè intelligitur verum. Attamen scire velim, cur non conspiciatur ignis in mistis, sicut alia elementa videntur? ER. Causa iam suprà exposita fuit. Nunc illud insuper te monebo, eum ne in propria quidē sua sphæra semper videri. Sed ibi propter raritatem, in mistis propter contrariæ materiæ admistionem non lucet. FVR. Si supra aerem collocatus esset purus, maximè luceret: ac saltē aliquando videretur. ER. An tu nunquam æstate, aere serenissimo & purissimo existente, vesperi micare cœlum vidisti ac si fulgura ex nubibus erumperent? FVR. Vidi, & persæpe quidem. ER. At hæc fulgetra, vt sic nominem, nil aliud esse videntur doctis, quàm densatus ignis in sua sphæra (propter motum cœli) qui mox iterum diffluat. Multi ex veteribus in ea fuerunt opinione, cœlorum materiam à syderum materia non differre, nisi densitate & raritate: nec aliam esse causam cur hæc lucida esse videantur, illi non sic nobis appareant. Sed quid est opus alijs? An non ignis est, à quo assantur in verubus carnes? Est sanè, vt scitè monuit Iul. Cæsar Scaliger. Atqui ignis hic, qui carnes proximè attingit & coquit, nec videtur nec lucet, propterea quòd in aere inest puriore, quàm flamma. FVR. Cardanus negat ignem esse hunc fumum seu aerem calefactum, quòd non sit summè calidus. ER. Cardano liceat dicere, quod libet: nobis contra verum asserere nihil licet volentibus & prudentibus. Carnes hic ignis

Forma quælibet calore proprio utitur.

Ignis nō uidetur in propria sphæra.

non aſſat modò, ſed in carbones vertit tandem. Si non credis, manum admoue. Num verò iuſta mouetur ratione, quia non vrat inſtar carbonum aut candentis ferri? Atqui ſæpe dictum ei eſt, corpus quodlibet in ſe collectum, viribusque vnitis, aut in materia denſa multiplicatis efficacius agere, quàm in rariore materia. An flamma ex paleis accenſa ignis non erit, quia non inſtar liquefacti ferri perurit? Nimis abſurdè talia dicuntur. FVR. Quid de Ariſtotelis demõſtratione tibi videtur, qua numerum quaternarium elementorum ex numero qualitatum oſtendere conatur? ER. Præclariſſimè de eadem ſentio. FVR. Rogo te, vt mihi eam explices. ER. Si exactè voles intelligere argumentationis illius robur, præſcire te quædã oportet. Primum eſt, impoſſibile eſſe, vt quod ex duob. aut pluribus tanquam materia componitur, ſubſtantiam à cõponentibus diuerſam ſortiatur, ſi componentia ſuas naturas integrè conſeruent. Equidem ſubanſttia domus (de materia loquor) non eſt diuerſa à ſubſtantia lapidum & lignorum, ex quibus vt materia conſtructa fuit. Secundum, res miſtas toto genere alias ſeu diuerſas eſſe ab elementis, ſiue ſingula ſeorſum ſumantur, ſiue ſimul omnia quacunque proportione iuncta, abſq; totius ſubſtantiæ tamen alteratione, animo concipiantur. Sanè longiſſimè aliud eſt caro, pomum, lac, ab igne, aere, aqua & terra. Tertium ex his conſequitur neceſſariò, nempe elementa, cum ad cõſtitutionem miſti coeunt, mutuò tota alterari. Quartum, alterationem totius ſubſtantiæ non poſſe fieri ſine qualitatibus contrarijs inter ſe agentibus & patientibus. Etſi enim forma primum agendi principium eſt, vt anima ciborũ coctionis, non tamen agit primò, ſed interueniente qualitate vt in cibi coctione intercedit calor. Quintum, qualitates primorum corporum primas quoque eſſe, non

Elementorum numeri ex qualitatum numero demonſtratio.

1. 2. 3. 4. 5. (margin numbering of the points)

ex a-

ex alijs conflatas: quod per se notum est. Sextum, nullũ 6.
corpus inueniri, vnica præditum qualitate: quod tam
est verum, quàm est certum, bis duo efficere quatuor.
Postremum est, qualitates effectrices totas rerum sub- 7.
stantias, non solam superficiẽ alterantes, numero qua-
tuor esse. Hoc euidentissimè sensus docent, sicut à Ga-
leno diuinè declaratum est in lib. primo de Element.
cap. 9. His positis, de quorum veritate impossibile est
intelligentes ambigere, firmitas ratiocinationis Aristo
teleæ facilè perspicietur. Summa hæc est. Tot sunt e-
lementa mistionis seu mistorũ, quot sunt primæ qua-
litates, totas rerum quarumlibet admotarum substan-
tias alterare valentes. Etenim quòd hac qualitate ca-
ret corpus, misti elementũ esse nequit, si modò totam
misti substantiã concedimus aliam fieri à substantia e-
lemẽtorum: quod absq; totius substantię elementorũ
alteratione impossibile est. Cæterùm qualitates primę
admota sibi tota peruadentes ac alterantes quatuor
tantùm reperiuntur. Tot igitur sunt elementa, quot
modis hæ qualitates iungi poterunt in subiecto sim-
plici & vno. Cùm enim vna qualitate sola exornatum
corpus nullum sit, ac proinde iungi eas in elementis
oporteat, coniungi autem modis duntaxat quatuor
possint, quatuor tantùm necesse est mistorum elemen
ta statuere. Constat porrò has qualitates primas inue-
niri in igne, aere, aqua, terra. Hæc ergo quatuor, alia nul
la, sunt mistorum omnium elementa seu materia.
FVR. Cur tactus & tactilium qualitatum facit men-
tionem Aristot.? ER. Quia qualitates perscrutabatur
primas & generalissimas. Quippe elementorum qua-
litates vestigabat, quæ communis materia sunt misto-
rum omnium. Tales autem ab alio sensu nullo sentiri
videbat, quàm communissimo. Sanè constat nullam
esse qualitatem insensibilem in corporibus naturali-

bus. Frustra namque esset, quæ sentiri non posset: aut saltem non ponenda esset in catalogo qualitatum corporalium. Certum non minus est, non omnes sensus percipere qualitates quaslibet. Quare cum tactum sciret esse sensum maximè communẽ ac primum, etiam illud nouerat, communissimas eum sentire qualitates. FVR. Quid ergo? num tu quoque in hac es hæresi, vt qualitates putes formas esse elementorum? ER. Si elementa consideres vt corpora seipsis subsistentia, & partes mundi, dubium nō est, quin actu substantiali suo subsistant. Hic actus seu forma id est, quo subsistũt: at non est tamen causa, vt ad mistionem veniant, atque se mutua actione ac perpessione tum corrũpant, tum generent. Non ergo ab hac forma, quæ actum ipsis dat, hoc habent, vt sint mistorum elementa. Quod dico tale est. Ignis à sua forma habet, vt sit, quod est: sed ab hac forma non habet, vt causa sit combustionis, exempli gratia, domus. Hanc enim ignis comburit per caliditatem, qua sibi admota tentat assimilare. Qualitates igitur primas dicimus esse formas elementorum, qua sunt elementa mistionis, non autem qua sunt corpora seu partes mundi seipsis subsistentes. Nam sicut elementorum materia corporum mistorum elementum est, ita qualitates eorundem velut elementa quædam sunt, non quidem mistorum, sed temperamenti, quod in mistis inest. Siue igitur dicas, Qualitates primas esse principia elementorum, siue formas, non valde laboro, modò rem rectè intelligas. FVR. Nunc demum videre mihi mentem Aristot. in secundo de Ortu & interitu videor. Statueram plurima tibi ex Paracelso & discipulis eius, itemque Cardano obijcere: sed video in tua declaratione omnia dissoluta. Si rectè percepi quæ disseruisti, ex rerum mistarum corruptione sensuum beneficio putas veteres elementa inuenisse hoc fermè

An qualitates primæ sint elementorum formæ.

modo

modo colligentes. Mista soluuntur in diuersi generis corpora: & tandem omnia partim in halitum, partim in aqueam substantiam, partim in cineres, vel terram, vel lutum resoluuntur: quantumuis in alijs aliæ partes huiuscemodi redundent magis minusque. Quare ex his constituta fuerunt. Hæc porrò corpora cum corrumpuntur, non in partes dissimiles corrũpuntur, sed tota in aliud permutantur: quod in aere & igne manifestissimè apparet. In aqua etiam puriore minimum relinquitur, quod non expiret in aerem conuersum. In terra minus hoc cernitur, quia velut basis & prõptuarium quoddã facta cum sit mistionũ propè omnium, minus esse pura debuit. Hoc tamẽ in his omnibus clarè esse videmus, maximam omnino eorum partem in corpus aliud totam transmutari. Quamobrem in se ipsis simplicia sunt, ex alijs corporibus nullis composita. Huius naturæ cum plura non reperiantur his quatuor, scilicet igne, aqua, aere, & terra, necessum est hæc quatuor elemẽta esse corporum mistorum omnium: & neque plura neq; pauciora inueniri in perfectis mistis. Idem hoc Aristoteles hac ratione conclusit. Mistorum substantiæ prorsus aliæ sunt à substantijs miscibilium. Hoc esse non posset, si miscibilia se mutuò non alterarent tota. Quæ igitur corpora primò habent qualitates simplices illas, quæ per totam admotarum rerum substantiam permeare totamque alterare valent, materia sunt aliorum corporum. Cæterùm nulla inueniuntur, quæ priora igne, aere, aqua, terra, qualitates totas rerum propinquarum substantias peruadentes ac alterantes (quales quatuor duntaxat repertæ sunt) obtinuerint. Nam quæ præter hæc possederunt caliditatem, frigiditatem, &c. non habent eas simplices & summas, sed mistas, temperatas, & repressas. Hæc ergo sunt mistorum elementa siue materia. ER. Vides

Summã eorũ quæ de elementis sunt dicta.

quanta sit hominis illius temeritas, qui inaudita demonstrationum methodo ex primarum qualitatum numero, elementorum numerum constitutum ait? Has qualitates cum mortuas & steriles vocat, ratione se spoliatum declarat: nec Magistri sui placita se videt euertere. Quanquam hoc facilè sit excusaturus contrariorum locorum recitatione. FVR. Quid si ex authoritate Theophrasti nostri tibi negem, singula elementa binas in se habere qualitates? Verba eius hæc sunt: Ignis tantùm calidus est, nec siccus, nec humidus. Terra solùm frigida est, neq; sicca neque humida. Aer siccus duntaxat est, nec frigidus nec calidus. Aqua humida tantummodò est, nec frigida nec calida existens. Et mox. Hoc præceptum est in elementis, vt vnicam habere qualitatem intelligamus, absque adiectione caloris, frigoris, humoris, ariditatis. Si possunt enim spiritus esse simplices, vt non sint duplices, etiam elementa possunt. Quanquam verò in mortalibus compositæ sunt qualitates, vt caliditas cum humiditate, non tamē id ita habet, quemadmodum veteres senserunt. Nam colicus dolor ab igne oritur, non à caliditate & humiditate, sed à caliditate sola. Quòd si morbus aliquis deprehenditur calidus & siccus, cogitandum est duo ibidem esse elementa, quorum vnum in iecore, alterum in liene sit, exempli gratia, non autem quòd vtrumque sit in viscere vno. Non possunt elementa duo simul esse, nec vnum potest calidum siccumque esse. Quippe vbi calor est, ibi nec frigiditas, nec humiditas, nec siccitas est: sic vbi frigiditas est, nulla reperitur aliarum qualitatum. Ratio eadem est humiditatis & siccitatis, cum vnumquodque elementum præditum sit vnica qualitate, non gemina. Quoniam secundum philosophiam nostram possibile non est, vt cum caliditate iungatur humiditas. Non enim aquæ elementum compatitur

cali-

caliditatem. Neque caliditas in humore consistere potest, propterea quòd vtraq; est peculiare elementum. Eodem modo nec frigiditas fert siccitatem, sed per se sola manet. Siccitas enim est frigiditatis corruptrix. Quàm nō possunt conciliari humiditas & siccitas, tam non possunt iungi frigiditas & siccitas, vel caliditas & humiditas. Sicut enim pugnant calor & frigus, sic pugnant frigus & calor cum humiditate & siccitate. In Meteoris quoque negat terram frigidam & siccam: aquam frigidam & humidam esse, &c. In Præsagijs verò philosophari illos dicit, qui duo solummodò ponunt elementa calidum & frigidum: & ignauum esse, qui statuat quatuor. Non enim posse humidum & calidum simul consistere, vt nec frigidum & siccum. Item calidam rem nullam reperiri, quæ calida pariter & humida sit: inque eo veteres errauisse, quòd in vno elemento vtramque qualitatem inesse censuerint. ER. Nolo sceleratas hasce nugas refutare: tantùm indicabo quomodo ipse seipsum refutet. Quæ ex 2. ad Athen. citasti, in 1. negauit his verbis. Elementa quatuor ex vna materia secreta diximus, calidum & siccum, factum est cœlum; calidum & humidum, aer, (ex quo inuisibiliter calidum humidumque separata fuerunt) frigidum ac humidum mare: frigidum siccumque, terra. In Meteoris cùm nullam tribuit elementis qualitatem, omnes tamen concedit. Sic enim esse generans quomodo generatum est. Singula porrò elemēta generare seu producere diuersissima. Quanquam huius quoq; contrarium scribat ad Athen. multa ex igne frigida nasci affirmans, tametsi frigidus ipse non sit. Sic in Astron. Terram, ait, in se ipsa frigidam esse & siccam, tametsi fructus frigidos, humidos, calidos, siccos pariat. In præsagijs calori siccitatem, frigori humiditatem paulò post adiungit sociam, vt nusquam sibi constet. Rationes cō-

Qualitas quælibet ex primis est elementum Paracelso.

Duo tantum elementa ponit Paracelsus.

sidera. Spiritus est simplex,ergo elementum vna qualitate præditum est. Rectè sanè dicit iuxta suam philosophiam non posse calorem cum humore aut siccitate iungi. Nam secundum naturam à Deo creatam longè aliter habet: quod ego à nullo sanæ mentis homine à condito mundo negatum constanter credo. Aquæ elementum,inquit, non patitur caliditatem, nec caliditas cum humiditate copulari potest: quoniam vtraque est elementum. An tu sanum putas sic loquentem? Itaque fatuus sim, si insanas hasce præstigias impugnare pluribus vel cogitem solum. FVRN. Nihil desidero amplius, ac sine ratione de Elementis Paracelsum loqui iam video. ERAST. Adde iam his,quæ recta docuit ratio, sacrarum literarum testimonium,vt vndique veritatem sibi consentientem videas. Deum de principio cœlum terramque creauisse scribit Moses. Quibus verbis indicat, Deum sub cœli & terræ seu elemētorum formis ab initio totam huius mundi materiam creauisse ex nihilo. De terra & aqua dubitari non potest,cum vtriusq; manifesta fiat mentio. De aere & igne aliquid est dubij apud illos, qui Scripturæ sanctæ consuetudinem ignorant,propositumq; Mosis non obseruant. Equidem Moses compendio res maximas voluit exprimere. Itaque extrema duntaxat, cœlum & terram creata dixit,cum totius mundi materiam significare vellet. Mox aquæ facit mentionē, & spiritus super aquas delati: quem alij aerem, alij Spiritum sanctum intelligunt. Nec multum refert, vtrum affirmetur, modò non simili audacia exponas, qua impius Paracelsus in lib. de Matrice exposuit. Aqua, supra quam ferebatur Spiritus Dei,inquit, erat Matrix fœminæ: Spiritus autem Dei spiritus erat, qui in homine est. Hoc constat apud Hebraicæ linguæ peritos, totum hoc vetustissimos Hebræos nomine cœli vel liquidi expri-

Sacræ literæ cōprobant doctrinam de 4. elementis.

Scelerata Paracelsi interpretatio.

Cœlū apud Hebræos quid significet.

exprimere,quod Græci cœlum,aerem,& ætherem nominant. Docti certè nullũ apud priſcos Hebræos, tempore videlicet Moſis, proprium aeris nomen extitiſſe ferunt,(In ſacris literis nullum reperiri cõſtanter aſſeuerant) ſed cœli nomen, aerem quoque comprehendiſſe affirmant. Poſteriores efferunt nomine Græco,vt aiunt. Nullus certè huius lingnæ gnarus neſcire ſcribitur,cœli nomen ab igne & aqua deductum compoſitumq́; eſſe:quòd in hac aeris parte terris propinquiore, pluuiæ,niues, rores, grandines, fulgura, fulmina, & meteora ignita alia quædam generentur. Vnde volucres cœli dicuntur aues. Sic in Scriptura pluuias de cœlo venire cœli meatus ſeu portas apertas fuiſſe in diluuio,& cœlũ æneum fore legimus. Significat ergo nomen cœli ſeu liquidi,vt quidam interpretãtur, totum hoc corpus,quod ab aquis ſiue à mari eſt vſque ad ſupremum cœlum. Nec malè vocatur aer liquidus ſeu fluidus,non ob id ſolùm,quòd pluuiæ,roris,pruinæ,niuium & grandinis eſt ſedes,verùm etiam quia maximè humidus eſt,maximèque fluit. Adde quòd haud aliter in eo aues volando mouentur,quàm in aqua piſces natando. Cuius rei gratia Moſes videtur auium & piſciũ creationem coniunxiſſe:niſi verbis iſtis, Et volent volucres ſuper facie terræ, aliquis putet, auium productionem aeri imperatam à Deo fuiſſe. Et quid opus eſt verbis? Paulò pòſt ait Moſes,Deum in cœlo ſydera,Solem, Lunam creauiſſe, quod de octauo à nobis firmamento ſeu octaua ſphæra intelligi non poteſt. Et multo plenius idem ex eo intelligitur, quòd aues volare dicit in ſuperficie cœli, hoc eſt, in aere. Sed nec aquæ poſſunt in cœlo aliæ oſtendi,quàm pluuiarum in aere. Quare cum de aquis loquitur Moſes per cœlum diuidendis,nõ de alijs,quàm de pluuijs videtur doctiſſimis quibusque fuiſſe locutus. Aquas itaque ſuper cœlum

vocauit aquas super aerem nostrum: quæ quanquam supra totum aerem non est, supra partem tamen eius est. Sic Iosephus & Esdras lib.4. cap.6. exponere videntur. Verùm quicquid dicatur, immotæ indubitatæque veritatis hoc manet, ex aqua & terra procreatas à Deo fuisse plantas, pisces, & reliqua animalia. Secundò certum est, neque terram, neque aquam pura tunc fuisse, vt ne nũc quidem sunt, sed reliquorum elementorum tantum habuisse in sese, quantum pro animalium, plantarum & aliarum rerum creatione satis fuit. Equidem permista fuerunt à Deo creata primùm, & postmodũ distincta: in qua secretione duo illa, quæ præcipuè fuerant materia mistorum futura, minus pura relicta fuerunt aere & igne. Quin & tertiò expresè meminit aeris, quando aues in superficie cœli volare iubet. Ignis explicatè non meminit, tum quia aliud ei erat propositum, tum quia res mistæ plus terræ & aquæ continẽt, quàm aeris & ignis. Illa enim duo elementa in primis materiæ, sicut iam dicebam, hæc autem, præsertim ignis, formæ rationem quandam habere debuerunt. Equidem si potuissent mista calida esse ac permanere absque ignis permistione, haud magnus futurus erat in mistis vsus ignis. FVR. Integrè mihi satisfactũ esse hac in parte libenter fateor. Non enim nescio Sacras literas eas artes non explicare, quas humanæ menti Deus tradidit inuestigandas, inueniendas & excolendas. Quoniam illa præcipuè nobis exponunt, quæ nobis imperceptibilia sunt, nisi cœlitus patefiant. Quare non quæro in sanctis scripturis plenam principiorum artium & scientiarum, quas homines rectè excogitarunt, declarationem, sed hoc solo contentus sum, si non repugnare verbo Dei edoceri queam. ER. Præclarè loqueris, & præclarissimè censes. Quippe insania foret omnes artes exactè in sacris literis explanatas quærere

Cur non meminerit expreßè ignis Moses.

rere. Nunc ergo mihi dicas velim, an non planè deteſtandam iudices illorum impudentiam, qui prædicta quatuor corpora miſtorũ omnium elementa negant? Equidem non modò tot ſeculorum conſentienti eruditorum omnium ſententiæ, verùm etiam ſenſibus & rationi: & quod ferendum multò minus eſt, verbo diuino palàm repugnant. Ego ſanè ſcienter veritatem aſpernantes, & impia ſuperbaque arrogantia bonas vtileſque artes opprimere conantes, inque locum ſalutarium exitioſas reponere volentes, quouis ſupplicio dignos eſſe cenſeo. FVR. Non repugnabo, quin malè, tria illa ſimpliciſſima Paracelſi elementa, vocẽtur Principia corporum vniuerſorum, ſiquidem ita principij nomen vſurpetur, quomodo in hac re Ariſtoteles eiuſque ſectatores vſurparunt. Etenim vnumquodque horum trium per ſe & in ſe ſubſiſtere docet, cum alibi frequenter, tum in lib. de trib. Principijs (vbi etiam arte à ſe inuicem ſeparari poſſe ait) vnumque aliorum auxilio minimè ad hoc egere aſſerit, vt exiſtat. Quòd cum de principijs hiſce philoſophorum ne quidem cogitare liceat, vt quæ κατ' ἐπίνοιαν χωριστὰ duntaxat eſſe Galenus affirmet, perſuaſiſſimum habeo, perperã hoc modo principia nominari. Principium enim apud Ariſtotelem eſt ſimplex quiddã adeò, vt ne cogitatione quidem diuidi poſſit. Corpus autem omne actu eſt in materia vel ſubiectoquodam: & proinde compoſitum eſt. *Omne corpus eſt compoſitũ.* Poteſt enim ratio diſtinguere in id quod habet, nempe materiam, & in id quod habetur, ſcilicet formam. Nihil interim prohibet, arbitror, ſic principia appellare, quomodo philoſophi ac docti omnes elementa nuncupant corporum miſtorum principia. Sunt ergo principia & elemẽta corporum, ex quibus omnia alia, etiam concreta & vulgaria philoſophorum elementa cum cœlo compoſita ſunt. Cæterùm infinitis propè

locis asseuerantes docet id Paracelsus, quod nuper dicebamus, scilicet tria illa prima rerum vniuersarũ primam esse materiam. Legimus hoc in Meteoris his fermè verbis. Verbo Dei, Fiat, tres species creatæ sunt: quę in quatuor elementa sunt distributæ. Et postea. Nihil est sub hoc Sole, quod non sit confectum ex his tribus, nec in eadem iterum resoluatur, ita quidem, vt visibilia sint: ac clarè probent, rem quãq; in hæc tria sic dissolui posse, vt singula seorsum existant. Mox hæc addit. Tria hæc sunt materia prima, nomenq; vnicum habẽt, sicut Deus, nempe materiæ primæ. Et sicut in diuinitate tres distinctæ sunt personæ, ita hîc etiam quælibet harum specierum per se aliud est secundum officium suum. Vt enim discriminata sunt officia Patris, Filij, & Spiritus S sic tria sunt munera disparia in his quoque, tametsi vno efferãtur nomine. Hæc porrò materia dispartita fuit à Deo in quatuor elementa. Summatim dicam. Vbique ferè ex his tribus fabricat omnia, cœlum, stellas, elemẽta, mista vniuersa, vt paulò post in eodem loco explicatissimè ait. Ex quibus aliud animo cõprehendere non possum, quàm elementa quoq; ex tribus hisce non quidẽ principijs Aristoteleis, sed primis corporibus cõmista conflataq; esse. Proinde duplicia sunt apud Paracelsum & discipulos ipsius elemẽta, pura sc. ac simplicissima illa decantata tria, & ex his cõposita vulgaria 4. elementa, ignis, aer, aqua, terra. Quanquam ignẽ non cõcedat elementum esse, sed pro eo cœlum supponat, ex quo ignẽ tanq̃ ex sua quadã matrice pronatum opinatur. ER. Ex recitatis à te patet hoc primũ, magna iniuria affici à quodã Thrasone viros eruditos, cum elementa eos à principijs ait non potuisse discernere, proprietatesq; vtrorumq; confudisse. Deinde liquet qualis sit Mosaicæ philosophiæ discipulus, quo cum nomine idem ornat. Pręterea quomodo sibi con-

Elemẽta apud Paracelsum duplicia sunt.

ſtet intelligitur. Illud inſuper etiam perſpicitur, quatenus à veritate diſcedat. Denique apparebit, quàm pulchrè à ſuis diſcipulis intellectus fuerit. Sanè præclarus fuit Moſis diſcipulus, ſiquidē ita nominari debet, qui ex profeſſo Moſi aduerſatur. Moſes à Deo primo die totam materiam ſub formis cœli & elementorum creatam dicit, Paracelſus tria ſua corpora ante omnia alia à Deo euocata fuiſſe ſcribit: ex quibus poſtmodū cœlum & elementa concinnata creataq; ſomniat. Quid poteſt magis pugnans excogitari? Quo in loco Moſes trium horum tanq̃ diuerſorum ab elemētis meminit? Moſes de principio dicit cœlum & elementa creata. Paracelſus affirmat prius tria quædam corpora producta (quanq̃ alibi æterna ponat) ex quibus poſtmodum cœlum & terra cōpoſita ſint. Ad Athenien. ſequentia ſcribit. Omnes creaturæ ex vna materia ortæ ſunt, quæ Myſterium magnum nominatur. Hoc myſterium mater eſt elementorū omnium, & auia ſtellarum, arborū, carniū. Deniq; creaturæ omnes ex hoc natæ ſunt ſenſibiles & inſenſibiles: licet nullæ actu ſeu expreſsè in eo ineſſent. Vt enim in vrina hominis quatuor elementa inueniuntur, quāuis aliud ipſa ſit ab omnibus, ita ex myſterio increato (hoc enim miſteriū non fuiſſe creatum plus ſexies affirmat in vno hoc libro) à ſummo opifice effecta ſunt omnia. Quomodo tu iſta conciliabis? Primum dicit tria ſua corpora à Deo creata: & ex his cætera deinde eſſe facta. Poſthæc ſcribit elemēta ex increato quodam myſterio per ſeparationē producta. Quinimò in principio 2. cap: Meteor. quatuor elementa ex nihilo immediatè procreata virtute verbi: idemq; hoc elementorū corpus in 4. deinde elementa diuiſum fuiſſe. Quantū hic accedit ad Moſen, tantum diſcedit à ſe ipſo: quo nec ſibi nec Moſi conſentanea loquatur. Taceo quòd impudēter & ſcelceratè comparat vnitatem

Qualis fuerit diſcipulus Moſis Paracelſus.

Materia prima Paracelſo eſt increata.

Scelerata comparatio Paracelſi S. Trinitatis cum ſale, ſulphure, mercurio.

essentiæ diuinæ ac personarum distinctionem cum fictis suis tribus corporibus. An non in eisdem verbis affirmat essentias habere diuersas,& vnumquodque per se subsistere,seorsumque monstrari posse? Certè ex his tribus diuersa proportione commistis,diuersa elementorum corpora cõcinnata à Deo palàm dicit. Esto,nominentur omnia tria vno nomine materiæ. Num ob id substantia eorum erit vna, quomodo Dei est vna? Aut vnam esse oportet materiam tria hæc simul, quomodo essentia diuinitatis vna est: aut seorsum diuinitatis personas subsistere,quomodo sua principia separatè ostendi posse contendit: aut comparationẽ summè impiam esse necessarium est. Quis personas diuinitatis in essentijs distinctis subsistere non blasphemus & impius dixit? Vtinam & hæc & alia considerent aliquando,qui ex vesani & immaniter impij hominis ore spurcissimo aliquid emanasse boni imprudenter credunt. Quàm porrò falsum est, quòd ait corpora omnia,quæ suprà terram inueniuntur,in salem,sulphur, & mercurium resolui? Profectò quisquis hæc audiet prudens & doctus,pudendum hoc mendacium summè admirabitur. Quis ex aere & flamma purioribus, vt cætera sileam,credat intelligens sulphur quoddam, salem,& hydrargyrum procudi vel arte vel natura? Atqui Paracelsus in omnibus corporibus tria hæc corpora distinctè separateque se monstraturum pollicetur. Non possum non laudare illos, quoties talia lego vel cogito,qui mendacissimũ fuisse impostorem asseruerunt. Suprà ostendi per variatam ignis operationem ex mistis res dissimillimas gigni:ex quibus impossibile sit mistum conflatum fuisse,tanquam ex miscibilibus. Generantur enim talia pleraque propter materiæ potentiam:actu neque ante compositum extiterunt, neque in composito fuerunt. Quis ignorat aliter conco-

qui

qui panem in diuersorum animalium ventribus? Imò quis est, qui nesciat eundē hominem sanum & ægrum diuersè panem eundem alterare ac mutare? Calor siccus, magnus, paruus, humidus, vegetus, ignauus, tam generat ex re qualibet vna discrepantes materias, vt verbis exprimi nequeat. Qui in Chemia exercitati sunt palàm asserunt summam propè artem in eo cōsistere, vt ignis ritè temperetur. Etenim si vel augeatur nimis vel minuatur plus iustò, vel non æqualis conseruetur, ex materia vna & eadem, cui nec adiectum nec detractum aliquid sit, res diuersissimas enasci constanter affirmant. Quinimò nunquam bis idem ex vna & simili materia effecturum (nisi casu cōtingat) qui temperandi ignis rationem non probè teneat, asseuerant. An ex omnibus talibus res quælibet coaluit? Non puto. Vltimò in elementa resolui cernimus omnia: in salem, sulphur, & Mercurium, solui nullus homo verax constanter defendet. Equidem certo certius est, ne ex mistis quidem omnibus Mercurium elici posse. Ratio par est aliorum. FVR. Erras tota via, cū putas de sulphure, sale, mercurio communibus accipienda. Ideò enim sic nominata sunt tria illa prima rerum principia, quia in nullis totius naturæ rebus magis explicatas reperere runt principiorum proprietates, facultates, & conditiones. Quoniam igitur in sale, sulphure, hydrargyro vulgaribus omnes omnium corporū differentiæ, proprietates, conditiones, manifestissimè conspiciuntur, placuit tria illa prima corporum vniuersorum principia nominibus ab illis mutuatis ornare, idq; philosophica authoritate. Cæterùm Mercurium vocant liquorem, qui in rebus quibusque inest, & in fumū conuertitur, ac facilè in altum tollitur. Sulphur appellant partem oleosam & pinguem, quæcunque facilè incenditur. Sic & salem vocitant portionem substantiarum

Cur prima corporum principia nominibus salis, sulphuris & mercurij nominentur.

crassiorem & concretam, quales sunt in combustis corporibus cineres ER. Non erro, hîc ego, sed errant, vt ais, tota via, totoque cœlo, qui infelicissimas istas ineptias consectantur. Nec est, cur scabiem nobis cõprecetur ridiculus ille Thraso, quia socij esse fatuæ istius philosophiæ recusamus. Hoc potius optet, ne fumosus ille mercurius, qui oculos ei, nares, aliosque sensus propemodum ademit, caput etiam repleat, mentemque totam eripiat. Non tu vel ex iam recensitis vides insana nouandi libidine tumidos ista excogitauisse, vt supra vulgum sapere putarentur? Quid enim aliud dicunt, quàm quòd philosophi promiscui (sic enim veram philosophiam profitentes nominant) iam olim per tot secula dixerunt & demonstrarunt? Quis nescit aerem facillimè, & post hunc aquam extenuatam in sublime ferri? Quæ aquæ propria esse omnium eruditorum oculi omnibus ætatibus conspexerunt, fumosi isti philosophi, vt nouisse plus alijs viderentur, mercurio adscribere voluerũt. Quæ aeri maximè conueniunt, sulphuri tribuunt. Quæ terræ aptissimè verissimeque congruunt, sali suo accommodant. Quid enim vapores per calorem ex liquoribus natos nos cogit mercurium potius vocare, quàm aquam aeriam aut vaporem? Cur etiam non rectius liquor ille, qui postremò in cuiusque misti resolutione cernitur, aqua nominetur, quam hydrargyrum? Eodem modo causa adduci probabilis nulla potest, cur, quod facilê in flammam vertitur, sulphur potius vocitandum sit, quàm aer. De vltimæ solutionis partibus loquor. An non facilimè rara omnia corpora, multum in se aeris continentia, pinguedinis autem minimum, in largissimam flammam identidem conuerti conspicamur? Sanè difficilius pinguia penè omnia corripit flamma, quàm arida stramina: ex quibus pinguitudinis vix minimam

Philosophi promiscui qui sint.

por-

portiunculam, postquam omnia conatus fueris, separaueris. Quid est ergo in eis, quòd tam celeriter ignem concipit? Aer scilicet est per rari corporis substantiam dispersus. Quò enim corpus quodque rarius est, tantò facilius ab igne accenditur, quàm densiora eiusdem generis (Nō enim comparatio inter pumicem & lignum densius instituenda est) Ergo sicut neq; omnis fumus est hydrargyrum, nec solùm hoc in fumū ab igne soluitur: ita neque omne facilè inflammabile sulphur est, nec solùm sulphur promptè incenditur. Quòd si ergo præter sulphur alia quoq; facilè inflammantur, & præter mercurium alia itidem in fumum celeriter soluuntur, minimè necesse est, vt quicquid facilè expirat, mercurium putemus: aut, quod promptè accenditur, sulphur existimemus. Ratio par est salis. Non enim solus sal crassescit ac densatur, sed præter hunc concrescunt alia. Quare vel eadem sunt ignis & sulphur, aqua & hydrargyrum, sal & terra, vel differunt. Si differre dicas, probādum erit. Quòd si res sensuum arbitrio iudicanda sit, causa ceciderunt Paracelsici. Si iudicem statuerimus rationem seu intellectum, rursus victi sunt. Quippe ne imaginabile quidē est, quomodo tria hæc ex aere puro aut igne simplici queant vel separari vel fabricari. Si eadem affirmes, nihil peccarunt philosophi promiscui, qui res mistas ex igne, aqua, aere, terra, confieri docuerunt. Non enim, puto, aerem negabunt, profundiores isti philosophi (vt seipsos nominant) elementum esse quartum: nisi fortè purum aerem suo sulphure, sale, mercurioque crassiorem putent. Certè inter elementa quatuor omnium apertissimè aer in animalibus inest, vt respiratio declarat: sine qua plurima ne breui quidem possunt tempore viuere. Quamobrem nulla fuit necessitas, vt repudiatis vulgo nominatis elementis noua & peregrina conarentur suppo-

Philosophi profundiores qui sint

nere nomina, quibus interim res eædem significarentur. FVR. Non sunt eædem res vtrobique. Etenim tria illa prima corpora qualitates, facultates, differentias, & proprietates obtinuerunt omnes, quas in mistis corporibus inuenimus. Et huius rei causa nomina salis, sulphuris & mercurij indita ipsis diximus, quòd nullæ res aliæ extent, in quibus æquè clarè facultates illorũ expressæ reperiantur. Etenim sale, hydrargyro, & sulphure, omnes omnium corporum differentiæ: proprietates, conditiones, conspicuæ sunt, vt suprà diximus. ER. Admirabile est, quod dicis. An in vulgari sulphure, sale, & mercurio omnes proprietates corporum omnium seriò inesse dicis? Quo teste probabis, si negauero? Si in hisce tribus omnia reperiuntur, frustrà facta sunt cætera. Mirum quod vinum bibas, & panem edas, cum sale, mercurio, & sulphure ali possis. Mirum magis, quòd arcana & quintas essentias rerum peruestiges, si in illis à natura præparatis corporibus vbique obuijs omnia reperiuntur. Vis liberè dicam, quod verum est? FVRN. Dicito. ER. Tam est hoc impudens mendacium, quàm illud est Paracelsi in 3. cap. Meteor. suorum, ita scribentis. De die ac nocte sciendum, diem à Solis, noctem à Lunæ lumine nasci. Et quibusdam interpositis, hæc addit. De nocte porrò scire debetis, Solis discessum occasumúe non efficere noctem. Tam potens namque lux eius est, vt, quamuis nocte media totus sit sub terra, sui nihilominus supra terram luminis reflexione diei tantum possit efficere, vt & dies rectè nominaretur, lumineque eo nos frui possemus. Causa tenebrarum noctis ista est, quòd certæ quædam stellæ vim habent peculiarem tenebras creandi tantas, vt in absentia luminis Lunæ nihil videant mortales. Sic cum in ecclipsi Solis lumen aufertur à nobis, efficiunt stellæ noctium effectrices, vt nocturnæ tene-

Solis occasus non efficit noctem.

brae

bræ fiant. An tu credis ſtellas aliquas luminibus ſuis per ſe tenebras creare? Mundus totus, imò Moſes quoque, diuini ſpiritus plenus licet eſſet, nondum intellexit noctis & diei cauſas eſſe Solis ortum & occaſum. Solus Paracelſus poſt tot à condito mundo ſecula à præceptore ſuo diabolo didicit, ſtellas quaſdam tenebrarum generatrices noctem efficere. Non minus ineptum, falſum, impium illud eſt, quod in mercurio, ſale, ſulphure omnes omnium corporum ineſſe dicuntur differentiæ, proprietates, & conditiones. Quocirca tam non debet hoc argumentis oppugnari, quod omnes homines omnibus horis ementitum oculis vident, manibus palpant, ſenſibus alijs ſentiunt, ratione intelligunt, quàm illud non debet confutari. Deinde ſcribit Paracelſus, & confitentur ipſius diſcipuli, pluribus modis, quàm tribus prima illa tria miſceri. Non enim eadem eſt trium primorum ratio, proportio, ac miſtio, in mercurio vini, pomorum, carnium, metallorum, quæ in vulgari eſt hydrargyro. Eodem modo res habet in ſulphure ac ſale. Quo poſito, neceſſarium eſt concedere alterum hoc, pro diuerſa ſimplicium miſtione ac proportione diuerſas generari in compoſitis facultates & proprietates. Loquor de illis, quæ nõ per ſolam partium compoſitionem, ſed per miſtionem intercurrente alteratione coaleſcunt in vnum corpus. Nec poteſt hæc miſtio negari abſolutè à Paracelſicis. Etenim elementa & cœlum in Meteor. inter ſe ſubſtantialiter ſcribit differre, non eo duntaxat modo, quo vaſa diuerſa ex variata auri, argenti, & æris miſtura conficiuntur. Idem hoc in alijs corporibus locum habere quis non videt? Ergo ſi propter diuerſam miſtionem trium primorum differt aer à terra, prorſus eſt conſectarium, vt pro varia horum miſtione non res ſolùm, ſed & rerum facultates, conditiones, & officia varient.

In ſale, ſulphure, mercurio non inſunt omnes omniũ corporũ uires

Quo fit,vt vel omnium mistorum Mercurius(exempli gratia) eadem proportione ex primis tribus conflatus sit,(ex quo sequeretur, omnium mistorum easdem esse vires & qualitates) vel non omnes omniũ corporum proprietates in vulgari sale,sulphure,& mercurio expressæ sint. Prius ne Cacodæmones quidem ab initio mendaces ausint affirmare. Quocirca impossibile est,vt non sit falsissimum,quod tibi,profunde philosophe sumis. Tu namque ex vulgaribus illis corpus constitui negas, vt quæ per se absoluta sint indiuidua.
FVR Haud rectè interpretaris verba,quæ protuli. Equidem non hoc sentimus,omnes in cõmuni sale,sulphure,mercurio, mistorũ omnium proprietates actu & re ipsa inesse,sed de primis illis singularum rerum loquimur. Hoc dicere volui,nullam esse constantem vllius corporis proprietatẽ,quæ non vel in sulphure, vel sale,vel mercurio, eiusdem corporis deprehendatur.
ER. Quid senseris nescio, quid dixeris, & cuius verbis dixeris,scio. Leguntur autem hoc modo. Corporibus autem in huiusmodi separatione deprehensis salis,sulphuris,mercurij, nomina imposuimus:quia in illis tribus indiuiduis omnes omnium corporum differentię, proprietates,conditiones, manifestissimê conspiciuntur.His verbis redditur ratio, cur elementa tria nominata sint nominibus salis,sulphuris,hydrargyri. Si ergo sic argumenteris: Nomina elementis mutuati sumus ex sale communi, sulphure, & mercurio, quia in cuiusq; corporis elementis insunt omnes singulorum corporum proprietates,an non sis ineptissimus argutator? Tale fuerit hoc argumentũ. Paracelsum ideo vocamus asinum,quia castratus fuit. Iam verò nõ minus falsum est,quod isto modo concluditur, q̃ illud, quod antè diximus. Quis enim sapiẽs putet,in elementis omnes inesse actu corporum differentias & qualitates?

In elementis non insunt actu omnes corporum facultates.

An etiam sentiunt elementa, texunt, fabricant, nent, ratiocinantur? Ego in cōpositis aio plurimas inesse constantes minimeq; fugaces proprietates, quæ in componentibus non insunt. Quod maximè est euidens in illis compositis, quæ per substantialem mutationē eorum, ex quibus conflata fuêre, commista sunt. In nullo elemento seorsum sumpto, nec in omnib. simul sumptis (neq; permistis tamē, neq; alteratis totis) inest proprietas trahendi ferrum, vt in Magnete: aut alendi, vt in lacte. Quòd si potentia inesse dicas omnes materiales proprietates, (Formæ diuinius principium habent, nec ex elementis fiunt.) nulla causa fuit, cur à mineralibus mutuareris nomina, quæ simile nihil retinuerunt. Etenim ex vestra sententia indiuidua sunt absoluta, elementaq; aliorum nequeunt esse, atque ideo ne proprietates quidem eorum potentia in se continent.

FVR. De proprietatibus elementis necessarijs loquimur, siue de illis, quæ mistorum omnium sunt communes. Mercurius totus ex igne aufugit, in aerem sese tollens. Sulphur totū crematur, vix aliquid sui vestigium relinquens. Sal totus concreta quædā est ac crassa materia, cineres repræsentans. Cū igitur in artificiosa corporum resolutione quiddam occurreret in fumum abiens, & aliud quiddā inflammabile se offerret, ac tertiò quiddam instar salis subsideret, nomina salis, sulphuris, mercurij, ab his ad illa transtulerunt, quòd in nullis alijs corporibus has proprietates euidētius veluti depictas inuenissent. Item sicut per omnia metalla & mista alia permeat Mercurius, ita liquorem per totam cuiusq; misti substantiam distributum videntes, eodem nomine ornarunt. Sic sulphur facilè inflammari, & tum se, tum alia corrumpere videntes, quòd eodem in mistis modo ageret, sulphur appellarunt. Sic de sale res habet iuxta analogiam. Non ergo voluerunt omnes

Proprietates elementorū Paracelsi quæ sint

omnino mistorum vniuersorum facultates actu in sale, sulphure, mercurio inesse, sed illas tantùm, quæ ad elementi naturā pertinent, quæque omnium sunt communes. ER. Author ille ideo dicit principia nominibus salis, sulphuris, mercurij, nominata, quia in his mineralibus omnes omnium corporum proprietates velut pictæ inueniantur. Non ergo de solis elementis cupit intelligi, sicut tu interpretaris. Quàm absurdum autem atque impudens hoc sit mendaciū, satis est ostensum. Quin & illud ostendimus, aquam citissimè in vaporem verti, & in altum ascendere: aerem facilimè accendi: terram in corruptione subsidere, ac proinde nō fuisse opus noua nomina ab illis rebus mutuari. Quin imò nunquam in halitum solueretur ab igne hydrargyrum, si non esset ex magna sui parte aqua cum exhalatione terrea subtili commista. Nec sulphur inflammabile esset, nisi aerem tenuem calidumque in se contineret plurimum. Sic salem quoq; quoad terra participat, concrescere certo certius est. Quid quod sulphuris partes aeriæ ablui possunt hactenus, vt haud paulò difficilius nunc quàm ante inflammentur? Impurum ergo mendacium est, vires salis, sulphuris, & mercurij, per artificiosam misti vltimam resolutionem inuentorum magis in vulgari sale, mercurio, & sulphure explicatas esse, quàm in elementis. Haud ignoro ex mistis quibusdam succum gigni opera ignis mercurio vulgari admodum similem. Sed non de hoc nos agimus in præsentia, verùm de eo, qui simplex corpus adeoque illius elementum est. Hoc enim ex metallicis aut alijs quibusuis rebus, si ita libet, arte confectum hydrargyrum, aut hydrargyro simile corpus, simplex non esse corpus, sed mixtum, quod videlicet in diuersi generis corpora distingui valeat, Paracelsici omnes concedere velint nolint coguntur. Si simplex esset, non posset aliud

Cur hydrargyrum in fumum vertatur.

Hydrargyrum per Chemiam ex mistis paratum, est mistū corpus.

liud ex vna, & aliud ex alia re fieri, sed ex omnibus vnum & simile specie, viribus, eliceretur. At magnam esse salium, sulphurum, hydrargyri, ex herbis, mineralibus, animalibus eorumque partibus separatorum varietatem, repugnantiam, differentiam, spontè affirmãt. Ostendi iam, Paracelsum causam nullam habuisse, nomina mutandi, cùm vera esse quæ dicit, nullo possint modo, nisi res intellexerit easdem nobiscum. Sed neque aptè nominauisset, si quàm maximè res ipsæ extarent. Addam nunc obiter etiam, nullum habere alium vsum nominum istam nouationem præterquã quòd, quæ clara & intelligibilia prius erant, obscura, intricata, & incomprehensibilia nobis redduntur. Aiunt se hoc pacto facilius respondere, cur, exempli gratia, Opium amarum existens stupefaciat. Vtrique dicimus propter diuersas in eo partes contingere. Nos frigidas & calidas ponimus & quidem ita frigidas, vt à peculiari & nobis non satis explicabili qualitatum, elementorumque mistione ortas fateamur. Illi hoc idem verbis alijs dicunt, cùm sulphur Narcoticum inesse dicunt, & salem diaphoreticum. Quid enim, quæso te, in causa est, vt oleosa pars in Opio stupefaciat: non item quæ in alijs rebus inest? Si ad mistionem partium referant, (de qua re infrà, cùm de mistione differemus, plura audies) eòdem recident. Etenim proportionem partium mistionis nunquã percipere intelligentia poterunt, quicquid mentiantur, vt in speciali substantia verè possint pronunciare narcoticam esse. Ergo sicut nos effectus docuit stupefacere partes in Opio non amaras, sed alteras fœdo & graui odore prędịtas, ita & illas. Quid ergo habent amplius? Quod viderunt in parte oleosa magis hanc vim inhæsisse, quàm in alijs. Quod si etiam daremus illis in illa parte sola hanc vim inesse, de qua re postea loquemur, si dabitur opportunitas, an pro-

Nominum nouatio parit obscuritatem.

pterea iustam causam habuerit Paracelsus omnia innouandi & peruertendi? Sed hoc misso, propius conferre pedes manusq; oportet. Quæro ex te primũ, Vtrum, qui dat aliquid, prior idipsum habeat semper eo, qui accipit. FVR. Habet. ER. Verum hoc est etiam in rebus incorporeis, vt si quis me doceat aliquid. Omnino enim priorem hoc, quod me docet, scire necessariũ est. FVR. Sic est. ER. Credis ne dantem ab accipiente differre, aliumq; esse necessariò? FV. Credo. Nõ enim fieri vlla vi naturali potest, vt dans & accipiẽs, mouens & motus, agens & patiens non distincti sint. Etsi enim res vna sæpe à semetipsa mouetur, semper tamen aliud mouet, atq; aliud mouetur. ER. Iam verò quod actu est, quod est, atq; aliud tale efficit, quale ipsum est, illud nõ fateberis rationẽ habere dantis? FV. Fateor. ER. Et quod potest tale fieri, quale prius illud est, actu autem tale nondum est, hoc accipientis rationem obtinet. FVR. Verum. ER. Ergo quod actu est, dantis, & quod potentia est, accipientis locum retinet. FVR. Prorsus. ER. Prius ergo est natura illud, hoc autem posterius. FVR. Necessarium est, cùm præsertim de agentibus & patientibus sermo est. Non nescio quidem potentiam in vno præcedere naturaliter actum. Prius enim me oportet potuisse discere quàm didicerim. At in diuersis naturaliter semper prior est actus potentia. Prior enim est doctor discipulo. At quò velis ire nondum video. ER. Sulphur illud ex corporũ tribus principijs vnum, dicebas hac esse ornatum facultate, vt promptè accendi posset. FVR. Dixi. ER. Nõ puto vel te vel aliũ quempiam dubitare, quin frustra sit potentia, quæ non possit in actum reduci. FVR. Nihil dubito. ER. Naturam nihil frustra condere similiter fatere arbitror. FVR. Patet. ER. Omnis igitur potentia naturalis habet aliquid in natura respondens, à quo in actum reducitur. Aliâs enim

Dans aliquid prius id habet quàm accipiẽs.

enim frustra esset condita. FVRN. Non inficior. ERAS. Fateris igitur potentiam hanc non fuisse frustra factam? FVRN. Cur non faterer? ERAS. Aliquod igitur est, à quo possit in actum reduci. FVR. est. ERAST. At hoc natura prius esse positum est. FVRN. Memini. ERAST. Ergo prior est ignis sulphure illo. Quod verum esse non potest, si ex ipso cum sale & mercurio compositus est. Semper enim natura priores toto sunt partes, ex quibus totum vt ex materia est mistum conflatumque. FVRN. Verum hoc est in illis, quæ in tempore fiunt. Sed in creatione non est necessarium. Quoniam, vt suprà de Elementis aiebas, materiam cum forma subitò extitisse, idem ego de partibus & toto composito affirmauero. Sanè constanter dico ex tua sententia, ignem non præcessisse aerem, tametsi potentiam in se obtinuerit ab initio, vt esset ignis. Non minus igitur tuam ipsius oppugnat sententiã, hæc tua ratiocinatio, quàm meam. ER. Videamus itaque an ita res habeat. Creationem frustra adducis, propterea quòd Paracelsus distinctas, & ordine se inuicem sequentes ponit rerum factas esse vel generationes vel separationes. Vbi enim prima illa tria creata concedit (Nam ex increato mysterio magno suprà patuit eum per separationes aliquot generauisse hanc rerum vniuersitatem) primò creata dixit, ac postmodum ex ipsis mistis confecta fuisse elementa. Fuit igitur inflammabile, antequam esset inflammans. Nos cum Scriptura negamus corpora ante cœlum & terram seu elementa extitisse, sed totius mundi materiam sub elementorum & cœli formis Verbo Dei ex nihilo non ex corporibus alijs vel prius vel simul creatis concreta fuisse constanter asseueramus. Nam non fuissent ex nihilo facta, si prius tria illa fuissent creata. Nec rectè dixisset Moses, Deum in principio crea-

Deus Paracelso non creauit inprincipio cœlum & terrã.

uisse cœlum & terram. Quoniam in principio creauisset illa, ex quibus conflata postea fuissent cœlum & terra. Tantum ergo inter nostram & Paracelsi sententiam est discrimen, quantum lux à tenebris, veritas à mendacio differt. Fatemur proinde rectè ac verè actum non esse in Elementis potētia priorem tempore, cum in eodem instante momentoue ignis inflammans & aer inflammabilis extiterit. Hoc autem non prohibet, quo minus actum natura priorem tunc quoque fuisse potentia dicamus. Maxima insuper disparitas in illo quoque cernitur, quod nos minimè dicimus id quod actu est, & id quod potentia est ita se habere inter se, vt pars componens se habet ad totum compositum. Quippe ignis per se, & aer quoque per se creatus fuit: nec vnquam fuit alter alterius pars, vt nunc de partibus loquimur, sed tantùm potuit alter horum mutare, alter mutari. Paracelsus autem hoc ipsum, quod est inflammabile, inflammantis compositi partem facit materialem: & quidem ita, vt in eandem resolui rursus queat. Etenim ignem ex sulfure, sale, mercurio, generat, & in eadem iterum retexi posse asseuerat. Quare neque natura neque tempore prior est actus potentia.

Paracels. cœlum ex sale, sulf. Merc. fabricat.

FVR. Aliter respōdebo. Dicam enim inflammans non esse ignem, sed cœlum. ER. In eodem hæres luto. Quoniam cœlum quoque ex eisdem fabricat. Cœlum præterea ne verum quidem sulfur, nedum illud, quod ex mistis plurimis fortè eliciatur, promptè inflammat, sed prorsus tardè ac difficulter. Cogeris, quòcunque te tandem vertas, & in quascunque formas transmutes, quatuor ponere corpora prima, nempe ignē cum tribus illis fictitijs Paracelsi Elementis. FVR. Quid si eadem esse dicamus ignem & sulfur, & accidente solum differre statuamus? Sulfur itaque materia est ignis nonnihil refrigerata: cui si calor auctior accedat, incen-

ditur

ditur ac fit ignis. ER. Non euades hoc modo difficultatem. Manet enim præcisè eadem. Equidem hic quoq; aliquid ponere oportebit actu eousque calidum, quousque sulfur opus habet calefieri, vt verè actu que ignis fiat. Secundò implicatiorē te reddes. Paracelsus enim tantum abest, vt ignem sulfur concedat, vt ex sulfure, sale, mercurio, tum demum gigni putet ignem, cum ex eis prius cœlum fuerit genitum. Tertiò certum est, ignis hoc esse proprium munus, vt naturalium rerum omnium mistionem dissoluat: atque materiæ cuiusq; rei partem, quantam potest, sibi assimilet: nec prius agere cesset, quam opus suum perfecerit. Cum sibi quæ attingit, assimulauit, ab actione desistit: quod ei cum naturalibus rebus omnibus est commune. Nihil enim in id agit, quod per omnia est simile: sed inter quæ aliqua est contrarietas, inter hæc sola est actio & passio. Cæterùm ignis agit in sulfur, vt est positum. Aliquid igitur in sulfure est dissimile à natura ignis. Quoniam si in sulfuris materia nihil esset diuersum à materia ignis, non magis ageret in sulfur, quàm in se ipsum. At ignis corrumpit substantiam cuiusque sulfuris, adeoq; rei inflammabilis. Quocirca non potest eadem esse vtrorumque substantia. FVR. Summa dictorum huc vsque hæc est, si non fallit memoria. Primum quidem haud rectè nomina elementorum trium, si quammaximè res vera esset, à vulgari sale, sulfure, mercurio, translata fuisse, propterea quod nulla sit inter hæc & illa corpora peculiaris similitudo. Nam neque actu neque potentia hæc illorum habere vires & proprietates. Vt verum dicam, turbauit me nonnunquam nominum, non tam nouitas, quàm variatio. Aliquando nominat ignem, salem, balsamum: interdum vocat sulfur, balsamum, liquorem, siue sulfur, salem, mercurium: nonnunquam salem, balsamum, mercurium. Et cum alibi

balſamum & Mumiam pro eiſdem ponat,atq; corpus miſtum ex omnibus velit, parum venuſtè pro principio locis alijs viſus eſt mihi ponere. Addo,quòd apertè in Meteoris ipſe ignem vocat ſulphur,cum alibi ferè ex ſulphure ignem cõpoſitum contendat. Secundò, cauſam nullam habuiſſe Paracelſum eiusq; diſcipulos noua hæc principia introducendi,cũ,quæ ipſis tribuũt,in elementis omnia,& prius quidẽ reperiantur. Tertiò falſam eſſe hanc opinionem multas ob cauſas. Prima eſt,quòd aduerſetur ſacroſanctis literis,contra quas ne quidem cogitare nobis aliquid fas eſt: nedum obſtinatè defendere. Altera,quod ſenſus ipſi nobis demõſtrẽt, miſta in elementa, quæ concreta & vulgaria appellant Paracelſici,tandẽ reſolui:non autem in tria illa corpora. Tertia,quòd omnes eruditi medici & philoſophi tot ſeculis ſummo conſenſu ſenſerint ac docuerint, 4. vulgò vocata elementa materiam eſſe miſtorum omniũ: nec alia vlla agnouerint. ER. Argumentum ab authoritate non ignoro quàm ſit infirmum ac lubricum. At in præſente cauſa neutiquam videtur aſpernandum. Etenim agimus non de re cœleſti,ad quam intelligendam peculiari dono ac reuelatione cœlitus miſſa opus ſit,ſed de tali, quam humanus animus ſenſuum opera vtens inueſtigare,inuenire,& percipere poteſt. In hac excolenda cum amplius duobus millibus annorum laboratum ſit ab omnibus intelligentibus Græcis, Latinis,Arabibus(& lõgè prius ab aliarum nationum quarundam ingenioſis hominibus)nec diuerſum ab vllis perſpici potuerit,non probabile tantũ, verũ etiam neceſſarium penè redditur argumentũ. Validius & prorſus neceſſarium efficitur,cum Paracelſum rudiſſimum aſinum fuiſſe,ætatemq; in compotationibus cum Aurigis alijsq; talibus conſumpſiſſe cogitamus. Validiſſimum & planè indiſſolubile tunc eſt,cum Moſis authoritatem

Argumenta ab authoritate aliquãdo nõ ſunt aſpernanda.

ritatē coniungimus. Qui contra sensum, contra intelligentiā, cōtra eruditorum omniū sententiam aliquid innouare studet, perinde facere videtur, ac si quis sartoribus conetur persuadere, pannos nō esse filis consuendos, sed vel iuncis ac viminibus connectendos, vel glutine conglutinandos: aut lapides non ferro, sed molli obtusoq; ligno excindendos & sculpendos apud artifices earum rerū contendat. Insanit, qui spreta sacrarū literarum authoritate sua illis somnia anteponere conatur. Certò certius est, multos omnibus ætatibus extitisse summa ambitione turgidos, qui vix aliud cogitarunt, quā vt nouatione & contradictione sibi nomē & gloriam compararent. Tam insipiens aūt nullus fuit, vt elementa alia statueret. Adde quòd fumosi illi Philosophi, ex quorū fornaculis, venenatisq; carbonibus ac fumis Paracelsus sua deglubit, non sunt ausi hac in parte ab euidentia rerū discedere. Sed iam perge tu. FV. Adijcere tribus prædictis rationibus quartam volui, quod videlicet ratio non minus clarè contrarium probet. Semper enim quod dat aliquid, prius habere id ipsum, quod dat, eo quod accipit: hoc est, actum natura semper præcedere potentiam in diuersis posteriorem neque natura neque tempore vnquam aut esse aut fuisse. Hoc posito, ex eo, quod sulfur illud primū poneretur inflammabile, duobus argumentis probari existimabas, non posse tria solū elementa statui. Quod enim inflammet natura prius esse: tempore posterius ne cogitari quidem posse. Proinde impossibile esse, vt prius fuerit vel natura vel tempore sulphur, igne. Priorem autem, necessariò esse partem toto, ex qua vnà cū alijs tanquam meteria inexistente, & quidem sic inexistēte, vt in eam rursus possit resolui, constatū ponitur. Præterea cū inter agentia & patientia naturalia necessariū sit cōtrarietatem seu dissimilitudinē esse, atq; ob

Quibus nouatores Paracelsici similes sint

Actus natura præcedit potentiā in diuersis.

id,quod poteſt inflammare,neceſſariò ab eo diuerſum ſit,quod aptum eſt inflammari,non poſſe ignem & ſulfur,pro eiſdem haberi. Quamobrem cum non poſsit ignis eſſe vel natura vel tempore poſterior ſulfure: & ab eodem velut dans ab accipiente differat, plura tribus illis ponenda fuiſſe. Quod ſi iam ſulfur libeat aerē vocare,quo nihil citius ac facilius inflammatur,liquorem aquam,ſalem terram,atq; his ſuperaddatur ignis, expeditam eſſe omnem controuerſiam. ER. His alia præterea poſſunt addi.Si tria illa ſunt corporum aliorum omnium elementa,neceſſe eſt,vt vel ſint mutabilia vel immutabilia.Inalterabilia ponere non poteris, cum Paracelſus cum Diſcipulis diuerſa & pugnantia genera ſalium, mercuriorum,& ſulfuris ponant.Suprà quoque diximus,Paracelſum ex tribus ſuis elementis conſtituere Elementa non minus differentia, quàm lignum à metallis,lapidibus,ſpongijs differt:nec ita eſſe compoſita,ac ſi ex argento,auro, & ære diuerſè miſtis diſtincta quatuor faceret artifex pocula. Hoc autē impoſsibile eſt ponere,niſi tota per totā alterari mutarique mutuò ponantur.Conſtat porrò talem alterationem,quæ εἰσποις dicitur, adeoque ϰ κυρίως καὶ πρώτως,vt Galenus ait,ἀλλοίωσις ὀνομάζεται, abſque ſenſilibus qualitatibus non perfici. Quocirca neceſſarium eſt,vt ſuis Elementis ſenſibiles eiuſcemodi qualitates adſcribat, quarum beneficio miſceri & in vnum corpus diſtinctum coaleſcere queant. Cæterùm qualitates tales non ſunt plures,(de ſimplicibus & ſummis intellige) quam quatuor,caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas:id quod ſenſus ac ratio demonſtrarunt:& ſeculorum omnium conſenſus experientiaque comprobarunt.Siue igitur ſingulas ſingulis,ſiue binas ſingulis Elementis aſſignes,prorſus cogeris plura tribus nobiſcum ponere. Ternas enim qualitates in vno aliquo collo-

Argumenta alia contra Paracelſi argumenta.

collocare non audebis, quoniam contrarias necessariò duas ex his esse oportebit. Quare vnica tantùm erit in elementis Paracelsicis cõtrarietas, siue integram coniugationem, siue dimidiam solùm subiecto proprio carere putes. Quòd si autem corpus summè calidum & siccum nullum est in natura præter ignem, primò conuenit summus calor igni. Ignis igitur elementum erit, non sulphur. Idem est de alijs iudicium. Hæ, dico, qualitates faciunt, vt elementum sit elementum mistionis, vt suprà exposui. Nam harum opera mutuò se alterant ac mutant, & in naturam à se aliam concrescunt. Neque moror, quod Paracelsicus quidam seriò affirmat, facultates calefaciendi, frigefaciendi, &c. externas esse, corruptibiles, crudas, impuras. Quî quæso externæ sunt, quæ elementorum propriæ sunt, ac solæ totam substantiam peruadunt: imò sine quibus aliæ nullæ qualitates per totas rerum naturas siue substantias extendi possunt? Corruptibiles nisi essent, principia generationis & mistionis non essent. Crudæ sunt certè, quoniam Paracelsi & sectatorũ eius capita percoquere nequiuerunt. Impuræ sunt, quia ex puris manentibus nihil gigneretur. FVRN. Quid si mutabilia esse negem prima elementa? Equidem videtur hoc ex co consequi, quod per ἀνάλυσιν seorsum possunt monstrari: quod in transmutatis fieri non posset. Præterea scio me cum in Paracelsi, tum in eius discipulorum scriptis legisse, quæ hoc idem testentur. ER. Ratio tua inefficax est. Nos enim Elementa mutari tota scimus: & nihilominus composita in eadem solui ad extremum nouimus. Si prorsus mutarentur, non miscerẽtur, sed corrumperentur: nec essent ex misto separabilia. Impossibile namque est, vt, quod omni actu substantiali caret, verè possit χωριστὸν vocari. Si non mutarentur, non differret mistum à miscibilibus, nisi ordine, situ, & alijs

In elemẽtis Paracelsi unica tantum inest contrarietas.

Qualitates primæ nõ sunt externæ elemẽtis

Elementa sunt mutabilia & nihilominus χωριστά.

talibus accidentibus. Quo posito, præter Elementa res cunctæ essent quiddam vnum per accidens: quo nihil ab homine possit excogitari falsius. Mutabilia igitur sunt, tametsi non prorsus corrumpantur. Quid igitur prohibet, quo minus idem de Paracelsicis affirmetur? Ostendi Paracelsum ita sentire, vt dixi. Si contrarium alibi affirmauisse eundem asseueres, non mirabor, qui vix vllam ei sententiam veram constanter placuisse animaduerti. Mihi in omnibus contradictionibus sufficit indicare, vtram partem probem aut improbem, vtranque comprobare cum nequeam. FVR. Ingenuè profiteor, quod sentio, nihil me firmitatis in ista de principijs sententia Paracelsi inuenire: quin potius omnia sic pugnare video, vt reconciliari non posse persuadere mihi incipiam. ER. Restant quædam de hac re dicenda. FVR. Audiam perlibenter. ER. Si tria illa verè sunt mistorum Elementa, prorsus est necessariũ, vt ex eis mista sint confecta, & in eadem iterum reuertantur. Si ergo demonstrauero mista in hæc non posse resolui, demonstratum pariter fuerit, non esse Elementa. FVR. Non nego. Est enim hæc natura Elemẽtorum. ER. An non hoc mihi dabis, si in illa resolui debeant vel à natura vel ab arte, seorsum singula subsistere posse? FVR. Dabo. Sed & Paracelsus idem tibi dedit in superioribus. ER. At nulla vi naturæ potest fieri, vt in se & per se secretum subsistat, quod nullo vnquam momento separatum substitit, hoc est, quod Deus, vt in se & per se existeret, nunquam fecit. Atqui tria illa nunquam facta sunt apud nos, qui creatum à Deo mundum scimus. Quoniam scriptura testatur Elementis & cœlo nihil ad hanc vniuersitatem rerum seu mundi pertinens prius creatum esse. De principio, inquit, Moses, creauit Deus cœlum & terram. Si ante omnia creata hæc sunt, non est aliquid ante ipsa creatum. Nunquam

Mista non possunt in elemẽta Paracel. resolui.

quam ergo ſubſtiterunt ante elementa noſtra veſtra principia. Iam nec apud Ariſtotelem qui mundum ab æterno fuiſſe opinatus eſt, corpus aliquod cœlo & elementis antiquius reperitur. Quin apud Paracelſum quoque non ſubſtiterunt per ſe tria illa, vel ſaltem ſubſiſtere deinceps nequeũt. Quoniam omnium horum trium materiam, ſiue totam molem diſtribuit in quatuor elementa, vt nihil eorum remanſerit nõ diuiſum. Hac de cauſa videtur horum congeriem appellauiſſe materiam primam. Cæterùm nemo eſt tam rudis, qui non intelligat materiam primam huius mundi non creatam, ſed concreatam eſſe, ac proinde per ſe neque ſubſtitiſſe neque ſubſiſtere poſſe actu: imò ne cogitatione quidem naturam eius comprehendere mente poſſumus, verùm ex analogia duntaxat tenuiter & obſcurè adeoque notho ſyllogiſmo, vt aliqui loquuntur, cognoſcimus. Quomodo igitur ſcribunt Paracelſus & diſcipuli eius, miſta ſeparatione ſeu analyſi artificioſa in tria elementa ſic diuidi, vt ſeorſum ſubſiſtant, ſeparatéque monſtrari ſingula queant? Quæ Deus & natura nunquam voluerũt ſeorſum exiſtere, vos per artem ita ſecernetis, vt ſeparatim conſiſtant? An non eſt hoc cum Deo certare de ſapientia? Si ſtatim de principio tota congeries trium illorum conſumpta eſt in fabricam mundi ſeu Elementorum, vt pars nulla manſerit reliqua, quo pacto miſta in corpora diſſolui poterunt Elementis priora? An analyſis principium compoſitionis ſic excedet, vt infra ipſum deſcendat? Quis ſub hoc ſole auſus eſt cogitare compoſiti retexionem progredi longius, quàm ad compoſitionis principiũ? At Paracelſici ſuam analyſim vlterius proferunt. Deus enim incepit ab Elementis compoſitionem, & ob id nos finimus in eiſdem reſolutionẽ. Paracelſici ab eiſdem incipiunt miſtorum generationem & retexionẽ

Quæ Deus & natura ſeparatè exiſtere noluit inſeparabilia ſunt.

Analyſis compoſitorum non extenditur vltra principium compoſitionis.

deducunt vltra hæc in tria illa corpora. An poteſt inſulſius, monſtroſius, inſanius, aliquid excogitari? FVR. Non ordimus compoſitionem ab Elementis veſtris, ſed a noſtris, hoc eſt, à primo ſale, ſulfure, mercurio, & in hæc eadem rurſus diuidimus miſta. ER. Si hæc per ſe nunquam actu ſubſtiterunt, ſed in Elementorum confectionem in ipſa creatione conſumta ſunt, ſicut nos de materia prima rectè conſentaneeq; loquimur, non poteſtis compoſitionē inde inchoare aliter quàm cogitatione, quomodo nos à principijs initium capimus. Nobis autem ſermo eſt, de vera compoſitione, quæ non conſiſtit in imaginatione ſola, ſed in ipſis rebus. Ergo dum ſeparationem vltra Elemēta facitis realem, vt ſic vocem, non imaginariam duntaxat, producitis analyſin extra terminos compoſitionis. Facitis enim in reſolutione ſenſibiliter apparere, & ſeorſum ſubſiſtere, quæ ante compoſitionem ſic nunquam extiterunt, vobis etiam teſtibus. FVR. Si imaginaria ſolum eſt veſtra ex principijs compoſitio, re ipſa non eſt. Etenim imaginarium verò opponitur. Sine cauſa igitur de hiſce diſputamus. ER. Imaginarium hoc in loco non opponimus reali. Nam Elementa re vera compoſita ſunt ex materia & forma: ſic tamen, vt neutra pars ante alteram cogitetur creata, ſed vtraque ſimul conſideretur facta. Nos Elementa non ſeparamus in principia per ſe actu ſubſiſtentia, vt quæ imaginatione ſolùm comprehendantur ſeorſum. At Paracelſus Elemeuta ponit ſic ex tribus conflata, vt in eadem actu diſſolui poſſint, ſeparatimque monſtrari valeant. Iam & hoc inſpiciamus, quem vſum habeat Paracelſi Phantaſia. Tria illa in Elemēta diſpertita aiunt, Ergo nullibi reperiuntur, quam in Elementis. Ergo res quælibet hactenus ſolummodo particeps dicenda eſt virum ſalis, ſulfuris, mercurij, quatenus ex Elementis

Vſus Element. Paracelſ. nullus eſt.

com-

composita quæque est. Et quia extra Elementa non sunt re ipsa, tantundem conferet horum noticia ad inuestigationem facultatum in medicamentis inhærentium, quantum conducit materiæ primæ contemplatio. At non ex huius consideratione discimus nos, quæ sit singulorum pharmacorum potestas, sed ex eo, quod hoc vel illo modo admisti constitutionem congressa animaduertimus Elementa. Sicut ex materia prima nihil fit, nisi quatenus est sub Elementorum formis, à quibus vires & facultates rerum diuersæ nascuntur, ita ex tribus vestris nihil fiet, nisi quoad sub Elemenrorum formis existunt. Frustra igitur quæres simplicia illa, quæ nullo in loco se exhibent conspicienda: quæq; inuenta vsum nullum habent, qualem habere dicitis, & cuius gratia finxistis. Illud quoque non videtur prætereundum, quod Hippocrates dixit, ac deinde omnes omnium ætatum & nationum docti affirmarunt, (ac Paracelsus quoque per imprudentiam sibi contradicens concessit aliquando,) in corporum corruptione partem quamlibet ad illud ordine, à quo profecta fuerit, scilicet igneas ad ignem, terreas ad terram, aqueas & aerias ad aquam & aerem. Quòd si ergo Elementa corrumpentur, ex tribus illis singula reuerti ad cognatum oportet. Sed nullibi hæc sunt distincta sita, vt ad eadem colligi rursus possint. Nisi fortè suprà Lunæ globum suas habent stationes, quò vt alia appellere putentur. terræ sales vix vnquam ascendent. FVR. Redibunt ad Elementum quodque suum. ER. Impossibile hoc est. Etenim, vt iam non semel tantum Paracelsi verbis probauimus, aer, exempli gratia, nec est sal, nec mercurius, nec sulfur, sed aliquid ab his omnibus diuersum, sicut nos carnem, nec ignem, nec aquam, nec terram, nec aerem, sed ab his omnibus aliud quiddam esse dicimus. Præterea naturis totis differre dicit idem

Paracelsi principia non extant distincta locis, ut Elementa nostra.

Elementa quatuor,non ſolum eo modo,quo vaſa qua tuor ex diſpari argenti,auri,& æris miſtura conflata di ſcrepant. Ergo ſicut ineptè dicerentur Elementa corrupti pomi redire ad carnem, quia ex Elementis coaluit,ita inſulsè tu affirmabis corruptæ alicuius rei ſalem, ſulfur, & hydragyrum ad Elementa redire, velut ad ſua principia,cum ſecundũ vos hæc ex eiſdem com miſtis facta fuerint.Ad quæ ergo colligentur,ſi nullibi ſeparatim hæc Elementa conſiſtunt? An incertis vagabuntur ſedibus incerta quo diuertãt,& vbi hoſpitium repertura ſint? FVR. Ad Elementa veluti ad matrices & receptacula ſua ſe recipient. ER. De his receptaculis ſeu hoſpitijs mox plura:nunc illud dixiſſe ſufficit, pugnare hoc cũ Dictatoris veſtri legibus per omnia. Quippe Elementa dixit in locis ſupra citatis compoſita ſeu condita eſſe ex ſubſtantia trium, velut ex materia:non autem dixit horum eſſe receptacula.Matrices & loca ponit fructum & ſeminum ſuorum,non autem horum trium ex quibus ipſa conflata ſolis fuerunt. Et quî,quæſo te,poſſent illa in ſe pura ſeparateq; continere,ex quibus totis & mutatis ipſa facta ſunt? Hoc perinde eſt,ac ſi dicas domum aliquam ex tota congeſta materia fabricatam eſſe,vt nihil relictum ſit: ac nihilominus aſſeras multam in domo materiam adhuc ſupereſſe,quæ in ædificationẽ conſumpta non ſit. An hoc non eſſet contradictoria affirmare de eodem? Sic certè res habet in cauſa noſtra,præterquam quòd elementa conſtant ex primis mutatis & alteratis, domus autem ex materia non per totum alterata compoſita eſt. Adde quod nullum erit ſulphur,nullus mercurius in terra,& ſal nullus in aere & igne. Etenim cuiusq; rei mercurius exhalat & ſublimia petit, ſicut ſulphur accenſum: ſales aũt ad ima ſemper delabuntur, ad ſuperiora ſponte ſua non eleuantur. Item nullum erit diſcri-

Diſcipuli inſci è contradicũt magiſtro ſuo Paracelſo.

ſcrimen inter ſulphur in aere, igne, terra contentum, cùm ibi ſolum ſit, vt in loco. Nullum proinde diſcrimen erit fructuum terræ, aeris, aquæ, ignis, vt magiſter veſter contendit. Non enim ex ſubſtantia elementorum fiunt, quia ſunt matrices ſeu loca tantummodo. Ergo ex contentis generantur. Sed hæc vnius generis & naturæ vbiq; fiunt. Simpliciſſima enim ſunt ac materia prima. FVR. Attamen reſolutio artificioſa docet hæc inueniri. Plus ne igitur me vis tuis rationibus credere, quàm ſanis & exercitatis ſenſibus, cum de rebus ſenſibilibus diſputatur? Suprà tu legem hanc tuliſti, vt ſenſibilia non intellectu, ſed ſenſu iudicarentur. ER. Si ſenſus hoc docerent verum, credere omnino cogeremur. At contrarium nobis monſtrant, nempe analyſin ad elementa vſque proferri poſſe, non longius: quod ſuprà oſtendi. Quinimò ex autoritate exercitatiſſimi artificis ſuprà oſtendebamus, nullo artificio aerem purum ſeparatè mōſtrari poſſe, tantum abeſt, vt hoc aliquid ſimplicius inueniri ſeparatimque oſtendi valeat. Cùm ergo vi ignis ſimile aliquid ſali, ſulphuri, mercurio, ex miſto quopiam ſeparatur, corpus miſtum eſt, non ſimplex, vt ſuprà verboſè declarauimus. Et quis tam ſit amens, qui neget talia corpora iterum corrumpi, ac tandem eò deduci poſſe, vt vel in fumum ſeu aerem ſoluta expirent, vel in terram verſa appareant.? Quòd ſi hunc tu ſpiritum vocare malis Mercurium quàm aerem, & cineres potius nominare velis ſalem quàm terram, non contendam de nominatione tecum, ſed hoc monebo, nullam eſſe iuſtam cauſam, cur nō rectè vſitateq; malis cum omnibus, quàm vitioſè cum paucis quibuſdam fatuis loqui. Sed enim ſatis multa de fictitijs & malè ſomniatis elementis diximus, atq; ideo tempus eſt, vt vela colligamus. Docui primū principia nō eſſe rerum, ſi nomen hoc propriè

Sal, ſulphur merc. ex miſtis ſoluta, nō ſunt ſimplicia.

acciperetur, vt ab elementis distinguitur. Postea vt elementa concederentur, ineptè aliter nominata indicaui: simulq; causam nullam habuisse Paracelsicos monstraui, vt vel res vel nomina innouarent: cùm longè difficilius reddituri sint rationem rerum obscurarum ex falsis suis hypothesibus, quàm nos ex veris: tametsi multò plura nos nescire quàm scire, imbecillitatis nostræ memores libenter confiteamur. Demonstraui denique euidentissimis & certissimis rationibus, diuinis & humanis, nostram de elementis sententiam veram & stabilem esse, consentaneā verbo Dei & naturæ: Paracelsicorum vanam, futilem, falsam, mentitam, monstrosam & inutilem comprobaui. Superest igitur nunc vt videamus quid de nostris elementis ille senserit, quanquam aliena ab omni sensu de eis tradiderit. Si quid in superioribus omissum fuit, per hanc occasionem in sequentibus fortasse declarabitur. FVR. Confusa res est, nec facilè nos extricabimus, nisi vehementer fallor. ER. Omnia persequi nil esset aliud, quàm insanire velle cum insanientibus. Illa solùm ponderabimus, quæ ad instituendum te conducibilia puto. Primùm ergo quid ipse ac discipuli eius elementum vocent, indicabo. Mox quæ putarint esse officia eorum & facultates commonefaciam. Ante omnia de numero pauca quædam referam. Etenim numero, vt nos, quatuor posuerunt: licet hac etiam in parte à veritate & à seipsis recedant longissimè. Etenim ignem vocant cœlum vnà cum astris. Hæc enim pro quarto elemento supponunt vero igne loco suo moto. Quanquam hic etiam, vt in omnibus aliis, Paracelsus fœdè secum pugnat: dum & in Meteor. & ad Athenien. ignem vocat elementum: quod scilicet instar vasis cuiusdam contineat cœlum & astra, ex se velut ex matrice producta. Mox contrarium asserit dicens, cœlum esse capsam illam

De numero elementorũ iuxta Paracelsum

lam comprehendentem astra:& ignem esse ex cœlo, vt ex ventre seu matrice editum. Sic apertissimè facit cœlum causam ignis, & vicissim ignem causam & matricem cœli. Cum magnum mysterium diuideretur in e-« lementa, factus est ignis (ait ad Athen.) cœlum & rece-« ptaculum seu locus firmamenti. Item, Quicquid in i« gne fuit, partim in cœlos permutatū est veluti locum, « partim in astra conuersum est, quæ ex illo, tanquam ex « caule flosculi emerserunt. Non est tamen hoc prorsus « simile. Nam caulis cum flore ex terra enascitur: at side-« ra solummodo per secretionem ex igne prodierunt. « Et ante factam separationem cœlum & astra vnicum « fuerunt elementum ignis: sicut hyeme arbor est arbor « solùm: quæ deinde æstate secernenda separans excer-« nit ex se folia, flores, fructus. In Meteor. Ignis, inquit, « non est elementum, sed cœlum. Nam ignis materia est « coquens & preparans ac mortis instar omnia corrum-« pens. Quare nō potest elementum esse, sed mors quæ-« dam visibilis. Præterea nihil tribuit homini elementa-« le: fructus profert nullos: nulla cum eo societate iun-« gitur: sine eo viuere atque esse potest. Cœlum autem « diem, noctem, æstatem, hyemem efficiens, fructus au-« gens, ac elementa reliqua adiuuans, est elementum. «
Hic primùm notabis, quòd dixi, planè contradictoria eum scribere, dum vno in loco ignem elementum facit, in altero negat: & iam cœlum ait ex igne productū: mox ex cœlo ignem enatū esse affirmat. Deinde quòd ex terra enasci aliter plantas, quàm ex igne sydera, inquit. Equidem infrà videbimus longè aliter alibi & in hoc ipso libro eum scripsisse. Ad rem ipsam quod attinet, non est opus, puto, vt cœlum elementum nō esse mistorum ostendam. Suprà namque ignem necessariò elementum esse, cœlum autem non esse demonstrauimus. Verùm illi, qui ex elementis nihil generat, sed pro

Cœlum non est elementum mistorum.

" locis & hoſpitijs tantum habet, (tametſi hic quoq; ſi-
" milis ſui manens ſeipſum putidè mendacij redarguat)
" licuit magis cœlum ponere elementum, nobis nullo
" pacto licet. Nos enim miſta ex elementis, vt ex mate-
" ria confieri ſic docemus, vt in eis inſint, alterata tamen:
" & in eadem ad extremum rurſus diſſoluantur.
FVR. Satis hac de re dictum antea eſt. Nunc quid ele-
mentum ſit videndũ. ER. In Meteor. Elementum di-
cit eſſe matrem ſeu matricem fructuum ad hominis
conſeruationem conferentium. Eodem modo defi-
nit in lib. de Impreſs. Meteor. In magna Aſtron. ſcribit
elementum eſſe rem, in quam poſitum ſit viuum ali-
quod. Contendit enim in ſingulis elementis contine-
ri ac viuere creaturas tum ratione præditas tum cadẽ
carentes. Quæ ipſius imaginatio nonnihil habet com-
mune cum ſomnio Platonis in Epinomide, ex æthere
Deos, ex aere dæmones, ex aqua ſemideos fabricantis.
Huic ſectatores addunt etiam terreſtres Deos. Paracel-
ſus eum ſtulta Gentilitate etiam ſyluarum, montium,
lapidum Deos confinxit. Et ne ſcelere inferior eſſet vl-
lis alijs, ignorari dicit, quibus via ad ſalutem patefacta
ſit, nobis ne, an aliorum elementorum inhabitatori-
bus. Ex his perſpicuè patet, cur id dicat elemẽtum eſſe,
in quod viuum collocatũ ſit. Summa eſt, elementum
id eſſe, quod alia inſtar loci cuiuſdam aut vaſis conti-
neat, & fructus quoſdam ex ſe tãquam ex ſinu ſuo pro-
" mat. Hac de cauſa in lib. quodam de Chirurg. hæc ſcri-
" bit. Elementa non faciunt qualitates (ipſe vocat com-
" plexiones) ſed metallica ex ipſis pronaſcentia. Ita ho-
" mo elementũ eſt, ac metallica ſeu mineralia eius ſunt
" morbus & ſanitas. Corpus eſt matrix, ſemen id eſt, ex
" quo hæc fiunt. In impio libro de Medicina cœleſti, E-
" lementa, inquit, non ſunt corpora, ſed ventus, aer, ſpi-
ritus. Nec agunt quicquã ſiue calida ſint, ſiue frigida:
ſed

Quidnam ſit elementum Paracelſo.

Elementa Paracelſo ſunt vaſa, receptacula capſæ, hoſpitia, &c.

ſed operatur in ipſis ſal. Ignis etiam, inquit alibi, calore nil corrũpit, ſed ſpiritu, qui in ipſo ineſt. In Meteor. ait. Elementum terræ non eſt corpus, ſed quod in illo corpore continetur inuiſibile, ſicut ſpiritus hominis inuiſibilis eſt. Terra nõ fert fructum, ſed elementum in ipſa exiſtens eos parit. Sic elementa 4. corporalia quidem ſunt, attamẽ in ſua natura & eſſentia ſpiritus ſunt. Spiritus enim viuit, & vita eſt ſpiritus, omniaq; peragunt ſpiritus & vita, vnum exiſtentes, nõ duo. Proinde cum dicitur à certo venire elemento, non de corpore, ſed de elemento accipiendum eſt. Sicut enim non lingua, ſed in ea ſpiritus loquitur: & non caro & ſanguis homo ſunt, ſed ſpiritus: ita quatuor ſunt animæ vel ſpiritus, terræ, aquæ, aeris, cœli. Lib. 2. ad Athen. hæc habet. Quod videtur corpus, continens eſt elementi. Elementum autem eſt ſpiritus viuens tanquam anima. Eſt prima elementorũ materia: quæ nil eſt aliud, quàm vita creaturarũ. Item, elementum non eſt aliud quicquam præter animam: quanquam eſſentia eius nõ eſt, qualis anima, ſed ſimilis animæ. Differentia enim eſt inter animam æternam, & elementi: quæ vita eſt creaturarum. Non ignis comburens elementum eſt, ſed anima in eo inuiſibilis elementum eſt & vita. Vt porrò diſcrimen corporis continentis & animæ ſeu vitæ in eodem latentis intelligas, audi quæ de aqua & igne dicat. Elementum aquæ, ait, aquam dedit, elemento aquæ contrariam. Nam minus humida eſt elemento, in quo eiuſmodi eſt humiditas, quæ lapides & duriora metalla emollit. Hęc molliendi potẽtia debilitatur per aquam ſubſtantialẽ. In his verbis aquam corporalẽ & viſibilẽ aduerſari dicit elemento aquæ inuiſibili in corporali aqua cõprehenſo, quia vires eius hebetet ac minuat. De igne ſic ſcribit. Ignis elementũ in ligno viridi ſic poteſt ineſſe, quomodo in igne ineſt: licet vita non

Elementorum eſt uita creaturarum.

sit in ligno, vt in igne. Quare differunt anima & vita. Cum enim ignis viuit, ardet ac vrit. Ex his videor mihi intelligere ipsum per elementum verum & inuisibile, quod spiritum & animam elementi vocat, nil aliud intelligere, quàm elemẽtum purum sincerumq;, qualis in sua sphæra est ignis. Quid enim aliud potuit dicere, quando dixit, ignem in anima sua, siue in elemento suo, nec ardere, nec vrere? Equidem nos quoq; dicimus ignem non vrere ac lucere siue ardere, adeoque non visibilem esse, cũ est rarus aut per commistionem aliorum temperatus. Ita vt in arboribus aut herbis inesse dicimus, & neque lucere tamen neque comburere: quod voluisse videtur significare, cum dixit ignis elementum, hoc est, animam ignis in viridi ligno esse: attamen in eo non viuere. Vitam definit operatione: vt viuere dicatur ignis, qui ardet ac vrit. FVR. Credo hanc eius fuisse mentem, quam aut non potuit, aut, quod probabilius est, noluit clarius exponere, vt aliud videretur dicere. Hoc tamen vexat me, quòd animam & vitam elementorum eadem dixit esse: ac postea in ligno animam ignis ponit absque vita: imò quòd à vita animam distinguit. ER. Ego singulis non paginis, sed propè versibus contradictoria ab eo adferri tam non miror, vt summè admirer, si constantem sibi in vna aliquando pagina inueniam. Potest tamẽ hoc loco excusari, si per vitam vitæ operationem intellexisse dicamus. Potest enim iuxta primum actum adesse ignis, vt tamen nõ vrat. FVR. At ignis semper est in actu secundo. Non enim possumus ignem imaginari, qui non calefaciat, cùm hæc sit formalis eius actio. ER. Rectè si purus & non mixtus sit, semper calefacit, tametsi propter raritatem non continuò comburat, quæ tangit. Cum autem à contrarijs est quasi iunctus, ligatus, & hebetatus, potentia solùm calefacit. FVR. Sed ad illud quid dice-

Vita apud Paracelsum quid sit.

Ignis semper est in actu secundo.

dicemus, quòd ignis corpus vno in loco nil agere affirmat, sed actionem omnem spiritui siue animæ tribuit: ac deinde alio loco animam non viuere, id est, non operari scribit, si spoliata sit corpore illo suo calido?

ER. Quid respondeam ita percunctanti aliud non habeo, quàm illum plerunque nesciisse quid diceret. Cerebrum adeo perturbatum habuit, vt rarò animaduerteret quid ageret. Logices imperitia fecit, vt aptè non distingueret: sed contraria de eisdem passim affirmaret. Sufficit nobis iam vidisse quid elementum vocet. Duplex autem ab eo adfertur descriptio. Vna est, cum vocat matricem ex se aliquid producentē, quod conseruationi vitæ hominum inseruiat, ac sine quo viuere homines non possint. (Sub hac, illam comprehendere volo, qua receptacula definit rerum viuentium.) Altera est, cum Elementum dicit esse, non corpus, quod videtur, sed animam, vitam, vel spiritum in eo latētem inuisibilem, omnium actionum opificem & authorē, & per quem sic agat Elementum concretum, quomodo anima (ipse vocat hominem) per linguam loquatur. *Descriptiones elementi Paracelsicæ.*

Sic tres in vniuersum habemus elemēti descriptiones. 1.
Harum prima, velut vasa quædam nobis ea describit, 2.
hoc est, continentia solùm esse dicit. Altera complectitur vtranque partem, continens & contentum. Tertia contentis quibusdam solis definit. 3.
Ad discipulos quod attinet, nihilo sunt magistro suo meliores. Qui inter ipsos præstantissimi videntur, inscitè præceptoris leges sequuntur: & ex contradictione deteriorem partem plerunque eligunt. Vtrum elementorum superiorum, scilic. ignis atq; aeris fructus, vt ipsi vocant, rectè ac puerili errore asscribamus vaporibus & exhalationibus, postea videbimus: nunc quàm præclare ipsi elemenra nobis definiāt, inspiciamus. Elementum inquiunt, iure optimo appellabitur, quicquid fructus *Definitio elementi discipulorum Parac.*

tales (nempe vel pluuias & niues: vel mannam & rorem: vel metalla & lapides, vel plantas & animalia) perpetua viciſſitudine ſubminiſtrare & fouere poteſt: ſumma caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas, ſteriles huius lithurgiæ diſpenſatores fuerint. Non exiſtimant hi, ex elementis inter ſe miſtis generationes hîc fieri, ſed in ſingulis elementis ſemina latere, quæ certis temporum periodis in generationem progrediantur. Ex hac procreationum diuerſitate & numero, elementorum ordines & numerum (non ex qualitatum numero) deducendos fuiſſe ſtultiſſimè putant. Proinde elementa dicunt eſſe loca, matrices, domicilia, vitali validaque poteſtate munita: quæ ſemina generationum contineant, protrudant, maturent, officioque perfunctis hoſpitium concedant. Et quia loca ſunt, aiunt, incorporea vt ſint neceſſitas iubet: cum aliter tantam corporum multitudinem recipere tam facilè non poſſent. Vacua & inania ſunt ſimili propemodum prouidentia: alioquin inæquali fauore quibuſdam plus obligata obſcurius alia recepiſſent. Item in his quatuor naturis incorporeis, inanibus, vacuis, ſeminales rerum omnium rationes creator impoſuit. Scribunt ijdem & hæc. Dicimus igitur, eſſentiam, exiſtentiam, vitã, & actum entium vniuerſorum, elemẽta eſſe. Quæſo te, an né dignæ tibi videntur hæ ineptiæ, quæ longa & operoſa argumentorum deductione refutentur? Quilibet videt eas & inter ſe & cum veritate ſenſuum noſtrorũ pugnare. FV. Quanquam ex prædictorum conſideratione poſſint facilè dilui ab intelligentibus & exercitatis, velim tamen cùm mea tum aliorũ mei ſimilium cauſa quædam clarius diſſolui. ER. De Elementi definitione ea, qua dicit naturas eſſe cõtinentes viui quippiam, non eſt neceſſe, vt aliquid ſeorſim dicam. Multò minus expectabis à me, arbitror, explicationem illorum

Generationes non fiunt ex miſtis elementis.

Elementa ſunt incorporea, inania, uana, ſeminum receptacula.

lorum viuorum, quæ in singulis elementis fabulatur viuere Paracelsus. Etenim satis ex supradictis liquet, quàm sit hæc phantasia absurda, prodigiosa, & impia. Memini quoque in prima parte nobis aliquid dictum esse, quod huc transferri possit. FVR. De spectris illis, quæ aliquando in aquis, syluis, specubus subterraneis, apparuisse ferunt, parùm solicitus sum, vt qui præclarè sciam Cacodæmones esse. At non de hoc viuo locutus videtur Paracelsus: sed de seminibus & principijs vitæ, quæ in elementis contineri ait. Ex his fructus elementorum oriuntur, quos vita destitui neutiquam tibi concedent Paracelsici. ERAST. Benè est, si sic habet: liberati nihilominus sumus à confutationis tædio. Principio sciendum est, Paracelsum vnà cum suis discipulis nomine Elementi, contra vsitatum morem loquendi omnium ætatum & hominum flagitiosè abuti. Etenim Elementum propriè sumptum omnibus significat minimam partem eius, ex quo res, tanquam ex materia, coagmentata fuit: quemadmodum ex Aristotele in lib. de Cœlo & Mundo clarè perspicitur. Per quandam deinde similitudinem vocatæ sunt etiam partes non materiales Elementa, siquidem ex eis res aliqua constaret: quomodo principia nonnunquam elementa vocantur. At nos de corporum mistorũ elementis loquimur. Dum igitur Elementa vocant loca & continens cellas, negant partes esse mistorum. Equidem nec locus locati, nec matrix fœtus pars aliqua est. Quomodo igitur elementi nomine non impudenter abutuntur? Veruntamen de receptaculis illis primùm agemus: mox de contentis differemus: vt quidnam tandem de Elementis sentiant inepti Nouatores isti perspiciamus. Elementa cum dicunt Paracelsici matrices esse, quæri potest, vtrum corporeas putent, an

Paracelsici nomina elementi flagitiosè abutuntur.

Locus non est pars locati.

Elementa non sunt matrices et receptacula

potius incorporeas? Sunt enim quidam hactenus elati, pudendaque ambitione turgidi, vt pro nihilo habitis sensibus, à quibus omnis cognitio nostra exordium sumit, spretis omnium eruditorum, imo hominum iuditijs, contemtis magistri sui decretis, adeoq; sacris literis despectis, imò seipsis neglectis, superbè affirmare audeant, elementa naturas inanes & vacuas esse. Etenim cap. 5. Vbi de cœlo vel igne, aere, aqua, terra, nugantur, sic scribunt. In his quatuor naturis incorporeis, inanibus, vacuis, seminales omnium rerum rationes incomprehensibili magia (amans pietatis dixisset potius, Sapientia: ne sceleratæ Magiæ videretur fauere: cuius Paracelsum studiosissimum fuisse constat) imposuit creator. Nisi enim essent à dimensionum legibus absoluta; nequaquam corporum, principiorum, & seminum, tantam multitudinem tam facilè reciperēt. Item, vacua & inania sunt simili propemodum prouidentia: alioquin inæquali fauore quibusdam seminibus plus obligata, aliorum rationes obscurius recepissent, & minimè synceras repræsentassent. Quid in his verbis non execrabile est? Sacræ literæ testãtur, Deum cùm nihil esset, totum hunc mundum creauisse corporeum: ac nominatim cœlum, terram, aquam, nominant Entia. Hic autem vocat inanitates, vacuitates. An non sensus nostri sensibilium iudices nos docent elementa esse corpora, non esse inanitates? Quis deinde homo extitit inquam, qui terram & aquam incorporeas esse putaret? Omnes philosophi & eruditi homines qui à condito mundo vixerunt, hunc mundũ aspectabilem cõstare dixerunt ex cœlo & quatuor elementis, vt partibus principalibus, & reliquas in se continentibus. Quòd si vacuitates sunt, totus mundus inanitas erit nihilúe. Falsi igitur sumus ex nouorum reformatorum iudicio, vt cœlum & elementa à Deo corpora

Elementa sunt corpora, non autem inanitates

credi-

credimus creata ex nihilo. Sunt enim nunc quoq; inanitates, & vacuitates: hoc est, nihil. Paracelsus certè ex sulphure, sale, mercurio, tanquam ex prima materia, vniuersa architectatur: & ante omnia ex his elementa fabricatur. Quanquã verò ipse quoq; matrices vocat, non tamen inanitates appellat ac iudicat. Nõ enim vel inanitas vel nihil est matrix, in qua conformantur animalia: nec incorporeum est vas vinum aquamúe continens. Equidem quod in se cauitatem seu vacuum habet, non continuò vel incorporeum est vel inane. Si maximè daremus, in terra loca esse inania & vacua, nulloque aere plena: an propterea terram totam naturam inanem & incorpoream dare cogeremur? Non arbitror. Imò contradictoria sunt, dicere, hoc esse naturam creatam, & idem hoc naturam esse incorpoream & inanem. Quicquid enim Deus creauit, hoc non est inane, licet meatus habeat ac vẽtres subtiliore aliqua substantia refertos. Muudus enim ex non ente, factus est ens: ideoque vacuum quod est, non ens, in se non habet. Parùm abest à blasphemia, quisquis in creatis rebus vacuum simpliciter, siue non ens, ponit. Sanè admirabilium in natura operum, non minima causa est, quod vacuum dari nequit. Propter hoc enim & leuia deorsum, & grauia sursum sæpenumero mouentur. Aerem corpus mobilissimum ex tubulo aut arundine viribus nullis exsugere poteris, si non alius subingredi, vel aqua aliunde corpus cedenti succedere possit. Nec aliam ob causam cucurbitæ medicæ ad se attrahunt ex cute spiritus, vapores, succos, aut ipsammet intra se adducunt cutem cum carnibus, quàm vt vacuum vitetur. Cum enim aer in ipsis per ignem rarefactus plus occupat spatij, & extincto igne rursus in se coire conantur, non potest antè densari, quàm in locum, ex quo recessit, alia substantia intrarit. Sed hæc

Dißentiunt discipuli & Paracelsus in elementorum declaratione.

Cur in mundo nõ detur uacuum.

Cur medicæ cucurbitulæ humores ex cute ad se pertrahant.

extra institutum nostrum porriguntur: quæ consecutionis gratia obiter dicta sunto. Satis ex prædictis perspicuê demonstratum est, Paracelso contradicere, quicunque Elementa & matrices corpora esse negant. In principio namque suòrum Meteororum, vt alia nunc mittam, ait, Deum cum creare Mundum decreuisset, in quatuor partes diuisisse, vt quatuor essent corpora, Matrices rerum omnium homini necessariarum. Demonstratum deinde illud etiam fuit, impiam & execrabilem esse illorum temeritatem, qui nouas Deo & hominibus leges præscribere connituntur. FVR. Parcius ista viris. Non enim negant corporata esse, quæ vos vocatis elementa. Vestimenta fructusque verorum elementorum nuncupant: aliquando concreta, vulgaria, communia, Elementa nominant. Elementa namque dicunt essentias, existentias, vitas, actusque esse vniuersorum Entium. Non rectè etiam velut grande & enorme peccatum aliquod exaggeras, quòd elementa naturas inanes & vacuas appellant. Etenim sic & Moses loquitur. Terra, inquit, inanis erat & vacua. ERAST. Vtinam cum Mose loquerentur sentirentque noui Sophistæ. Moses nullo in loco dixit terram in prima creatione fuisse naturam incorpoream, inanem & vacuam, adeoque omni dimensione carentem, vt scilicet posset locus & receptaculum esse Chimærarum, quas vel somniarunt, vel instigante Diabolo excogitarunt temerarij nouatores. Alia est oratio, cum dico, corpus aliquod esse iners, sterile, rude, & vacuum: quàm cum incorporeum, & à dimensionibus absolutum, inane, vacuumque affirmo. Quando corpus aliquod dicimus inane & vacuum in se habere (vt cum spicas dicimus inanes & vacuas, non quòd aere non sint plenæ, aut re alia consimili, sed quòd non refertæ sint granis,

Moses non dixit terram esse incorpoream.

quomo-

quomodo esse debebant) non affirmamus etiam incorporeum esse. At cùm naturam aliquam asserimus incorpoream esse pariter & inanem ac vacuam, quid quæso aliud asseueramus, quàm nihil esse? Concipi animo nequit, natura incorporea, inanis, vacua, dimensionibus carens, incorporeæ naturæ, tametsi corpore sint vacuæ, dimensionibusque careant, non ideo tamen sunt inanes. Moses, vt in secundo mox capite ipsemet se exponit, hoc voluit dicere, terram caruisse plantis, animalibus, rebus mistis alijs, adeoque cultu & ornatu illo omni, qui postea accessit. Non scribit, Deum fecisse terram incorpoream & inanem, verùm corpoream: attamen sterilem, desolatam, orbam, infrugiferam, ornatu carentem adhuc extitisse. Quæ huius & illius orationis aut sententiæ similitudo? Plus distant quàm lux & tenebræ: quantum videlicet differunt veritas & mendacium. Incassum igitur defendere hac ratione paradoxum hoc conatus es. Quod ad alia attinet, noris non esse nobis institutum hoc loco sermonem de hisce elementis seu de principijs. Non enim nescimus, formas rerum aliquando vocari elementa rerum. Loquimur iam de elementis corporum, ex quibus, vt materia, conflata sunt mista. Si de eisdem elementis accipias proximè citata ex capite septimo verba cum superioribus, quatuor tantùm erunt essentiæ, Actus, ac vitæ rerum omnium. Suprà namque de quatuor se loqui ostendit naturis. Adde, quòd essentia & actus rerum non est natura inanis vel locus. De alijs ergo elementis nunc disserimus, & de continentibus quærimus: de contentis postea acturi sumus. Elementa in se velut in cella penaria vel abysso, quemandmodum isti loquuntur, semina generationi consecrata, corumque fructus comprehendentia, domicilia dicunt esse

Cur Moses terram dixerit esse uacuam.

Si elementa sunt loca uacua, perperam uocantur elementa, aer, ignis, aqua, terra.

loca & receptacula vacua. Quòd si est ita, non debent ignis, aqua, aer, terra, elementa vocari. Non enim inanitates sunt hæc quatuor, sed corpora sunt tactilia. Absurdissimè quoq; nominantur Elementa corporum, incorporeæ naturæ inanes. Quis enim prudens post creatos homines vnquam dixit, corpora naturaliter ex non corporibus velut materia confici? Qui asseuerare hoc audent defendereque conantur, indigni sunt, quibus cum homines docti verba commutēt: vt quos nihil pudeat Deum & Naturam accusare, adeoq; corrigere. Quis vnquã ita fuit audax, vt locum quem incorporeũ iudicaret, corporis partem materialem faceret? imò quis tribuere ausus est tali loco vim suscitãdi, producendi, maturandi fructus corporeos? FVR. Nónne Peripatetici quoq; Loco potestatem adscribũt locata conseruandi? Certè sic sentiunt. Et incorporeũ locum esse ijdem nõ inficiantur. Quod igitur hîc est tam graue peccatum? ER. Ingens est discrimen. Illi namq; corporis ambientis superficiem locum dixerunt: hi nescio quas inanitates fingũt. Quis verò nescit, Deum seu naturam sic aptasse inter se corpora naturalia, vt quæ naturaliter cohærere deberent, extrema sortita essent quodammodo similia? Ideo non quemlibet locum, sed naturalem conseruationi seruire dixerunt. Quanquam acutius alij de loco disseruerunt: quorum explicatio huc non pertinet. Satis est monuisse in præsentia, veteres non inanitati hanc virtutem assignauisse: sed corporis ambientis naturæ adscripsisse. Nunquam illi locum, quoad esset inanitas, aliquid facere putarunt, sed quoad esset certi corporis extremitas & superficies. FVR. Quid si & nos dicamus loca corporum ambientium superficies vel extremitates esse? ERA. Sic sensisse videtur Paracelsus: tametsi pro more suo nunquam sui similis permaneat. Vt enim matrix

Locus conseruat locata.

Quatenus locus dictus sit conseruare locata.

trix corpus eſt ac locus ſeu receptaculum fœtus, ita elementa corpora ponit in ſe concauitates habentia, ex quibus fructus protrudant. Etenim ex tribus primis diuerſa proportione coniunctis, tanquam ex materia prima elementa conficit, atque corpora eſſe confitetur. Diſcipuli autem eius neque corpora eſſe concedunt, neque ex tribus primis conſtruunt. Etenim quod ex corporibus conſtitutum eſt, vt ex materia, corpus eſt neceſſariò. Quàm enim fieri non poteſt, vt à vi creata ex non corpore corpus fiat, tam eſt impoſſibile, vt à creata poteſtate corpus reducatur in aliquid incorporeum. Eiuſdem namque eſt potentiæ virtutisque, ex nihilo aliquid, & ex aliquo nihil: ex incorporeo corpus, & ex corpore incorporeum efficere. Eſſe porrò tria illa Paracelſicorum prima elementa, corpora, vel ex vno illo patet, quod per artificioſam ſeparationem à miſtis ſecerni, ſeorſumque monſtrari poſſe ſcriptitant: quodque aliam probationem ſententiæ ſuæ nullam adferunt, quàm hanc artificioſam analyſim ſiue retexionem corporum in ſua elementa. FVRN. Mirabile eſt, quod dicis. An igitur non poteſt ignis corpus aliquod conſumere? Certè oleum in lucerna paulatim abſumit totum, vt cætera taceam. ERAST. Quod dixi tam eſt verum, quàm quod veriſſimum. Nec dubitat quiſpiam in Ariſtotelis lectione verſatus, vt Sacras literas & Theologos nunc præteream, apud quos notiſſimum eſt. Non apud Ariſtotelem alioſque probatos philoſophos legiſti, corpora omnia tandem in elementa, ex quibus conſtituta fuerunt, iterum reſolui. Hippocratis, arbitror verborum nondum es oblitus, quæ ſuprà citauimus: in quibus manifeſtè aſſerit, miſtorum partes in eorum corruptione ad ſuum quamque redire elementum: ignem ad ignem, aerem ad aerem, &cæt.

Corpus non poteſt fieri incorporeum virtute naturali.

Quomodo autem resolueretur in elementa, quod corpus esse desijsset? Vt minus mireris, Paracelsici illius, quem suprà cæteris mecum anteponebas, verba tibi proferam. Nihil ab igne, inquit, consumitur, sed per modum transmutationis, quod ab vno recedit, ad elementum aliud accedit. Rectius hoc ab eo dicitur, quàm aliter ille scribat, Corpora ad infinitatem, & hoc quod nihil est, magno impetu labi. Falsum namque est, creatum corpus ex sua natura ad nihilum ferri: cùm à solo Deo ad nihilum reduci valeat. Potentiam in se habent mutabilitatis, ideoque ad mutationem & corruptionem pro sua quodque natura pronum est: non vt nihil fiat, sed vt aliud fiat, ac voluntati creatoris sui pareat. Sicut enim res, cùm non essent, potentiam in se non habebant, vt creari possent, sed potentia solùm in Deo omnis fuit, ita nunc postquam Deus Mundum, & quæ in eo continentur, ex nihilo creauit, potentiam in se non habent, per quam vel à se ipsis ad nihilum relabi, aut à creata virtute huc redigi valeant. Nam in solius Dei potentia & voluntate, qua res omnes creauit, creatasque conseruat, situm est, vt vim & facultatem rebus creatis subtrahat. Ignis itaque mistionem soluit, & quæ potest in ignem vertit: reliquis ad suas sphæras redeundi occasionem adfert. Ex quibus iterum vides, quâm sit ridiculus ille Gracculus, qui dum se Pauonis plumis indutum opinatur, atri corui pennis opertus reperitur. Quippe hac in re quoque Magistri sui (quem ex Doctore Cacodæmone suam doctrinam suxisse suprà demonstrauimus) figmentum veritate iudicauit pulchrius. Nam in libro ad Athenienses hæc legimus. Ideo ibi deprehenditur corporalia ad nihilum redigi, in quod omnia vertuntur. Etenim separabuntur à sua essentia in nihilum,

Nullum corpus ab igne prorsus absumitur.

Corpora Paracelso ad nihilũ reducuntur.

hoc

hoc est, de aliquo in nihilum. In Meteor. sic scribit. Quemadmodum mors rerum ex terra ortarum in terra est: sic, inquam, vt ad nihilum redigantur cunctæ, & omnino consumantur, ita in aere quoque est consumptio. Verùm istis impietatibus missis, ad rem redeo. Qui elementa negant esse corpora, atque inanitates à dimensionum legibus absolutas prædicant, non possunt superficies corporum inducere, quæ à dimensionibus absolutæ non sunt. Quæ igitur erit superficies terræ? aut qua superficie terminabitur? Non propria. Est enim inanis, incorporea, ab omni dimensione absoluta. Nec aliena quoque circumscribi poterit. Primùm quidem, quia natura inanis & incorporea superficie terminari nequit: Deinde quia nihil est terminare potens seu ambiens. Aqua namque caret ipsa quoque termino: quia & incorporea est & inanis. Ratio eadem est aeris & ignis. Quin immo cùm cœlum ponat pro quarto elemento, & ob id natura sit dimensione carens & inane, totus erit Mundus interminatus, inanis & nihil. An hoc non est de Natura, de eiusque authore Deo contumeliosè loqui? Deus mundum aspectabilem creauit ex nihilo, vt esset Ens corporeum. Huius partes principes cùm sint cœlum & 4. elementa suis finibus circumscripta, improbè loquitur, qui naturas incorporeas, inanes, terminis nullis circumscriptas ac definitas affirmat. Aliter loquitur in Sacrosanctis literis Deus. Sed rogo te, quomodo poterit elementa distinguere, qui naturas inanes esse ait? (Quod enim dimensionibus careant inanitates, per se notum est.) Etenim in eo quod nihil est, nihil inesse potest, quo vel ab existentibus rebus, vel ab inanitatibus alijs discernatur. FVR. Terminos præscribit virtus vitalis: quibus non elementis modò standum est, sed & seminibus &

Elementa carent dimensionibus.

Totus mundus est inanitas.

Elementa Paracel. non possunt distinguere.

corporibus. ERA. Audio dici,& inaniter dici video: si modò rectè inane vocetur, quod imaginarium & falsum est. Impossibile est, vt vitales potentiæ in corpore simplici inhæreant, vt subiecto: cum requirant organicum corpus. Sed nec sunt substantiæ per se absq; subiecto subsistentes, hoc est, non sunt res separabiles (χωριστὰ vocant Græci) Vniuscuiusq; actus in sua inest materia propria: alibi nec esse, nec definiri potest. Qua ratione igitur insunt in elementis, quæ non sunt aliud, quàm inanitates? An inseparabilis à subiecto suo potestas inerit in inanitate, vt eam muniat ac ornet? Non miror amplius cur Prædicamentorum ordines mutatos cupiant isti homines. Nunquam enim illa somnia probabilia efficient, priusquam nobis persuadeant inane & plenum, incorporeum & corpus, qualitatem & substantiam, album & nigrum, separabile & inseparabile subijci, & in subiecto inhærere, eadem significare. Vnum hoc principijs suis consentaneè asserit, Elementa sua (hoc est, vacuitates & inanitates) inania & vacua esse, & nec misceri, nec corrumpi. Illud autem falsum & impossibile est, quod capite duodecimo affirmat, Elementa matricum & locorum rationem obtinentia spiritibus ac seminibus trium principiorum alimenta subministrare. Quomodo namque aut vnde alimenta suppeditabunt, si loca sunt inania & vacua, corporalisque naturæ expertia? Falsum non minus impossibileque illud est, quod secundo capite scribit, his verbis: Huius (scilicet naturæ radicalis seu principij vitæ) beneficio elementa repugnantia concordi mistionis lege ligantur, & digestis temporibus, corruptis ac consumptis dictis elementis, remanet nihilominus in hac materia principium vitæ. Hæc dico falsa sunt, si inanitates sunt elementa. Quomodo namque inane inani repugnet? aut

Monstrosæ aliquot contradictiones cuiusdam Paracel.

quomo-

quomodo inter ſe inanitates miſcebuntur? Si nec miſcentur, nec corrumpuntur Elementa, qua ratione hic miſcent, & definitis temporibus corrumpi conſumiq; feruntur? Quo pacto Naturæ inanes & incorporeæ corruptæ materiam poſt ſe relinquent, in qua vitales rerũ poteſtates incorruptæ conſeruentur? Quæ Chimæræ ſunt iſtæ? FVR. Non de eiſdem Elementis vtrobique, puto, loquitur. ER. Certè in vtroque loco de Elementis continentibus ſeu Matricibus loquitur. De primo loco nulla poteſt eſſe controuerſia. Sed nec de altero poteſt dubitare, qui pręcedentia & ſequentia ponderauit. Loquitur enim de Elementis, quæ radicalem illam Naturam in ſe continent. Hanc radicem ſeu ſpeciem remanere ait (corruptis Elementis continentibus) in Elementorum materia. Et mox repetit, principium hoc vitæ, Radicem, Balſamum, Mumiam, Elementum, reliquis Elementis admiſtis corruptionem ſubeuntibus etiam num vigere. Apertè hîc Elementa continentia à contentis diſtinguit: atque illa corruptioni obnoxia, hæc corruptibilia manere aſſerit. FVR. Longè aliter « de loci natura ac proprietatibus ſentimus, ac plerique « Peripatetici, qui Mathematicas deſcriptiones rebus na« turalibus adaptare conantur. Apud nos Elementa, Ma- « trices, Mineræ, loca ſunt rerum non ocioſa, ſed ſuis pro- « prietatibus inſtructa, quæ vitam & alimenta exhibent « ſuis locatis, id eſt, ſeminibus: vt ea de ſe proferant, quæ « in theſauris & penetralibus recondita ſeruant. ER. Re- « cordor hæc me legiſſe in decimotertio capite. At nihil iuuãt cauſam, imò reddunt deteriorem. Deſcriptiones Mathematicæ non adaptantur rebus naturalibus à peritis Philoſophis. Intelligunt hi præclariſſimè, quãtum differant abſtractæ quantitates à dimenſionibus in corporibus inhærentibus. Reprehendit ob id Ariſtoteles Antiquorum aliquos iſta non aptè diſtinguentes. Quo

circa quod paſſim facit hic autor, calumniam hoc loco quærit. Sed hæc obiter. Si aliter de loci natura ſeminis, quàm Peripatetici, non debebatis inanitates vocare. Quomodo conſiſtent ſimul hæc, & prius dicta? Suis proprietatibus inſtructa ſi ſunt loca, & vitam inſuper atque alimentum locatis corporibus exhibent, non ſunt inanitates & res quædam corporis expertes. Non eſt imaginabile quomodo inane, vacuum, incorporeũ, corpori ſubminiſtret alimentum corporeum. Cum enim & Paracelſus & diſcipuli eius vnà nobiſcum rectè confiteantur, res quaslibet ijs ali, ex quibus conſtant, corporum alimentum corporeum eſſe oportet. Benè eſt, quod dicis, apud vos elementa eſſe inanitates à dimenſionum legibus abſolutas, loca incorporea, ciſtas, capſas, ventriculos vacuos: & nihilominus admirandis viribus ornata, proprietatibus differẽtibus inſtructa poteſtate viuificandi prędita, deniq; contentis intra ſe corporibus de ſe alimenta corporea exhibentia. Apud vos, inquã, iſta locum habeãt, apud quos inane & plenum, incorporeum & corporeum, ſubſtratũ & quod in eodẽ inhęret, eadẽ ſunt. Apud nos aũt, & apud ſanos omnes, qui à prima creatione vſq; extiterunt, hęc ita pugnant, vt vnum effici alterum nulla vi creata nulloq; tẽpore poſſit. Quod inane eſt vacuũ, incorporeũ, apud nos nec elementum ſiue materia corporis eſſe, nec alimentum corporibus de ſe prębere, nec qualitate poteſtateq; corporea inſtructũ cẽſeri poteſt. Quod enim corporeã qualitatẽ in ſe habet, corpus eſſe aliquod oportet. Inane autẽ, vacuũ, & incorporeũ nihil eſt, ideoq; nullis prędítũ viribus eſſe poteſt. FVR. Non dicit autor, elemẽta de ſe alimẽta prębere corporibus, ſed ſeminibus. Semen aũt 8. cap. principium dicit eſſe vitale, ſpiritus in ſe continẽs mechanicos corporũ fabros. ER. De hac definitiõe ſuo loco. Sufficit hîc oſtendere, fruſtra hoc nobis obijci. Siue enim

Inane corpus eſſe elementum non eſt imaginabile.

ue enim ſpiritus cōtētos in principio vitali, corporeos ponat ſiue incorporeos, in ſuperiore loco manifeſtè ſcribit,arbores ſuis radicibus & fibris terrę infixas,ex ea, tanquam ex matrice,nutrimenrũ haurire. Quamobrē negari non poteſt,quin elementa ſenſerit alimenta ſuppeditare de ſe corporibus, quæ continent. Quid,quod ab his matricibus incorporeis miſtorum corpora aſſerunt naſci? Quia verò corpora,inquiunt,omnium indiuiduorum ab elementorum matricibus productorum compoſita eſſe animaduerterũt Philoſophi: quæſitum eſt diu,quæ ſit natura,proprietas,differentia principiorum,ex quibus componuntur. Nonnulli ſenſuum authoritate contenti,concretorum & cõmunium elemētorũ diſcrimina,proprietates,& officia,in ſingulis indiuiduorũ corporibus deprehendētes, ex horũ miſtione & cõgreſſu corporũ omniũ proprietates ac differētias deduxerũt.Nec dubiũ eſt,quin in corporibus vniuerſis cõcretis,quatuor elementorũ rudimenta conſpiciantur.Non poteſt clarius dici, ab elementorũ matricibus corpora concretorũ ſeu miſtorũ, quę indiuidua nominat,naſci.Sanè in quo corporis alicuius diſcrimina,proprietates,& officia inſunt, in eodē quoq; corpus ipſum ineſſe oportet.Si enim aliter ſtatuas,propriã alicuius affectionē abſq; eo,cuius proprietas eſt,poſueris,hoc eſt, proprietatem dixeris eſſe nõ proprietatē. Hoc perinde eſſet,ac ſi videndi facultatē extra hominē, in ſaxo ſcilicet vel plãta,vel re aliã,ineſſe cõtenderes. Quocirca nõ rudimenta ſolum elementorũ,ſed ipſa omninò elemēta neceſſe eſt in vniuerſis miſtis ſeu cõcretis corporibus ineſſe. At elementa proponebantur matrices tantummodo incorporeæ inaneſque. Ex incorporea itaque & inani natura concreta ſunt corpora plena & ſolida.

FVR. Loquitur fortaſſè de alijs matricibus. Etenim in eodem capite paulo antè Elementa,loca,domicilia,nu

trices, matrices, ex alias posuit, perfectione, puritate, simplicitate, vigore, potestate, plurimum discrepantes à communibus hisce elementis & Matricibus. ER. Incassum laboras. Loquitur enim expresè de concretis & communibus elementis seu Matricibus: adeoque de his nostris elementis, ex quorum mistione & congressu nos corpora omnía concrescere asseruimus. Omnia hæc summè admirarer, si non assueuissem monstrosis Paracelsicorum contradictionibus ac delirijs. Mirarer hoc etiam, quod vbique elementa contra leges à se latas faciant loca, cistas, receptacula, domicilia, seminum & principiorum. Hanc enim ipsi Dictatoris more legem tulerunt, vt in principali dicatur contineri, quod minus est principale, ac posterius in priore. Non negabunt, arbitror, semina elementis, animamque corpore præstabiliorem esse. Secundum hanc legem semina elementa continere oportet, non ab elementis semina comprehendi. FVR. Quid si dicamus, eos per matrices & loca seu elementa, semina, & primam illam materiam intellexisse? Continet enim radicalis illa materia vitale principium autorem & opificem omnium naturæ operum. ERA. Non potes. Loquitur enim de Matricibus complexu suo continentibus semina & corpora ex ipsis prodeuntia. Scio nos aliquando sic loqui, vt materiam à forma, corpus ab anima contineri dicamus. Sed continere tunc non significat complecti in se, vt cum sanguinem & spiritus in corpore, aut partem in toto contineri asserimus, sed significat regere, gubernare, sustentare, conseruare, aut simile aliud quippiam. Aliter continet matrix fœtum, Locus locatum, quam anima corpus. Hic de matricibus, locis, Receptaculis, Cellis, semina & principia, rerum continentibus, & ex se producentibus, sermo est. Cogeris ergo dicere, si de seminibus velis interpretari, semina

Continere aliquid ab aliquo non uno tãtum modo dicitur.

se ipsa continere, aut sui ipsorum Matrices esse. Sed quid opus est verbis? Manifestè enim agere de elementis alijs patuit. FVR. Nisi me fallit animus meus, perspicuè solideque satis demonstratum est, elementa corporum non posse incorporea vel esse vel cogitari. Hoc enim principium seu pronunciatum Physicum immotum manere oportet: ex incorporeis non coagmentari corpora: itemque corpora non redigi ad naturam incorpoream. Sententia hæc ab omnibus omnium ætatum eruditis hominibus sic est pro certa veraque habita, vt non verius rectè crediderint, bis duo efficere quatuor. Equidem Paracelsus in Meteor. aliquoties ait, genitum tale esse, quale id est, ex quo est genitum. Cœlum, inquit, corpus est, quoniam, quę ex eo generantur, corpota sunt. Item, Vbi corpora nulla sunt, ibidem nulla oriuntur corpora. Vbi autem fuerint, ibi etiã oriuntur. Ex hoc axiomate sequitur certè, corporum mistorum elementa, non esse incorporeas, inanes, & vacuas naturas. ER. Ego quidem ante hoc tempus impossibile iudicaui aliquem nasci natúmue esse, qui hac de re ambigeret. Postquam autem Paracelsum legi, mirari desij, propterea quòd in omnibus contradictoria affirmare animaduerti. In priore collatione multis productis testimonijs ostendi, hoc eum vehementer vrgere, vt affectiones & cogitationes animi probet corpora effici. Et quis, quæso, miretur hominem nusquam & nunquam ferè sibi constantem, modò veri aliquid dicere, mox idẽ illud rursum negare? Admirabilius mihi videtur, quod discipulorũ eius aliqui Præceptoris ineptias tanto studio imitantur, vt penè sola vitia magni facere videantur. Sanè incorporearum inaniumque matricum author hæc scribit quodam loco: Qui generationum, mistionum, & transplanationum leges ignorant, ac spirituum potestates & vicissitudines non ani-

Ex incorporeis nõ coalescunt corpora.

Paracelsus cogitatiões putat permutari in corpora.

Paracelsici quidam corpora gignit ex incorporeis.

maduertunt, *CORPORA EX CORPORIBVS SOLVM GIGNI*, magno errore affirmant. Idem asseueranter sæpius scribit, ex incorporeis corpora fieri. Itaque partem contradictionis falsam & impossibilem approbant, veram & genuinam damnant. Paracelsus, si viueret, nunquam in horum sententiam pedibus iret, puto, nisi omnino delirans rogaretur sententiam. FVRN. Puto in cuiusuis authoris lectione hoc nos probare debere, quoties de re eadem scribit non eadem, quod veritati consentaneum est magis. Ergo cum impossibile iudicarint omnes sani homines, ex incorporeis rebus corpora fieri naturaliter, Paracelsum libentius veritati essentientem sequor, quàm ab eadem recedentem. Quamobrem iterum affirmo, elementa corporum concretorum non posse incorporea censeri: propterea quòd necessarium sit corpora cōposita ex corporibus coalescere. Ex eodem axiomate hoc etiam conficitur, elementa non tantùm esse loca seu matrices. Locus enim & matrix seu receptaculum non est pars aut materia corporis locati. Locum quoque superficiem esse, corpus locatum ambientem manifestum est. Superficies autem per se nulla subsistit, cum non sit actu χωριστὸν, sed imaginatione sola separetur. In corpore ergo aliquo inesse oportet. Iam cum elementa à lege dimensionum absoluta ponuntur, loca esse non possunt. Dum verò inanes naturæ statuuntur, nec vitali facultate ornata, nec alia corporea qualitate seu potestate prædita credi possunt. Quomodo ergo erunt simul inanes & incorporeæ Naturæ, & loca non ociosa sed efficacia? Quomodo alimenta corporibus de se subministrabunt corporea, si ex ipsis mista non sunt conflata? Firmum est apud omnes homines, ipsum etiam Paracelsum, hoc principium, illis nos ali, ex quibus facti sumus. Si ergo corpora

Locus non est pars aut materia.

non

non sunt ex elementis commista, quomodo ex eis alentur? At loca & domicilia rerum, non sunt materia rerum. Quare aut non sunt matrices tantùm & hospitia, aut non sunt elementa. At sunt elementa & materia, si de se exhibent alimenta. Quocirca necessarium est, vt corpora sint, non tantùm capacitates quædam vasaque inania. Terra sanè cauitates in se plurimas habet, in quibus corpus terreum nullum inest, atque ideo terra vacuæ dicuntur: at nihil vetat aere plenas esse. Imò necessarium est, vt vacuum simpliciter in natura nullum sit, nisi in Ente non Ens simpliciter inesse dicamus: quod fieri nullo pacto potest. Hoc insuper animaduerti inter legendum, & in locis antè citatis, huius de elementorum inanitate sententiæ authores in mistis omnibus concedere quatuor elementorum rudimenta conspici: & ex plerisque elementa artificio separari. Quomodo autem separari separateque monstrari, atque oculis corporeis cerni queat natura incorporea, obscurius multò est, quàm vt intelligentia hominis comprehendi valeat. Elementa hæc quatuor continentia dicunt ijdem pugnantia esse, vitæque beneficio colligari, misceri, corrumpi, materiam post se relinquere, in qua vita remaneat: quæ omnia de incorporea natura nec intelligi nec cogitari possunt. Omitto alia, quæ verè firmeque partim producta à te sunt, partim proferri præterea possent. Summa est, quòd, cum quæritur, ex quibus corporibus mista vniuersa, vt ex materia, conflata compositaque sint, & in quæ ad extremum iterum dissoluantur, non hoc quæritur, quibus locis contineãtur mista. Sed nec quisquam hominum memoria extitit ante Paracelsum, qui elementa corporum & eorundem loca eodem nomine nominauit. Hac in parte ita mihi satisfactum est, vt plura non desiderem.

Vacuũ simpliciter in natura non datur.

Liberius quoque ſententiam dixi,quia non tam contra Paracelſum (cui tamen incipio credere parcius) quàm contra diſcipulos eius magiſtro nō multò fortaſſe meliores dicere mihi viſus ſum.Cupio interim ex te intelligere,quid Paracelſo reſpondendum cenſeas,elementa corporeas matrices ponenti? Ponit enim ipſe quoq; duplicia elementa,continentia & contēta, vt ex ſuprà citatis locis vnuſquiſq; perſpicit. Terram eum fructū ferre negat,ſed elementum in ea latens,manifeſtè continens à contento diſtinguit. In Meteor. terræ corpus negabat elementum,ſed inuiſibilem in eo ſpiritū contentum affirmabat elementum eſſe.Quod videtur corpus(ſcribit ad Athenienſes) eſt continens elementi:Elementum autem eſt ſpiritus viuens,tanquam elementorum anima. Summatim vt dicam, quatuor animas ſeu inuiſibiles ſpiritus, ſcilicet ignis,aeris, aquæ, terræ, elementa vera ſtatuit. ER. Aequè abſurda eſt hęc opinio: aut paulò minus.Si namque corpora quatuor elementorum,quæ videntur & tanguntur,non ſunt corporum ſenſibilium elementa,neceſſarium prorſus eſt,vt ex elementis conflata ſint. Quoniam omne corpus mundi ſublunaris vel eſt elementum,vel ex elementis compoſitum.Niſi fortè plura ſint elementa quàm quatuor,atque octo ponantur æquè prima:quorum quatuor ſint ſenſibilia corpora, & veluti continentia vaſa, quatuor alia velut animæ & ſpiritus inuiſibiles in illis comprehenſi & occultati. Sed hoc argumentis probari veris dum non poterit, credere nequaquam tenebimur. Equidem ſi terràm viſibilem,exempli gratia,neges materiam eſſe arboris aut animalis, percunctabor ego ex qua materia corpus ſuum acceperit.Si ex inuiſibili ſpiritu in eadem latente reſpondeas, abſurda conſequentur plurima. Primum corpora terræ aliorumque elementorum perperam vocari elemēta.Quippe elementum

Paracelſus etiā ponit cōtinentia & contenta.

Corpus omne eſt uel elementum, uel ex elementis.

tum non est corporis, quod materiæ corporis pars nulla est, vt ex dictis clarissimè patet. Secundò cum spiritus illi insensibiles & inuisibiles etiam in fructibus elementorum remaneant, testibus Paracelso & discipulis, nihil est sensibile, quod ex elementis est genitum. Tertiò, cum ex elementis conflata corpora sensibilia sunt, alia quædam comminisci corpora oportebit, quæ cum spiritibus coniuncta corpora conficiant mistorum. Ex quo consequetur duodecim elementa esse. Primum, corpora sensibilia hæc rudia: deinde quatuor alia in his puriora: deniq; in his quatuor spiritus: qui demum vera sint elementa. Sanè Paracelsus ita scribit. (Nec aliud videntur arrogantes quidam eius docere discipuli,) in Meteor. Quia spiritus fructuum elementorum, inquit, insensibilis atq; inuisibilis existit, tribuit ei natura proprium & peculiare corpus, in quo inhabitet, corporiq; huic corpus aliud de suo elemento circumdedit. Hæc ille. Vides hic, clarè eum ponere in mistis (ipse nominat elementorum fructus) spiritum insensibilem elementorum, corpus in quo primò inhæreat: & demum corpus hoc sensibile crassum & impurum, quod de corpore elementi sumptum sit. Quartò, falsum est, quod dicunt & scribunt Paracelsici, se mista quælibet arte in quatuor sensibilia elementa discreuisse, discernereque posse. Si enim ex spiritu solo insensibili constent, quomodo separatim oculis conspicienda offerent? FVR. Non est hic opus argumentis. Scio infinitis propemodum rationibus hanc sententiam oppugnari posse. Paracelsus certè vbique docet mistorum corpora ex elementorum corporibus sensibilibus constare: quod in verbis à te iam citatis manifestè asserit. Et quis est, qui nesciat eum hoc passim inculcare, cuiusque elementi fructus suo elemento similes esse corpore & spiritu? Nostra certè corpora ex terra sensibili cōstare, & in eā-

Marginal notes: 2 (at "Secundò"); 3 (at "Tertiò"); *Elementa sunt duodecim iuxta Paracelsũ.*; 4 (at "Quartò"); *Mista non omnia possũt arte solui in 4. elementa distincta.*

dem iterum diſſoluenda eſſe contendit. Hæc ſententia eius eſt. Nam iubet nos ex elementis prognata ex eorum ſpiritu profecta putare: vim ſcilicet miſtorum non è ſenſibili corpore elementorum naſci, ſed ex latente eorum virtute ortum habere. Sic Muſci ac Buxi animas, ſeu ſpiritus, odorem: & coralli ſpiritum, rubedinem eſſe ait: quod in his virtutes harum rerum latêre exiſtimaret, corpora eorum inutilia eſſe opinaretur. ERA. Non adduxi hæc, quaſi dubitarim, an ex elementorum corporibus miſta corpora fabricarit aliquando. Ideo autem attigi, vt demõſtrarem & ipſum & eius diſcipulos nec ſibi nec veritati conſentaneè loqui, cum elementa aiunt matrices & domicilia duntaxat rerum miſtarum eſſe: ſiue corporea concedant, ſiue incorporea contendant. Longiſſimè namque differunt locus & materia rerum: nec poteſt locus eſſe pars materiæ corporis, cum ſit ipſe corporis expers. Dilucidè, puto, demonſtrauimus iam, quæ de elementis continentibus tum Præceptor tum diſcipuli attulerunt, euidentiæ ſenſuum, rationi, eruditorum omnium conſenſui, &, quod maximum eſt, Deo & ſacroſancto eius verbo repugnare. Nihil enim eſt apertius & clarius, quàm DEVM de principio totius mundi aſpectabilis materiam creauiſſe ſub formis cœli & elementorum: ac deinde ex ſenſibilibus elementorum ſubſtantijs & corporibus, (non ex Naturis inanibus, aut neſcio quibus inſenſibilibus ſpiritibus) vt ex materia miſtorum corpora produxiſſe. Nulla hîc inanis naturæ ſemina rerum ſic continentis, vt iſti fabulantur, mentio: nullum de latentibus in cortice elementorum ſpiritibus vel animabus verbum extat. Ex terra & aqua præcipuè corpora plantarum animaliúmque facta legimus: quæ ſomniauit Tenebrio Paracelſus non legimus. Cur non ergo cum Deo & verita-

Elementa nõ ſunt matrices tantum.

te

te potius sentiamus & loquamur, quàm cùm profano Mago indoctoq; fatuo? F V R. Alium nunc scrupulum sentio. Elementorum corpora mistionis partes esse ex Paracelsi & discipulorum eius omnium sententia intellexi. Nam illos etiam, qui elementa inania & vacua hospitia statuunt, resolutionem corporum in quatuor elemēta sensibilia confiteri video: & rudimenta quædam eorum in mistis omnibus cōcedere animaduerto. Hoc me torquet, quomodo cœlum possit elementũ vocari mistorum, cum constet materię mistorum partem esse nullam posse. Etenim elementa, præsertim cōtinentia, corrumpi audiui, etiam ex illorum opinione, qui Naturas inanes faciebant. At cœlum corrumpi, quomodo reliqua elementa intereunt, nullus audebit affirmare, puto. Ignem in mistis inesse probatum est firmè admodum: nec inficiantur Paracelsici. Quod si etiam negare vellent in quibusdam rebus eum inesse, in animalibus tamen inesse negare nunquam auderent. Quęro igitur quid me velis intelligere, cum ignem dicunt in mistis inesse: & elementum tamen esse negant, cœlum pro eo supponentes? Ignem enim & cœlum non esse eadem, controuersia, opinor, omni caret. Iamdudum enim explosa est è Philosophorum scholis opinio Platonis, cœlum igneum esse arbitrantis. Sed & Sacræ literæ discrimen faciunt tum alibi, tum in eo loco, in quo ab igne cœlum conflagratum iri monent. E R. Non iniuria ambigis. Nam & noui Paracelsici ignem à cœlo non distinguunt, cum elementa recensent. Quòd si elementum esset cista vel cella res aliquas sinu suo complectens, solum cœlum vniuersa ambitu suo comprehendens verè nominaretur elementum. Et cum vix aliquod corpus reperiatur, quod non in aliqua cauitate aliud quippiam contineat, tot essent elementa nobis ponenda, quot sunt cauitates.

Quomodo cœlum possit elementum uocari mistorum.

Sic ventriculus elementum fuerit chyli, vesica vrinæ, venæ sanguinis, intestina excrementorum, &c. Cæterùm sæpe iam est dictum, elementum esse corpus iuxta speciem indiuiduũ, ex quo, vt ex materia, corpus quodlibet coagmentatum fuit. Hoc modo cœlum elementum non esse, constare omnibus puto. Non enim res mutabiles ex cœli partibus aut substantia coluerunt: quod dilucidè satis testantur creationis historia: vt alias rationes omittam. Quid igitur dicemus? FVR. Volebam respondere cœlum eatenus elementum posse vocari, quatenus ignis cœli fructus esset, verùm in mentem mihi rediit, quòd Paracelsus aliquãdo non ignem cœli, sed cœlum ignis fructum seu partum esseruit. Auget difficultatem, quòd ignem vocat mortem quandã visibilem omnia vastantem & delentem. His amplius me vexat, quòd in Sagaci sua Astronomia identidem inculcat & repetit, hominem ex duobus (aliquando plura duobus ponit) constitutum esse corporibus: quorũ vnum sit ex elementis hisce nostris conflatum, alterũ ex sideribus & cœlo natum. In dissolutione quoque hominis illud ad elementa, hoc ad sidera redire: tametsi non statim à morte illò reuertatur, sed per multos sæpè annos hîc oberret, ac conspiciendum se interdum præbeat. Tandem tamen hoc quoque putrefieri ac mori oportere iudicat: quod certè de cœlesti corpore parum sanè dici videtur. Alibi corpus hoc Euestrum nominat, magnisque viribus & scientijs ornat. Hæc, inquam, faciunt, vt excusationem constantem nullam inueniam. ER. Quicquid affirmes, in luto semper hærebis. Non enim falsa solùm dixit ac scripsit, sed in his ipsis quoque varius & inconstans fuit. Quam sibi sit dissimilis in Euestris suis, ne monere quidem libet. In prima collatione aliquid huc spectans diximus. Visus tamen est omnium constantissimè hanc tenuisse sententiam,

Euestrum.

Sentẽtia Paracelsi constantius affirmata alijs plerisq;

tiam,hominem ex elementis ac cœlo compositum esse.Etenim ex quintis Essentijs cœli & quatuor elementorum concinnat eum in libro iam à te citato.Idem voluisse videtur,quoties hominem dicit microcosmum esse, atque in se omnia actu continere,quæ in tota rerũ vniuersitate comprehensa nouimus: quia videlicet ex omnibus compositus sit. Quam hoc sit monstrosum mēdacium,non modò cum omni ratione, ac sensuum iudicio, verùm etiam cum sacro sancto Dei verbo ex diametro pugnans, in tertia collatione,auxiliante Domino,perspicuum faciemus. Sufficit iam monuisse,siue ex igne cœlum,siue ex cœlo ignem effectũ asseras, nunquam tamen cœlum appellari posse elementum mistorum. Si enim ex igne res mistæ constent, ignis autem non sit cœlum siue elementum,sed cœli siue Elementi fructus quidam, quomodo quæ ex igne composita sunt,ex cœlo commista dicentur? Differt namque elementum à fructu elementi. Nos autem elementa prima quærimus. FVR. Satis probatum est,elementa materias esse mistorum,non receptacula solùm, siue corporea statuantur,siue incorporea fingantur. Ad alterã porrò elementi descriptionem quid dicturus sis expecto. ER. Huc pertinet consideratio de contentis intra matrices Paracelsicas.Nec minor aut facilior hic est Labyrinthus. Omnia enim confusionum, contradictionum,deliriorum,mendaciorum plena sunt.

Quæ Paracelsus in elementis cõtineri opinetur.

Paracelsus in singulis elementis præter fructus, quos singula plurimos ait parere,præterque diabolica monstra, quæ in eis creata nugatur, ponit spiritum quendam insensibilem,quem vocat animam & vitam elementi,seu ipsummet elementum. Tales spiritus, vt audiuisti, quatuor comminiscitur,in singulis singulos.In his vult positam esse vim & efficaciam elementi : corpus visibile thecã & ignauum tegumentum censet. Ab his aliquando di-

ſtinguit vitam & animam, interdum eadem eſſe dicit: quæ omnia ex prolatis retrò teſtimonijs perſpexiſti. Ignem non caloris opera ſed beneficio ſpiritus comburere contendit. Alio loco expreſſe ſcribit, animam, ſpiritum, & id quod propriè ſit ac vocetur elementum, non vrere, ſed corpus elemēti hoc eſſe, quod vrat. Ignis
» comburens, inquit, non eſt elementum, ſed anima in
» eo inuiſibilis eſt elementum. Sic & animam ignis in ligno viridi ait ineſſe, attamen non vrere. Hæc Paracelſicis concilianda cum alijs trademus: & quæ reſtant examinabimus. Videtur hoc voluiſſe, cum actionem omnem inſenſibili ſpiritui tribuit, ac potentiam agendi corporibus adimit, non corpus agendi principium eſſe, ſed incorpoream virtutem. Hoc ſi ſenſit, nō malè ſenſit, ſed quod rectè ſenſit, inſcitè expoſuit. Non enim ſpiritui aut latenti corpori, ſed vel formæ, vel qualitati adſcribere debuit. Qui doctè & Naturæ conſentaneè loquuntur, actiones neque materiæ, neque formæ, ſed compoſiti dicunt eſſe. Hoc enim eſt, quod agit, non forma, multò minus materia: quæ ne principium quidem eſt actionis. Forma principium eſt, quo compoſitum agit, non autem id, quod agit. Quare non aliud dicit, ſi modò rectè ſenſit, quàm quod omnes docti dixerunt, actionis in corpore principium eſſe formam, inſtrumentum autem eſſe qualitatem. Sic homo eſt, quod viuit ac intelligit, non anima per ſe ſola: ſed anima, id eſt, quo viuit & intelligit homo. Sic dicimus hominem videre & ambulare, non oculum & pedes, cum loquimur propriè, ſed inſtrumenta ſunt, quibus vident ac incedunt homines. Nihil dubito, quin, ſi ſtuduiſſet ac legiſſet bonos authores, idem in hac parte fuiſſet dicturus: niſi omninò decretum habuiſſe credatur, omnia rectè conſtituta euertere. FVR. Audiui à meis olim præceptoribus, quoſdam fuiſſe,

Quid Paracelſ. uideatur ſpiritū elemēti nominare.

Actiones ſunt compoſitorum.

Forma eſt principium quo compoſitum agit.

fuiſſe,qui corporib. actiones omnes negauerint,ac virtuti cuidam ſpirituali per corpora omnia penetranti attribuerint omnes agendi vires,quæ corporũ eſſe videntur.Hi non ignem,ſed potentiam ſeu ſpiritum per totã ignis ſubſtantiam permeantem,vrere dicebãt:vt nobis illi recenſebant. Ab hac ſententia non longè recedit Paracelſus,dum in igne ſpiritum per totam ignis ſubſtantiam diffuſum ineſſe ait,qui caloris,vſtionis, aliarumq́; effectionum ignis cauſa exiſtat. E R.Scio Arabem quendam ita docuiſſe, & hanc opinionem à Platone hauſiſſe.Etſi enim Plato non eodem prorſus modo de hac re diſputauit, non magna tamen fuit inter eos diſcrepantia. Vterque ſubſtantias quaſdam ſeparatas agere putauit: ac horum actionem in materia ab eadem impediri exiſtimauit. At quis non videt materiam participantem formas illas abſtractas ſimul etiam participem fieri poteſtatis ac virtutis earundem formarum? Quemadmodum enim quod ſubſtantiam animæ rationalis participat,etiam ratiocinandi facultatis ſit particeps, ita quod formam ignis ſeparatam participat,vi calefaciendi atq; vrendi eatenus impertitur, quatenus forma illa donatur.Quòd ſi cum his ſenſit Paracelſus, cum eiſdem quoque errauit. Corpora namq; ſiue res naturales compoſitæ agunt virtute formarum ſuarum.Formæ autem in actione tranſeunte inſtrumẽto vtũtur qualitatũ:quę ſine ſubiecto ſubſiſtere nequeunt.Cęterùm rudior multò fuit,quã vt de his cõtrouerſijs Philoſophorũ aliquid cognouerit. Hoc tantũ vidit fortaſſe eminus, corpora ſine formis & qualitatibus in corporeis nihil agere:quod & nos fatemur. At hãc virtutẽ corpus eſſe in corpore ſimplici elementũ abſcõditũ,hoc verò eſt,quod pernegamus.Nõ poteſt enim corpus in corpore ſimplici concedi,niſi corporum mutua penetratio pudendo & ſacrilego errore concedatur.

Actiones qui negauerint corporibus.

Error. 1

2 Si per ſpiritum ſiue vitam & animam (ſic enim non nunquam appellare ſolet) qualitatem ſeu potentiam intelligit, non de re diſputat, ſed de nominatione litigat. Ergo ſi per ſpiritum ſiue animam intelligat formã & qualitates elementorum, peſſimè loquitur, dum ſpiritus appellat. Si corpora eſſe credidit, turpiter errauit, dum in ſimpliciſſimo & tenuiſſimo corpore tenuis a-
3 liud ab illo diſtinctum corpus quæſiuit. Tertius error eſt, quòd elementi animæ ſoli agendi potentiam attribuit, non toti compoſitio. Qua in re minus eſt venia dignus, quòd non neſciuit, animam ſiue ſpiritum ignis abſque ignis corpore opera ignis minimè exercere poſ-
4 ſe. Quartus eſt, quod, cum in ſingulis elementis ſingulos tantùm ſpiritus ponat, ex vno nihilominus elemento ſeu elementi ſpiritu diuerſiſſimas res enaſci affir-
„ mat. Terra profert fructus, inquit, non ipſa quidem, ſed
„ elementum in ipſa contentum eoſdem profert. Et
„ paulo pòſt. Fructus elementorum ſimiles elemẽto ſuo
„ ſunt corpore & ſpiritu. Iam ſpiritum Buxi & Muſci facit odorem: & ſpiritum Coralliorum dicit eſſe colorem. Quî poſſunt tam diſcrepantes ſpiritus ex vno proueni re terræ ſpiritu, quam diſcrepantes ex terra res pronaſcuntur? Differunt enim virtus, actio, qualitas, proprietas, vel, (ſicut ipſi loquuntur, Balſamum, tinctura, arcanum, herbarum, fruticum, animalium) quantum ipſæ res differunt, ipſiſmet teſtibus. At horum diſcrimina in

Muſci anima eſt odor Coralliorũ color.

5 finita propemodum eixſtunt. Quintus eſt, quòd in cuiuslibet miſti reſolutione artificioſa pollicetur oſtẽſionem omnium quatuor elementorum, cum ſingulorũ
6 ſpiritus gignere vniuſcuiuſque fructus aſſerat. Sextus eſt, quòd ignis ſpiritum ſiue animam in terrę fructibus, vt in lignis viridibus, ineſſe ſcribit. Omitto iam alia. Quantò præſtabilius erat Paracelſicis veritati aſſentiri, quàm tot abſurdis & deteſtandis erroribus implicari?

Verùm

Verùm de fructibus elementorum poſtea: nũc reliqua pertexenda. Poſtquam planè oſtenſum eſt, perperam Paracelſum de elementis diſſerere:& quicquid noui dixit,nec pietati,nec rerum naturę conſonum eſſe:ſupereſſe videtur,vt quæ diſcipuli attulerunt inſpiciamus. Elementa dicentes incorporea & inania eſſe receptacula,idem intellexiſſe putarem per elementa, quod Paracelſus elementum,aut ſpiritum ſiue animam ac vitam elementi vocauit,ſi conſtarent ſibi: nec tam variè de elementis loquerentur. Magis dubium me reddit, quòd nihil tam abſurdum excogitari poſſe ab homine videtur,quod non auſus fuerit affirmare Paracelſus. Hunc qui Præceptorem agnoſcunt,& eruditis omnibus omnium ſeculorum Philoſophis & Medicis præferunt,meritò putantur magiſtri ſui ſimiles eſſe. Quare quid dicam ſæpenumero ambigo. Attamen verba hæc,quæ in octauo capite leguntur,faciunt,vt eum non putem loqui de corporeis elementis noſtris. Elementa hoc loco à nobis,inquit,dicuntur,non communia illa totius Naturæ corpora,Terra,Aqua,Aer,Firmamentum:ſed proxima receptacula ſeminalis materiæ, ſiue externa ſint, ſiue innata, ſiue cauitates habeant,ſiue non, ſiue ſolida,ſiue humida fuerint ad ſimilitudinem ſeminũ, quæ generationum initijs ſpiritualia & humida eſſe oportuit. Nolo iam hoc exaggerare, quòd incorporea receptacula putat cauitates habere,ſolida, vel humida eſſe poſſe. Ob id ſolum adduxi, vt de anima ſeu ſpiritu, ſeu qualitate alia elementorum inſenſibili eum loqui docerem. Ergo ſi idem ſenſit cum Præceptore, & locutus tamen eſt aliter,ideo fortaſſis fecit, vt non intelligeretur:atque ita opinionem ſibi reconditæ cuiuſdam eruditionis ac ſapientiæ apud rudes pararet. Si diuerſi aliquid docere voluit,Præceptoremque fingendo ſuperare conatus eſt,fruatur hoc ſuo gaudio: ita tamen vt ne

Sentẽtia Paracelſicorũ de contẽtis elementorum.

Incorporeum et inane non poteſt ſolidũ, cauum, humidum, cẽſeri.

alijs exitium creet. Proinde si elemẽta illa sua incorporeas naturas putat esse per elementorum corpora porrectas, confutari poterit eisdem rationibus, quibus Paracelsi insania refellitur. Equidem vt non potest homo vocari, quòd hominis operationes exercere nequit, ita elementum appellari non debet, quòd munus, vicem, & officium elementi præstare non valet. Est porrò elementi hæc proprietas, vt materia sit misti. Quod cum præstare natura incorporea sola nulla possit, ne elementum quidem nominari debet. Elementum itaq; fuerit, non illa natura incorporea sola, sed cum suo corpore iuncta: sicut homo non est sola anima, sed anima in corpore. FVR. Paracelsus frequentissimè ait, solam animam esse hominem, corpus non esse veri hominis partem, sed inuolucrum & domicilium. Nec primus hoc dixit, sed ante eum docuit idem Plato. ERAST. Si per verum hominem intelligit partem nobilissimam & principem hominis, rectè sentit: tametsi non satis aptè, concinnè, vsitateque loquatur. Quis nescit hominem, edere, bibere, ægrotare, consanescere, crescere, augeri, consistere, decrescere, mori, sentire, loqui, scribere, &c. quæ animæ soli nullo pacto tribuere licet? Ridet Aristoteles (& rectè ex assensu omnium hominum ridet) animam dicentes texere. Non minus ridendi sunt, qui supra dictorum aliquid per se animam facere dicunt: quòd vel ex Sacris literis posset intelligi verùm, si non sensus nostri nos docerent. Homo itaque est compositum hoc, quod ex anima corporeque constat. Meritò igitur laudat Augustinus Varronem, quòd hominem dixerit neque animam solum, neque corpus solum esse, sed vtrumque. Sic de elementis quoque dicendum ac sentiendum est. Non enim sunt actus, sed habent actum: ideoque compositum quiddam sunt ex habente & eo, quod habetur. Sed hac de re satis: de contentis

Elementorũ proprietas est, ut sint mistorũ materia.

Homo non est sola anima, sed cõpositum.

Elementa actũ habẽt, non sunt actus.

tentis elementis cœptum ſermonem abſoluere præſtat. Siue igitur ſolam formam elementi cum Præceptore nominet elementum, ſiue totum compoſitum ſic appellet, (quod facere non potuit, cum incorporea eſſe decreto ſtatuit) quærendum ſupereſt: quæ nam illa ſint rerum corporearum elementa, ex quibus, tãquam ex materia, miſta coaluerunt vniuerſa? FVR. Quid aliud continerent, quàm ſemina, & horum corpora, fructusque? ER. Benè habet. Nam ſemen cum dicunt eſſe vitale principium continens in ſe ſpiritus, corporum, colorum, ſaporum, qualitatumque cuiuis ſpeciei congruentium fabros, formam, & τὸ τὶ ἦν εἶναι, ſe dicere fatentur. At forma ſine proprio ſuo ſubiecto nulla ſubſiſtit, vna anima noſtra excepta. Hoc docuit ratio Philoſophos præſtantiores: nos inſuper planius inſtituerunt ſacroſanctæ literæ. Vt enim cætera nunc prætercam, quis tam ſit hebes, quin ex creationis hiſtoria conijciat animam humanã hac in parte à formis ſeu animabus alijs plurimum diſcrepare? De plantis ſcribitur, Deum terræ iuſſiſſe, vt herbam ſemen ferentem, & arbores omnis generis frugiferas, quibus ſemen etiã ineſſet, produceret. Aquæ deinde & aeri mandauit, vt aquatilia viuente anima prædita, & aues in aere volantes ederent. Iterum terræ imperauit, vt animas viuentium reptiliũ & greſſilium proferret. De homine ſcribitur, DEVM èx terræ puluere corpus conformauiſſe, idemque ſpiritum vitæ inflauiſſe. Spiritus ergo vitæ à Deo creatus, non ex elementis inſtar animarum brutorum eductus eſt. Quo factum eſt, vt abſque ſubiecto ſuo formæ aliæ nullæ corporeæ ſubſiſtere poſſint. Quocirca non poſſunt abſque proprio ſuo corpore ſemina rerum in elementis contineri. Idem hoc videtur author innuere voluiſſe, cum ſemina corpore ſuo comitata ad generationem procedere, & corruptis

Forma, præter animã noſtrã, naturalis nulla ſine ſubiecto proprio exiſtit.

elementis in sua materia incorrupta remanere, atque ad hospitia sua, ex quibus progressa fuerant, reuerti asserit. Idem affirmat, cum inferiora elemēta scribit in suis thesauris corpora seminum officijs accommodata obtinuisse in seculū duratura. Item cum sic scribit. Quem-
» admodum verò inter se differunt semina officijs & pro
» prietatibus, ita hæc quoq; corpora differre asserimus:
» herbarum corpora ab arborum, animalium, minera-
» lium, metallorum, gemmarum, &c. Et in herbis aliud
» corpus esse Melissarum, aliud Valerianarum, aliud Ca-
» lamentorum, aliud Vrticarum, &c. In arboribus aliud
» quercuum, aliud Pyrorum, &c. Tandem cōcludens ait:
» Hęc sunt illa corpora, semina, radices, &c. Item cum hęc
» scribit. In hac prima creaturarum constitutione, semi-
» na à suo fonte progressa, in alio fundari necesse fuit.
Huius generis complusculos locos reperies alios, quibus omnibus probari posse videtur, vim istam vitalem eum non absque corpore suo proprio & peculiari in elementorum Abyssis collocare & disponere. Huc illud etiam pertinet, quòd semina plantarum, arborum, animalium in corporibus duplicatis custodiri in seculum ait: alia in simplici corpore seruari censet. Item secundo capite ait, Herbarum Radicem, Balsamum, Elementum, aut quomodocunque appellare libeat, in excellentiore humiditate magna fortitudine externis iniurijs resistente, & elementis fœculentis corruptis etiamnum vigente deprehendi. Constat igitur ex his, virtutem illam corpoream esse, & in suo quodam subiecto inhabitare, quod nullo tempore deserat. Nisi fateretur vltrò, fateri cogeretur. Species enim atque genera impossibile est seorsum consistere aut subsistere, sed in indiuiduis seruari oportet. Quocirca cum in his seminibus suis species rerum conseruari asserat, indiuidua corpora ponere, velit nolit, cogitur, in quibus insideant.

Genera & species non sunt extra indiuidua.

FVR-

FVR. Quid in hac ſententia tibi diſplicet? E R. Omnia. Plures propè ſunt errores, quàm verba: ijque non leues & pueriles, ſed prorſus abſurdi, nec ab impietate abſoluti: ex quibus aliquot ſolum attingere libet. Corpora iſta ſeminum aut ſimplicia ſunt, aut compoſita ex alijs ſe prioribus & ſimplicioribus. Simplicia dici nequeũt, niſi velint ab hypotheſi ſua reſilire, qua corporum omnium prima illa tria ſtatuunt elementa eſſe. Et cum tria hæc in creatione oſtendi non poſſint ſeorſum creata ſubſtitiſſe, verùm in cœli & elementorum fabricam ferantur conſumpta eſſe, (vt nos de materia prima loquimur) malè appellabuntur aliorum corporum elementa: cum inſtar materiæ primæ ſeparatim conſiſtere nequeant: & proinde principia rectius quàm elementa nominanda fuerint. Nam vt ex materia prima nihil fit, niſi quatenus ea eſt ſub formis elementorum, ita ex tribus illis nihil fiet, niſi quoad in elementis compoſitis comprehenſa ſunt. Et iuxta hanc ſententiam nullum in tota Natura rerum corpus ſimplex extitiſſet vnquam. Etenim non ſic ex tribus illis compoſita ſunt corpora alia, quomodo vinum & aqua componuntur: ſed ita, vt compoſitum ex ipſis corpus aliud factum ſit à componentibus. Sed nec compoſita rectè affirmabunt. Vnde namque probabunt, ſi negemus? Etenim nullam adferre adhuc potuerunt rationem, qua tria ſua principia in miſtis contineri docerent, ſolam artificioſam analyſin obiectant. Per hanc promittunt ſe in quolibet miſto tria ſua elementa à ſe inuicem diſtincta ſeorſum commonſtraturos. Ergo viſibilia faciunt. Cæterùm ex viſibilibus compoſita neceſſariò viſibilia ſunt. Qua ratione igitur inuiſibilia eſſe dicunt ſeminum corpora? Apertius non poſſunt contradictoria aſſeri. Non arbitror eos hactenus inſanire, vt etiam horum corporum reſolutionem nobis polliceantur, qua tria hęc à ſe inuicem

Nullum in natura corpus ſimplex apud Paracelſicos.

ſeparata monſtrent. Quomodo namque partes mon-
ſtrabit, qui totum inuiſibile affirmat eſſe? Quòd ſi ex a-
lijs tribus ſeminum corpora, & ex alijs rurſus alia miſta
concreuiſſe dicant, rurſus ſecum pugnant. Falſum nam-
que fuerit, quod pro principio poſuerunt, omniũ cor-
porum tria ſolùm elementa eſſe. Siue tria ponant, ſiue
ſex ſtatuant elementa, ſimiliter nugantur: quod ſuprà
non tantùm argumentis alijs, verùm etiam ſanctæ ſcri-
pturæ teſtimonio demõſtrauimus. Equidem Moſes ita
affirmat cœlum & elemẽta in principio & ante omnia
creata fuiſſe à Deo, vt inter ipſum nihil, & ſubitam ho-
rum exiſtẽtiam ſiue creationem corpus creatum aliud
nullum interueniſſe cogitari poſſit. Huic ſentẽtiæ cum
& ratio, & eruditorum conſenſio, & noſtri quoq; ſenſus
teſtimonium perhibeant, impiè fecerimus, ſi illuſtri ve-
ritati inſana & prodigioſa Paracelſicorũ mendacia præ-
feramus. Horreſco quoties cogito, qua audacia clariſſi-
mam hanc Moſis ſententiã ſceleratè peruertere auſus
fuerit Paracelſus. Verba eius in lib. de Matrice hoc mo-
do habent. Matrix, id eſt, ex quo homo naſcitur. Quare
oportet inuiſibiliter hic eſſe, quęcunq; ſunt in quatuor
elementis. Sicut mundus eſt matrix omniũ naſcẽtium
rerum, ita de matrice in corpore ſentiendũ. Antequam
cœlum & terra creata eſſent, ferebatur ſpiritus Dei ſu-
„ per aquis. Aqua hæc erat matrix. Nam in aqua creatum
„ eſt cœlum & terra, in alia matrice nulla. In hac fereba-
„ tur ſpiritus Dei, hoc eſt, Dei ſpiritus, qui in homine eſt,
„ & quo aliæ creaturæ carent. Propter hunc ſpiritum,
„ ne ſolus eſſet, creatus ſibi eſt homo, & in ipſo ſpiritus
„ Dei. Quamobrem venit à Deo ſpiritus Dei in homi-
„ ne, & ad eundem redit. Cum igitur mundus nihil eſſet,
„ ſed aqua exiſteret, & ſpiritus Dei ferretur ſupra aquam,
„ facta eſt aqua mundus. Hæc matrix erat mundi & in
„ eo creaturæ omnes. Cæterùm omnia erant adhuc ma-
trix

Scelerata [Pa]racelſi [ve]rborum Moſis de [cr]eatiõe de prauatio.

trix hominis: in qua Deus ſpiritum ſuum creauit do- «
micilium in carnem. Horum hominum matrix erat «
mundus vniuerſus, ſemen eius Limbus: ſemen, in quo «
totus conſtiterat mundus. Paulo pòſt de muliere lo- «
quens, addit. Spiritus Dei in ipſa eſt, in ipſius fructum «
ſe inſinuans. Sicut ſupra aquas fertur, ita nos eum ſu- «
pra terram & aquas ferimus: quem ſpiritum nullus vi- «
dit aut videt. Eſt autem is, qui in matrice ineſt homi- «
num, id eſt, in muliere. Proinde non debet ea quiſ- «
quam abuti ad ſcortationem. Quoniam ibi eſt ſpiri- «
tus à Deo veniens, ad quem etiam redit. Omnia hæc «
adſcripſi, tametſi omnium non haberem opus, vt immanem ac ſceleratam hominis impietatem, & plus quàm Mahometicum furorem obiter conſiderares. Hoc ſolum fuit præcipuè propoſitum monſtrare, aquas ipſum affirmare extitiſſe ante cœli & terræ creationem, & ex aquis mundum eſſe factum. Sed ad rem reuertor. Quoniam ſemina iſta Paracelſicorum abſque corporibus impoſſibile eſt eſſe: atque corpus illis neque ſimplex neq; compoſitum attribuere valent: nil aliud quàm fanaticorum ſomnia nobis proponũt. Nec minus errant in eo, quòd dicunt ſemen ſeu vitalem potentiã ſuum ſibi quamq; corpus, radicem, fundamentum, materiam primam ſeu radicalem, qua cõtineatur & conſeruetur, cõſtituere. Sanè quod ſuum ſibi corpus, in quo primò ineſt, fabricat, in eo non ineſt, ſed extra illud eſt. Ergo ſi ſemina ſua ſibi corpora prima extruunt, ſine corpore aliquando ſubſtiterunt. At ſunt poteſtates ſeu virtutes corporeæ & inſeparabiles. Quare cum corporibus creatas fuiſſe oportet, non autem ipſa ſibi concinnauiſſe. FVRN. An non Philoſophi dicunt formas, vt animas, ſuis officijs parare corpora idonea & congrua? ERAST. Nihil hoc ad rem. Non enim de quolibet corpore loquimur, ſed de primo. Certè in

Quod abſque corpore neqt exiſtere, corpꝰ ſibi illud nõ fabricat.

corpore, quod anima quæuis sibi architectatur, non prius inest, quàm sibi pro domicilio ædificare cœperit. Quippe in semine existens ex subiecta materia conformat corpus suis vsibus aptum. At rationes seu vires istę seminales ponuntur sibi de principio corpus conueniens composuisse. FVR. Quid si in vno omnes corpore constitisse initiò dicantur? ER. Pugnat hoc cum supra dictis, cumque ratione omni. Supra namque dictum est in alio corpore inhærere semen Melissæ, in alio Vrticæ, in alio Quercus, in alio Pruni, in alio Asini, in alio Simiæ vel Canis. Quomodo enim virtutes adeo discrepantes naturis, officijs, proprietatibus, in vno corpore inhabitent, cum actum vnũ ab actu alio genere vel specie differentem impossibile sit in alio, quàm proprio corpore inesse? Hoc si non teneatur, facilè impiæ Pythagoræ fabulæ ab inferis reuocabuntur à petulantibus & ambitiosis ingenijs. FVR. Intelligo absurditatem. Perge igitur. ER. Tertius error est, quòd in materia vna indiuidua & certa putat speciem quamlibet seruari. Sanè tota rei natura, omnis sana Philosophia, & in primis sancta scriptura nos docent, species rerum non in vna aliqua materia, sed in indiuiduorum infinita successione perennes continuari & conseruari. Ita ferè species in succedentibus sibi inuicem indiuiduis seruãtur, quomodo diem & noctem mutua successione seruari cernimus. De successione dũtaxat accipere te iubeo, quod dico. Magnæ enim & multæ sunt aliàs differentiæ: inter quas hæc vna est, quod dies non sic ex se generat noctem, quomodo homo gignit hominem. Seminum materia non numero, sed specie vna est, vt quæ pro diuersa & variata nutricatione infinitè variet. At noui Sophistæ somniant quintam quandam essentiam, Radicem, Balsamum, Materiam scilicet vnam, quoties compositum aliquod interit, ad suum redire hospitium, ibique expe-

Actus specie differentes subiecta habent specie distincta.

Species naturales in sola indiuiduorũ successione seruantur.

expectare tempus definitum, quò rursus prosiliat in hanc scenam mundanam. Vigilauit Pythagoras præ hisce gliribus: nunquam tamē tam elegantia somniare potuit. Fortassè ex nuper repertis terris aducta nobis hæc est noua sapientia. Sed hos homines non est mirum aliter sapere, quàm nos sapimus, cum Aristarchorum istorū iudicio alium ortus sui parentem quàm Adamum, à quo nos descendimus, habuerint. Quartus error est, quòd aliquod in singulis speciebus indiuiduum facit immortale, cùm nos interitura omnia didicerimus. Sic nullum est inter formas alias humanasque animas discrimen, quàm quòd harum singulæ, illarum aliquæ (Quanquā hoc discrimen statuere non possint, si suis hypothesibus & principijs stare velint, vt ex sequentibus perspicuum euadet) perennes sunt, & quòd animæ nostræ etiam post huius mundi interitum viuēt: quod an de suis radicalibus virtutibus affirment nescio. Et ne quid hîc quoque fingere tibi videar, verba Paracelsi adscribam. Intellige vlterius: Omne id quod æternum est, ex arcano proficisci, & hoc ipsum esse. Canes moriuntur, sed arcanum eorum remanet. Homines quoque pereunt, at arcanum eorum non perit. Et anima insuper superstes manet: quo cane præstabilior est. Ratio eadem est nascentium aliorum. Ex hoc error nascitur, quòd in magno mysterio nouo & vltimo omnes creaturæ, quæ unquam fuêre, comparebunt, non quidē substantialiter sicut nunc, sed per modum arcani. Credo ex recensitis te perspicere posse, quæ monstra pepererit & parturiat abhuc spiritus ille Paracelsi. Quintus est, quòd corpora dicit à natura incorporea, vt à loco seu receptaculo contineri, cum sine corpore locum cogitare non liceat. Est enim locus extremitas corporis ambientis. Mirum autem quòd proxima seminalis materiæ domicilia, quæ

Nuper repertarum terrarū homines non descendunt ab Adamo.

Omnium indiuiduorum arcana sunt æterna.

vocat Elementa, naturas videlicet incorporeas, inanes & dimensionibus carentes, solidas putat esse aut humidas. Quomodo enim incorporea humida fuerint? aut quomodo dimensionibus carens solidum, aut cauitates habere imaginabimur? Sextus est, quòd contra apertas sacras literas semina rerum ex semine nascentium, non in ipsis rebus esse ac nasci, sed in elementis velut cistis & cellis penarijs latere docet. Moses scribit: Deum terræ præcepisse, vt omnis generis plantas proferret semina ex se producẽtes. In plantis igitur & animalibus semina generari voluit: nõ ex abyssis Paracelsicis Elementorum certis temporum periodis in Theatrum mundi ad agendam Comœdiam prosferpere: eademque peracta deposita persona in easdem inanitates iterum se abdere tantisper, dum rursus in scenam prodire tempus digestum moneret, alia atque alia semper veste induta procedere nequaquam mandauit. An non verè esset hæc ab omnibus derisa Pythagoræ μετεμψύχωσις? Semina hæc immortalia esse, atque ex latibulis & orco prorepere ponuntur corpore circumamicta, eoque corrupto rursus ad latebras suas se recipere. Cum deinde prodeunt denuò, rursus induunt corpora. Non enim nuda veniunt in Theatrum. Cæterùm prius illud assumere nequeunt. Corruptum enim est, ideoque naturaliter restitui idem non potest. Alia itaque, quotiens ex abyssis suis emergunt, corpora sibi fabricant. Sic vnumquodque semen infinities progressum est in scenam, semperque personam gessit aliam. Sanè videmus quantum sit inter indiuidua cuiuslibet speciei discrimen. Hoc ex alio proficisci non potest, quàm ex corpore. Semen enim immortale & immutabile permanens sui simillimũ remanet. Quare causam dissimilitudinis in assumpta veste quærere oportet. In eiusmodi Labyrinthos sese inducunt,

Semina in plãtis & animalibus generantur.

ducūt,qui ſpreta veritate & ſacris literis deſpectis,malunt ex orco Chymęras opinionum protrahere falſatum & impiarum,quàm rectè pieque conſtitutis aſſentiri. Nobis ergo cauendum,ne ſomnijs potius,quàm infallibili Dei veritati adhæſiſſe, ſerò doleamus. Dabunt enim impietatis ſuæ pœnas,quicunque in agnita improbitate perſeuerabunt. F V R.Etſi nihil poſſet adduci aliud contra phantaſiā hanc,quàm Moſis & ſcripturæ teſtimonium,abundè id mihi ſufficeret. Video certè in ſacris literis Deum plantis & animalibus omnipotente verbo ſuo imperauiſſe, vt intra ſe & ex ſe generentſemina,quibus indiuiduorum propagatione & multiplicatione ſpecies ſeruarentur,nonintra elementa,veluti intra ciſtas abſcōdiſſe.Itaq; obſtupeſco, quoties mecum reputo, in quanto errore fuerim. Sed inſcius in eum prolapſus ſum , pedem nunc ſumma animi alacritate & læticia refero. Velim tamen quædam ad hoc ſpectantia â te mihi planius explicari. ER. Ediſſere nobis,quid tibi negotium faceſſat. EVR. Primum I.
eſt,an non in elementis ſemina ſpontè naſcentiū plantarum & animalium condita dici poſſint? Alterum, II.
quídnam proprie ſemen appellari oporteat. Tertium, III.
an non de ſolis rerum ſpontè naſcentium videatur author agere ſeminibus? Certè animalium & plantarum ſementiferarum ſemen ipſe quoq; profitetur in duplicato corpore contineri.ER.Iniquè agit author dum Ariſtotelem reprehendit ,quaſi definitionem ſeminis anguſtam nimis attulerit. Etenim in libro primo de Generatione animalium capite decimooctauo : Definitionem nominis proponens , ait , Semen id eſſe, ex quo ſecundum naturam conſtituta primùm fiunt: ſic tamen, vt efficiens non ſit pars effectus. Deinde eius , ex quo ſignificata diſtinguens , oſtendit, Semen ſeu genituram (ipſe γονὴν appellat) eſſe principium à

Semen quid ſit, ex Ariſtot. ſententia.

à quo fiant,quæ ex ſemine generantur. Semen autem ſiue σπέρμα eſſe,quod vtrunque principium maris & fœminæ obtineat: vt ſemina plantarum habent ac animalium, in quibus ſexus non eſt diſtinctus. Hoc modo appellatum ſemen ait eſſe velut κύημα quod dam,aut animal. Et plantarum quidem ſemen docet κύημα rectius vocari, quod vtrunque principium poſſideat:animalium verò, in quibus ſexus diſtinctus eſt, γονὴν putat melius appellari. Poſtmodum ſeminis ac fructus differentiã ponit:ac fructum eſſe dicit alius effectum, ſemen autem alius effectorem. Vnam igitur eandemq; rem & ſemen vocari poſſe & fructum, diuerſa tamen ratione. Demum quid ſemen ſit inquirit,ex partium omnium diuiſione.Inueſtigat autẽ non cuiuſlibet rei ſemen,ſed animalium tantũ:quod reprehenſorẽ obſeruare decuit. Etenim ſemen plantarũ declarauit nõ ſimpliciter eſſe γονὴν,ſed potius κύημα:compoſitũ ſc. quippiam ex vtroq; principio. Nec opus eſt, vt hoc ipſa euidentia rerũ demõſtremus,nẽpe vtrunq; principium in plantarum ſeminibus ineſſe,maris ſc. ac fœminæ, ſiue agens ac patiens: cum etiam ruſtici hoc videant ac ſciant. Quin imò (vt rapas,cæpas,& ſimilia non comemorem,quæ in vaporarijs ſæpe numero herbam emittere videmus, nullo accidente extrinſecùs alimento) frumenta ſingulis propè annis aliqui vident in horreis germina gramenq; proferre inuitis etiam poſſeſſoribus:tantum abeſt, vt nutrimentum aliquod eis ſuppeditent. Alia eſt ratio ſeminis animaliũ,in quibus ſexus eſt diſcrimẽ. Non enim poteſt hoc abſq; idonea materia generare:nec ſine hoc poteſt materia quã tumuis apta cõcinnè moueri. Cogitare igitur debebat reprehenſor, Ariſtotelem in loco ab ipſo citato non cuiuſuis rei,ſed animalium ſeminis deſcriptionem duntaxat inueſtigauiſſe ac tradidiſſe. Quippe plantarum ſe-

men

men est fructus conformatus & pars quædam: quæ viuit ac nutritur non minus quàm planta, cuius est fructus. Quod tale non est, etsi ex eo planta fiat, semen tamen propriè nullo iure appellari potest. Omnes enim homines semen ab alijs principijs, ex quibus copulatis aliquid fit, discreuerunt. A serendo nominatum est semen, atq; rem seu corpus significat, quod potẽtia idem hoc specie est, quod illud actu est, cuius est fructus aut effectus. Tale porrò fieri non potest, quod nec ali nec augeri potest. Semen igitur non est, quod nutriri augeriq; nequit. At sola viuentia tum augeri tum nutriri possunt. Si præter hæc semen aliquis vocet id, ex quo, seu à quo aliquid fit, is abutitur nomine, & vocem certæ ratæq; significationis ambiguam efficit. Quare corpus quoddam est semen, à corpore viuente perfectoq; recisum: quod cum pars eius propriè non sit, facultatẽ in se habet, alterũ tale generandi, quale illud est, à quo profectum desumptumq; fuit. Hoc corpus in animalibus est excrementum vtile alimenti vtilis: in plantis plurimis fructus est ac dicitur, aut in fructu conditum iacet. Hæc cum ab Aristotele omnia diligenter sint exposita, vt videre quisque poterit, qui cum attentione huius philosophi scripta legit ac intellexit, iniustè eum carpit nouus Aristarchus. Quæ de definitionum legibus allegat idem reprehensor, nimis probãt, eum tam esse in hac parte rudem, quàm fuit præceptor eius imperitus artium liberalium omnium. Nec mirum mihi videtur, si descriptiones bonas reprehendant, qui artem logicam damnant, & Prædicamentorum distinctionem vituperant, substantias, qualitates, quantitates, &c. turpissimè confundunt. Sed reuertor ad institutum. Hoc ostendere propositum erat, principia rerum sponte nascentium, quæcunq; vel in elementis vel in istis corporibus reperiũtur, semina vsitatè rectéq; nul-

Seminis descriptio.

ſo vel iure vel cõſuetudine nuncupari poſſe. FV. Quomodo igitur ex principijs illis ſpõtè orientia pernaſcũtur? ER. Dicere atque intelligere aliud non poſſumus, quàm quod ſcimus, Deum in creatione, cũ ex elementis miſta naſci mandaret, ſimul quoq; aptitudinẽ & facultatem eiſdem dediſſe, vt ex certo modo certaq; inter ſe proportione miſtis à definito agente certus generaretur effectus. Nunquam enim obliuiſci huius oportet, rem eandem ad efficientes cauſas diuerſas relatam diuerſſimas induere formas & ſpecies. Quippe panis, exempli gratia, idẽ exiſtens, aliter ab aqua & frigore, aliter ab igne vel calore afficitur. Nec eodem modo à colore quouis mutatur, ſed aliter à calore igneo & aliter ab animalis calore patitur. Nec ſimiliter mutat calor canis, equi, cameli, ſtruthionis, hominis, comeſtum panem. Imò verò aliter eundem concoquunt homines, nõ modò diuerſi, verùm etiam ijdẽ, prout vel ægri ſunt ac ſenes, vel ſani ac iuuenes. Ex quo perſpicuè ſatis percipi poteſt, quomodo intelligendum ſit, quod Philoſophi dicunt, formam potẽtia eſſe in materia, et & ab agẽte determinato ex eadẽ educi. Eſt. n. illa potentia iuſſus Dei, per quẽ materia pro diuina diſpoſitione idonea eſt, vt ab efficiente, nõ quolibet, ſed definito & certo alterata & tranſmutata certam & determinatã ſuſcipiat formam, qualẽ ab agente alio alterata ſuſceptura non fuiſſet. Sic panis ab animalis calore in chylum, ac deinde in ſanguinẽ verti poteſt, ab ignis aut alĩus rei calore ſic permutari nullo pacto nullaq; vi poteſt. Ergo non præexiſtit actu forma inducenda in ſubiecto: ſed habilitas ineſt, vt ab agẽte tali mutata, tali ornetur forma: ab alio alterata aliam quoq; induat ſpeciem: idq; propter legem à Deo rebus omnibus impoſitã. Vna igitur eademq; materia habilis eſt omni tempore, vt planè diſcrepantes recipiat formas pro vario

Potentia materiæ ad formam quid.

agen-

agentiũ causarum occursu, vt de pane dictũ iam fuit: qui simul aptus est in ventre animalis in chylum trãsmutari, & in igne in cineres solui. Hæc princeps causa est, quòd in aliquibus videmus copiosam bilem, in alijs multã pituitam, in alijs laudabilis sanguinis multitudinem ex quouis oblato cibo cumulari. Etsi.n.cibi aliqui à plerisq; in probum sanguinẽ verti solent ac possunt: ab alijs tamen quibusdã in alios quosdam succos trãsmutantur. Exposui iam breuiter quidẽ, attamen apertè & dilucidè, vt arbitror, quid propriè nominarint semẽ eruditi omniũ temporum. Ostendi quoq; semina spõtè pronascentium animalium & plantarum non contineri actu in elementis tanquã in cistis aut cellulis quibusdam, sed ex ordinatione Dei inesse mistis elemẽtis habilitatem à certis agentib. certo modo patienti. Hãc si cui habilitatem libet semen appellare, is norit se nõ loqui vsitatê, sed verborũ significationes absq; necessitate mutare, eoq; pacto res vel inscitè vel impiè obscurare. Quis Muris semẽ, scribit alicubi Scaliger, esse profiteatur in Boue: propterea quòd è fimo bubulo prodeat? Quod vltimo loco quærebas, non valde laboro cognoscere. Hoc enim vsuuenit authori, quòd omnibus falsa defendentibus accidere necesse est: vt & cum veritate: & cum proprijs hypothesibus sæpenumerò pugnet. Quicquid de semine, quod à mare in vterum fœminæ inijcitur, crediderit, de illo, ex quo constat animal, fateri cogitur, ipsum ab interitu animalis corpore dissoluto ad diuersorium seu cellam suam reuerti, atque ibi tempus digestum expectare, quo rursus prodeat in scenam. Quòd etsi tùm Diuinis, tùm rationis nostræ verissimis argumentis sic est confutatum, vt contrarium sentire salua pietate nulli liceat: non pigebit tamen pluribus absurditatem huius insulsissimæ phantasiæ patefacere: siquidem

Cur in alijs bilis, in alijs alij humores magis augeantur.

non ingratum tibi sit plura audire. FVRN. Audiam libenter: præsertim cum nõ frustra monuerunt veteres, vt in principijs considerandis nulla diligentia putetur nimia. His enim vel rectè positis, vel aptè firmeq; refutatis, necessarium prorsus est, quæ ex his conclusa sunt, vel firma remanere, vel penitus corruere. FVR. Falsitatem opinionis hoc etiã probat, quòd non possunt modum progreßionis seminum explicare. Cõstat ex antè dictis, eos in singulis rerum ordinib. quæ elementorũ sinu fouentur, semen, siue speciem, siue principiũ vitale, siue naturã radicalẽ (His enim & alijs præterea multis appellationibus nominant) ponere vnam: & eam quidem corpoream, seu in corpore quodam subiectoque insidentẽ. Quod ob id hîc repeto, vt ne putes hanc potentiam seu naturam absq; corpore subsistentem instar Platonicarum idearũ materiæ impertiri. Non possunt hoc Platonicorum somnio iuuari, nisi extra corpus omne subsistere fateãtur. Ac nec sic quidem iuuabuntur Plato namq; & eius sectatores omnes constanter asserunt, corporum Elementa prima, esse cõmunia totius naturæ quatuor illa corpora simplicia, ignem, Aquam, Aerem, Terram. Materiæ concinnè præparatæ & ex elementis conuenienter mistæ formam commu nicari ab idea existimant: Materiatam & corporeã fieri non iudicant. Sed hæc opinio abundè confutata est ab Aristotele. FVR. Ego tamẽ video omnes, aut saltem plerosq; Philosophos & Theologos etiam hodie collocare Ideas in mẽte Diuina: iuxta quas hic mundus & factus sit ex nihilo, & nunc quoque gubernetur à Deo ER. Disputatio hæc de ideis ad præsentem locum non pertinet. Hoc solũ dicam, inscitè facere, qui Deum sic putent opus habere imaginib. & ideis, quomodo nos homines opus habemus. Hoc est infinitum finito terminare & mẽsurare: aut intelligẽtiam Dei nostri in genij

In principijs multũ studij ponendum.

Semina Paracelsicorũ differunt ab ideis Platonicorum.

Deus ad agendum non eget Ideis.

genij modulo metiri. Ipsemet est omnium idea & exemplar, nec in actionibus suis cogitur exemplaria inspectare instar hominum: qui noticiam suam è sensibilibus hauriunt. Theologi non hoc dicunt, ideas in Deo existentes re vera in materiatis rebus inesse, sed exemplaria solūmodo operū diuinorū existere aiunt. Sanè ædificatoris idea, secundū quam domum ædificat, non fit pars domus, sed exemplum permanet, ad cuius similitudinem domum exprimere conatus fuit. Nos hîc disceptamus, non de exemplaribus, sed de elementis rerum, ex quibus re vera constant. Ergo semen in qualibet specie vel est vnicum, vel tot sunt numero, quot in quaq; specie inueniuntur indiuidua. Hoc si affirmetur, nulla est vel generatio vel corruptio, sed immortalia sic conseruantur omnia indiuidua, quemadmodum homines seruantur immortales. Sic non tantùm species rerum, verùm etiam specierum indiuidua ab interitu vindicabimus. Non enim corrumpuntur aut mutantur semina, sed definitis temporibus corpora induunt, & in scenam prodeūt: mox actu absoluto, deposita veste, ad pristinum diuiniusque se recipiunt hospitium. In semine, « inquiunt, vita, potestas, essentia, scientia, status, & huius « modi vigent: in corporibus mortes, infirmitates, defe- « ctus, distantiæ, imagines, opiniones, motus, & turbulen « tæ confusiones comprehenduntur. Quæ noua indies « fieri videntur, in semine antea delitescunt, meliorique « vita fruūtūr. Quæ hîc corrumpi dicuntur, non festinât « ad non Ens, sed destinatis muneribus absolutis ad fon- « tes suos recurrunt. Recidiuis generationibus, constan- « ti circuitu, documenta ponunt, se vitali vegetaque re- « publica delituisse, non ex mortuis fontibus temerario « radiorum, atomorum, qualitatum, congressu, prodijsse. « Quis non ex recitatis intelligit, res omnes immortales permanere? Corpora intereūt, in quibus vita, potestas,

Res omnes permanent immortale

essentia, status nullus est: in quibus hæc omnia insunt, in omnia secula perdurant. Vt ergo corpus hominis dissoluitur, anima remanet, ita singulorum Asinorum vita, essentia, potestas, corrupto corpore, ad diuersorium suum reuertitur. Tantò porrò feliciores sunt asini hominibus, iuxta nouos istos Pythagoras, quantò sunt indiuiduis hominibus antiquiores. Semina enim ab initiò facta sunt: animæ nostræ tunc essentiæ capiunt initium, cum in vtero conformamur. Ergo aut cuiuslibet indiuidui pars optima perennis est ac perpetua, aut non latent omnium indiuiduorum semina in elementis distincta. Vnum igitur est semen in quolibet genere seu specie. Sed qua ratione ex vno semine tot numero indiuidua efficiemus? Non possunt singula ex toto illo constare. Sic enim res vna, esset non vna, sed propemodum infinita: & corporea substantia vna in locis fermè infinitis vno eodemq; tempore actu reperiretur tota: quo nihil monstrosius & falsius excogitari potest. Taceo, quòd omnia vnius speciei indiuidua eiusdem omninò ingenij, naturæ, conditionis esse oporteret: vt quæ ex vno eodemq; præcisè composita generataq; essent semine ac materia. Equidem ijdem illi scribunt, semina infallibili sciētia instructa esse. Quare corpus sibi aptum absq; errore semper construent. Ex quo efficitur, nec in natura nec in corpore discrimē aliquod esse posse. Sequitur igitur, vt semen hoc vnum diuidi dicamus, atq; ex singulis portionibus singula indiuidua nasci imaginemur. Sed quàm non possit hoc fieri, facilè est intellectu. Cum enim plurimarum rerum indiuidua sint per totum orbem habitatum dispersa, omnibus in locis oriantur & intereant, corpus hoc seminis in totū mundū diffundi oporteret. Et cum infinitę fermè tales sint species, innumerabilia futura sint corpora totā singula terrā ambientia. (Hanc enim vt tangant omnia est

Asini apud Paracels. feliciores hominibus: q̃ multis seculis nobis sũt antiquiores.

Vnũ cuiusuis speciei semen sit unicum.

necessa

necessarium: cum intra terrā & in superficie terræ omnes ferè generationes perfectorū mistorū perficiātur.) Hoc aūt quo pacto absq; mutua corporū penetratione contingere potuisset, illis declarandū relinquemus, qui portēta & impia hæc mōstra, quę oppugnare cogimur, confingere didicerūt. Sufficit nobis demōstrauisse, nulla ratiōe aut verisimilitudine impias istas nugas defendi excusariúe posse. FVR. Non est necesse, vt indiuidua semper ex seminibus in elementorū Abyssis latentibus generentur. Possunt enim, sicut omnib. momentis vsu uenire oculis nostris cernimus, à semine in animali vel plana generato propagari. Et quid aliud docuerūt Philosophi ac Medici omnes, in hunc diem vsq;? ER. Ingēs est discrimē inter nos & Paracelsicos. Nos.n. dicimus semina certorū indiuiduorum ex semine nascentium, in animalibus & plantis contineri: actu in elementis tanquā in cista vel theca latere constanter negamus. Quin imò certò scimus, semina plantarū & animalium, priusquam in ipsis generata fuissent, nullibi in tota hac rerū vniuersitate actu latuisse aut extitisse. Dicimus præterea, animali aut planta corrupta, totam eius substantiā sic interire, vt naturæ animalis nihil supersit, ex quo idem animal ita renasci possit, quomodo ex semine isti post expletam periodum renasci aiunt. Quamobrem non concedimus, animali mortuo quicquam eius remanere præter materiam ex communibus Mundi elementis coagmētatam. At Paracelsici mortuo animali, corruptisq; visibilibus elementis, semen, ex quo natum prius animal fuerat, ad pristinam suam habitationem redire dictitant. Ex quo absurdum aliud consequitur. FVR. Quódnam id est? ER. Dicam. At priusquam dicam, hoc te monere volo, ex hoc fortasse fundamento Paracelsum alibi affirmauisse, nullum esse vitæ suæ terminum à DEO præstitutum hominibus,

Semina nō sunt actu in elementis.

Vitæ terminus à Deo nullus est nobis positus.

ſed in poteſtate noſtra ſitum eſſe, vitam quamdiu volu mus, ſcilicet ad finem mundi vſque, protrahēdi. Quod etſi eſt manifeſtum mendacium toti repugnās rerum Naturæ, ſacriſque literis, vt vel ex vnico decimoſepti- Actor. cap. liqueat, tamen his propemodum eſt tollerabilius. Nihil certè magis eſt mirabile, ſi hominum iſtorum ingenia ſpectemus, quàm quòd ſimpliciter omnes Aſinos, verbi gratia, immortales decreuerunt. Etenim *Aſini omnes immortales ſunt.* Aſinus ex ſemine Aſini generatur. Quæro igitur, num ſemen hoc, quo Aſinus generat, idem illud ſemen eſſe opineris, ex quo ipſe procreatus fuit? F V R. Non puto. Nam ſi vita, poteſtas, anima, ſcientia, in ſemine omnis inhabitat, quî viuere poſſet Aſinus, vita cum ſemine amiſſa? Et cum vnus ſæpenumero Aſinus multos pullos generet, ſæpiuſculè vitam animamque perderet idem: quæ omnia ſunt impoſſibilia. E R. Rectè colligis. Semen igitur, quo generat, aliud eſt ab illo, ex quo generatus ipſe prius fuerat. Quòd ſi deinde hic etiam generet, alio rurſus ſemine generat, quàm eo, ex quo formatus ipſe fuit. Ratio eadem in conſequentibus omnibus ſeruetur. F V R. Sic prorſus habet. Sciendum tamen eſt, ſeminis corpus eadem virtute perfuſum eſſe, quo parentis ſemen inſtructum fuerat. E R. Niſi eadem ſpecie facultate præditum eſſet, idem ſpecie non generaret. Etſi verò eadem ſpecie inſit in vtroque ſemine virtus, eadem tamen numero non eſt in vtroque. Sed quemadmodum anima ſpecie eadem eſt tua meaque, numero duæ ſunt, ſic in ſemine res habet. (Non enim audebunt vnam virtutem numero in omnibus ſic ponere, quomodo Auerroes vnum numero intellectum in cunctis hominibus finxit.) Perſpicuum magis erit quod dico, ſi conſideres quantum in omnibus ſpeciebus indiuidua inter ſe differant. Sunt alia aliꝭs alacriora, animoſiora, dociliora, laborum patientiora, ſaniora, maiora, &c.

Diſcre-

Discrepantia hæc non proficiscitur à virtute vitali seu specifica seminis, sed à facultate indiuidui procedit. Quocirca non tam sunt ambo semina parentis & filij numero vnum, quàm non sunt homo vnus numero Philippus & Petrus. Et ne continuatione quidem vnum esse possunt, cum sint spacijs locisque distincta. FVR. Nihil adhuc absurdi video. ER. Cuiuslibet indiuidui materia radicalis, Semē, Balsamum, prima materia, aut quomodocunq; appellare Paracelsicis placuit, corruptis elementis communibus remanet in sua materia, & ad elementorū capacitatem reuertitur, vt meliore feliciorequе ibidem vita fruatur. Ergo necesse est fateri, tot latere in terra semina Asinorum immortalia, quot à condito mundo Asini vixerunt, & quot ad finem vsq; victuri sunt. Replebitur proinde mundus tandem Asinino semine totus (corpus enim est, atque locum occupat) vt vix aliud præter asinos generari possit. Quod de asinis dico, de alijs omnibus accipiendum est. Nam Paracelsus palàm scribit libro 2. ad Athen. text. 11. cum Philosophia pugnare, si flosculi ponantur æternitate carere. Etsi enim pereant, in congregatione tamen omniū specierum comparituros. Nihil enim, inquit, in magno mysterio creatum est, quod non sit habiturum imaginem extra ætherem. Deinde text. 17. hæc habentur. Arcanum rerum incorruptum est, quod nō ex spiritu, sed ex natura intelligitur: hac ratione, quod post mortale sequitur sempiternum. Quando enim insensibile perit, succedit ei mortale: nec est quicquam supra terram ex his fluxis rebus, quod post se non relinquat æternū. Quoniam post finem creatorum omnium, conueniēt, æterna illa. Huius generis monstra alibi quoque repetit: quæ transcribere propter fastidium & impietatem non possum. Nec dubium est, quin discipuli idem voluerint, vtcunque alijs quodammodo verbis Magistri sen-

Mundus asinino semine refertus

tentiam proponere studuerint. FVR. Chimeræ istæ ab impietate non alienæ huc non pertinent. Itaq; libenter omitto. Hoc magis cupio imaginatione concipere posse, qualénã corpus illud sit, in quo virtus seminalis primò inest. ER. Imprudenter feceris, si superstitiosè quæras, quod inueniri nequit. Recordor nunc tempestiuè lepidissimi somnij, seu improbi mẽdacij, quod lib. 9. Archid. de primo Ente legi. Quod quia nõnihil seruit desiderio tuo, non grauabor referre. Vocat autem Ens primum, compositum imperfectum incorporeum, quod destinatũ sit perfectioni. Auri Ens primũ dicit liquorẽ esse nec dum densatum in duritiem auri: ex quo de alijs

Fabula de Ente primo

Ens primũ quid Paracelso.

» cõijcere oportet. Ne miretur Philosophus, inquit, quãdo ex terra, ex qua herba nascitura est, illius herbæ vires extrahi dicimus, priusquã materia eius in corpus coacta durataq; sit. Hinc vsuuenit vt, cùm virtus primi Entis in vitro est inclusa, forma eiusdem illius herbæ nascatur absque omni terra. Et cum adoleuit, tametsi conformata sic sit, ac si prædita corpore esset, corporis tamen expers est: propterea quòd terræ liquore caret. Caulis eius nil est aliud, quàm visum seu spectrum seu vmbra (instar fumi, qui formæ substantialis imaginem repræsentat, etiamsi tangi nequeat) quæ digito in succum iterum conteri potest. In ijs, quæ sic nata sunt continetur Ens primum [integrum, omni cum perfectione, quæ ex terra enatis inest. Quare ex primo Ente auri pullulat aurum captiuum], tactui repræsentans aquam crudam. &c. Siue hoc primum Ens semen sit rei nascendæ, siue prima materia, siue aliud, hoc certè intelligis, oportere te de talibus vmbris cogitare, cum Paracelsica legis. Quid hic non est falsum, mentitum, & portentosum? Ex terra, inquit, seruari possunt vires omnes herbæ nondum natæ. Quid ergo efficit substantialis transmutatio? Ego pro-

prietates

prietates rerum putaui nullibi cogitari posse, nedum actu subsistere, quàm in subiecto suo. Si enim possent alibi existere, non essent propriæ. Non potest Magnetis virtus esse in subiecto alieno, sed in solo Magnete perfecto inest. Certè succo terræ, antequam in lactucæ substantiam permutatus sit, frustra sic vti coneris, quomodo post concretionem vtéris. Quis præter Paracelsum dubitat, quin ex substantiarũ immutatione, nouæque formæ adeptione res quælibet simul quoque nouas acquirat vires? Quo porrò ingenio aut qua arte virtus corporea vitro absque materia includetur? Quomodo deinde corporis expers ista virtus in plantæ visibilem formã conuertitur? Vnde quæso augebitur ista virtus? Plantæ omnes in terra exilia initia habent, ac radices primũ agunt: per quas alimentũ attrahunt, à quo paulatim incremẽta accipiunt. Aliter cum naturaliter neq; nata sit vnquã aut nasci possit vlla plãta, quomodo in vitro subitò tota eius forma & figura cũ magnitudine apparebit? aut si sensim incremẽta capit, quemadmodũ facere videmus, cũ in naturali sua matrice fouetur & crescit, vnde nutrimentũ attrahit? Quî poterit tãgi, digitis fricari, & in succũ solui species seu imago incorporea? Ob id talia impius tenebrio tradidit, vt suis discipulis ex incorporeis corpora fieri persuaderet, simulq; oẽs benè cõstitutas artes, omnesq; sanas de Deo eiusq; opificio sentẽtias labefactaret, omnẽ deniq; pietatẽ euerteret. In eodẽ loco rationẽ impudentiss. illius mẽdacij, cuius in multis librorũ suorũ locis mentionẽ fecit, reddere conatur, cur scil. ispidæ auiculæ arefacta cutis quotannis pẽnas renouet per multos annos. Quę, malũ, insania tãta est, quæ cũ huius improbitate cõparari possit? Sed audi causã. Auicula hæc, inquit, viuit ex primis herbarũ Entib. Si, cur non viuenti renouentur pennę interroges, respondet, ideo fieri, *Fabula de ispida auicula.*

quia non poſſint vires ſuas præſente vita exercere prima Entia: & proinde in mortua demum ouicula, quid poſſint declarare. Hæc obiter, vt aliqua ex parte ſeminis corpus, & primam rerum materiam Paracelſicam imaginatione comprehendere addiſcas facilius. FVR. Legi hæc eadẽ: ſed mihi ob id fortaſſè exciderant, quòd fabuloſa eſſe putaui, atque ideo neglexi. Scio ego, qui multas propter venuſtatem colorum pelles tales ſeruauit. Is mihi ſanctè iurauit ſceleratum eſſe mendacium: quod de hac re Paracelſus blaterauiſſet. Nuper in ſcriptore Paracelſico non ſine admiratione vidi eandem fabulam rideri. Solent enim iſti homines etiam ſputa excrementaque Magiſtri ſui lingere: quod ego nunquã facere volui. Nam vt multa probauerim non probanda, omnia tamen laudare nec potui nec debui. Verùm præſtat, vt his neglectis propoſitum vrgeamus. ER. Perſpicuè declaraui ſemina in elementis latentia non poſſe abſque corpore ibi latere. Mox corpus hoc non poſſe vnum & totum eſſe in omnibus indiuiduis docui. Deinde neque tot in qualibet ſpecie diſtincta ſemina poni poſſe, quot in ea inſunt indiuidua, commonſtraui. Demum neque vnicum corpus tot indiuiduis procreandis ſufficere, ſi ſingula ex parte aliqua naſci putentur, oſtendi. Quid igitur nunc ſupereſt, aliud quàm vt concludamus, meras eſſe fabulas impiaſque nugas, (Quòd enim Sacris literis repugnent, clariſſimè demõſtraui) quæcunque de ſeminibus hiſce deblaterant?

Semina nõ latent in elemẽtis abſque corpore.

FVR. Quid ſi dicamus corpus illud ſeminale non eſſe neceſſariò exporrectum in terrę partes, ſed exiguum & tenuem eſſe ſpiritũ, qui in indiuiduis vnà cum ipſorum corporibus augeatur? Quanquam hoc etiam fortaſſè dici poſſit, ſemen non ineſſe in indiuiduis vt materiam, ſed vt opificem & effectorem. ER. Extenditur neceſſariò ad omnes partes terræ, in quibus canes vel aſini,

exempli

exempli gratia, generantur. Nisi enim ibi sit, vbi initur Asina, quomodo aut à quo Asinus generabitur? FVR. Semen hoc non ab elemētis procedit, sed ab Asino manat. ER. Hoc suprà confutatum est. Aut enim idem illud semen profundit Asinus, ex quo ipse constabat, aut aliud, aut partem illius aliquam. Primum affirmari nequit propter causas suprà expositas. Aliud non potest de se effundere, cum non in Asinis, sed in Elemētorum capsis asseruentur semina statis temporibus ad generationem processura. Pars non poterit esse. Citò enim se suo semine, hoc est, vita, essentiaque tota spoliaret coitu frequentiore. Gallis, passerculis, alijsque salacioribus animantibus, adeoque spurcis hominibus quid fiet? FVR. An non eadem difficultas te premit? ER. Minimè gentium. Nec eget res explicatione ampliore. Suprà namque satis est declarata: idque non semel tantū. Non potest substantia corporea, quā in singulis indiuiduis paruam admodum esse oportet, si Paracelso credimus, non citò consumi, si quotidie pars aliqua ab ea auferatur. Sed quo pacto corrupto corpore Asini semē ad elementi Abyssum reuertetur, si per generationem crebriorem partibus tam multis priuatum sit? Quicquid excusare coneris, fateri tamē semper cogeris, corpora illa seminalia in omnes terras extensa esse. Neque potest augeri, nutriri, minui corpus immortale. Quæcunque enim corpora alimento indigent, augentur, & minuuntur, etiam corrumpuntur. Vnde verò alerētur? A simili nequeunt, vt quod non adsit. A dissimili minus, cum instrumentis careant, quibus præparetur & cōcoquatur alimētum: quibusq; simile à dissimili secernatur. Cum porrò semen vt materiam negas inesse in mistis, elementa esse negas. Nec aliud nos contendimus, quàm elementa non esse corporum, quæ pro elementis Paracelsici nobis obtrudere volunt. De virtute

Quicquid alitur et augetur, etiā corrumpitur.

Virtutē formatricem nullus vnquam pro elemento posuit.

siue causa formatrice nunc non agimus: quam post cōditum orbem hunc nullus inter elementa corporum connumerauit, nisi si fortè aliquis aliquando sic insaniјt, quomodo Paracelsici insaniunt: quod tamen vix puto accidisse. FVR. Imò discipulorum eius quidam scribunt, Paracelsum non esse authorem trium illorū principiorum, sed Furnarios quosdam Philosophos ante ipsum inuenisse. ER. Scio scribi: quam verè, ipsi viderint. Ego sanè multos legi horum sufflatorum libros, atq; de metallorum elementis variè eos sentire animaduerti: omnium mistorum corporum elementa non vidi, ab eis tria illa Paracelsica statui. Et quid erat opus aurū & argentum solum ex metallis ignobilioribus producere volentibus solicitè aliorum corporum elemēta inquirere? Sanè qui inter illos iudicіј aliquid habuerunt, confessi sunt liberè, aliam esse materiam proximā metallorum, & aliam rursus aliarum rerum: nec esse causam vllam, cur metalla longius resoluantur, quàm vsq; ad cōmunem metallorum materiam, non ad communē rerum aliarum omnium. Sed fac etiam illos ita desipuisse, vt contra sensum, contra rationem, contra omnium doctorum consensionem, contra denique Sacras literas, elementa vulgaria ex tribus illis conflata opinati fuerint, nunquam tamen tam immaniter delirarunt, vt virtutem vitalem, siue formatricem inter elemēta corporum collocarent. FV. Manifestè iam video inanē & vacuam adeoq; à pietate dissentaneam esse hanc de seminibus in abysso incorporeorū elementorum latentibus phantasiam. Quare ad alia descendamus. ER. Præter semina, in elementorum thesauris & receptaculis principia corporū, & elementorum fructus latêre conseruariq; contendunt. De his vbi pauca quædā monuero, ad consequentia properabimus. Cæterùm de tribus illis corporū principijs, sale videl. sulfure, & hydrargyro, quia

An Paracelsus author sit trium illorum principiorum.

quia copiosè iam antè egimus, paucis nos hîc expediemus. Diximus autem principia illa nec ratione, nec sensu, nec eruditorum testimonio, nec modo alio vllo comprobari posse. Equidem rationem nullam protulerunt, qua ex tribus illis constare corpora ostenderent. Nos contrà demonstrauimus corpora priora & simpliciora quatuor elementis nulla in hac regione mutabili inueniri. Sensum allegant, promittentes nobis eorum ostẽsionem in mistorum retexione arficiosa. Quã verò hac in parte sint temerarij & impudẽtes, ex retrò dictis perspicere potuisti. Quis sibi audebit hoc sumere homo pudens, vt in flamma vel aere puro distinctè nobis inesse monstret salem, sulphur, & hydrargyrum? Quisquis polliceri audebit, frontem se pudoremq; amisisse omnem simul declarabit. Ne in Mumia quidẽ sua, vel Balsamo, vel quinta essentia sperare distinctam horum ostensionem audent: quam tamen negare non possunt corpus esse compositum. Quinimò ne aerem quidem seorsum monstrari posse asseueranter is scribit, qui & plures annos Chemiæ artem exercuit, quam alij quidam arrogantes hunc solem aspexerunt: & non multò pauciores eandem excoluit, quam Magister illorum Paracelsus vixit. Scribit autem Magistro consentanea. Nam in Archid. constanter ait, à quinta essentia, seu à vincente (ipse prædestinatum nominat) elemento, non posse reliqua tria separari. Multò minus tria illa separabunt, quæ ne ex elementis quidem, corporibus minus simplicibus separari possunt. Idem eodem loco illud etiam affirmat, Ex mistis non posse ignem separari, qui actu sit ignis, sed tantùm corpus siccum & calidum. Aerem quoq; separatim ostendi posse pluries negat. Quin apertè scribit, elemẽta, quæ ex misto secreta sint, resolui in alia deinde nõ posse. FVR. Attamẽ in mistis alijs demonstrãt. ER. Quid miri sit, si vi & efficacitate ignis ex

Principia corporum à Paracels. ficta, ratione demonstrari nulla queunt.

Ex quinta essentia nõ possũt tria alia elemẽta separari.

corpore misto aliquando sulfur, nonnunquam hydrargyrum, plerunq; salem cõficiant? At simplicia esse hæc corpora, adeoq; elementis simpliciora, hoc verò est, quod pernegamus, & quod absque improbitate à scientibus affirmari non posse asserimus. FVR. Non monstrãt corpora similia vulgari sali, sulfuri, hydragyro, sed similibus viribus & qualitatibus prædita. ER. Suprà cõfutata sunt hæc omnia: commonstratumque fuit actiones & passiones, quascunque tribuunt suis illis confictis principijs, multò prius in elementis inesse. Quod porrò commentum hoc pugnet cum doctorum omnium sentẽtia, quorum ad nos monumẽta peruenerunt, probatione nulla indiget. Si quis ex auri, non coctoribus, sed decoctoribus, tria illa statuit elemẽta corporum omnium, etiam communium totius naturæ elementorum, quod à nullo factum suspicor, næ is dignissimus fuit, qui Paracelsum haberet discipulum. Hoc enim neque doctior neq; melior fuit. Repugnare eandem phantasiam sacrosanctæ veritati in sanctis scripturis propositæ, euidenter suprà docuimus. Quod ergo & ratio falsum, & sensus confictum, & doctorum hominum consensus ementitum, & sacræ literæ impium esse comprobant, hoc quis verum esse sanus homo putet? Verùm enim aliud mihi nunc incidit. Quò etenim plus de his reb. cogito, tantò mihi occurrũt subindè absurdiora. FVR. Quid id est? ER. Paracelsus, vt ex suprà dictis apparet, tria illa prima sic esse cõsumpta dixit in fabricã cœli & elementorũ, quomodo nos materiã primam consumptã, vt sic loquar, in eadẽ dicimus. Sanè materiam primam nominat: & ex eis elementis constructa esse quatuor diuersa affirmat: ex his deinde cæteras res creat. Falsum igitur est iuxta Paracelsum, tria hęc ita cõprehendi ab elemẽtis, vt à cauea seu capsa inani. Falsum & illud, elementa naturas esse incorporeas & ina-

& inanes. Etenim quod ex corporibus concreuit, non potest incorporeum censeri. Falsum non minus est, tria hæc, ex elementis posse per artificiosam resolutionem elici ac seorsim demonstrari. Vt enim materia prima per se subsistere nequit, sed cogitatione sola separabilis est, sic & tria hæc sola imaginatione separabilia esse oportet ab elementorum forma. Elementa certè non continent intra se tanquam in cista quadam tria illa prima: sed ex ipsis mistis constant: nec sunt aliud Paracelso, quàm corpora ex his conflata. Aliud est multò ex aliquo, vt materia, concretum esse: & idem hoc intra se velut in sinu retinere. Sanguis ex pane, verbi gratia, constat, panem in se actu non continet. FVR. Quid si negem tibi tota illa tria in fabricam elementorum assumpta: sed partem eorum aliquam adhuc in singulis aut aliquibus elementis reseruari dicam? ER. Non sufficit dicere, verùm oportet etiam probare. Ostensum autem est contrarium esse omni rationi, sensu, experientiæ, ac sacrosancto Dei verbo. Deinde quid facerent, aut cui vsui seruirent ista corporum principia in elementorum loculis reposita? FVR. Generationi corporum. ER. Quorum? Non seminalium, opinor. Hæc enim immortalia decernunt: quæ necesse est nec augeri nec minui posse. Quod enim alitur, augetur, minuitur, id etiam dissoluitur. Alitio enim ideo est, vt, quod exhalat, reponatur. Vbi nihil abit, repositioni locus non est. Ergo nec nutritioni locus erit. Quocirca his corporibus vsum præstare nullum possunt. Quorum igitur generationi inseruient? FVRN. Crassiorum istorum, quæ videmus & tangimus: quæque Mumiæ & Balsami latentis tegumenta dicimus. ERAS. At hæc ex elementis vulgaribus constare Paracelsus cum omnibus suis discipulis asserit, nisi si aliud ille sensisse probetur, qui ele-

Ex aliquo, vt ex materia concretum esse, et illud in se continere, differunt.

Craßiora corpora, quæ uidemus, ex elementis constant.

menta facit naturas incorporeas. Idem tamen sibi contradicens aliquando ex vsitatis communibusque elementis corpora fœculenta & rudia, seminum scilicet munimenta & cortices, coagmentari docet. Quomodo in resolutione quatuor elementa inuenirentur, si non ex eis mista composita prius fuissent? FVRN. De fructibus elementorum tempus est, vt disseramus. Video autem nobis hic spatiosissimum aperiri campum: quem sine labore & tædio non perlustrabimus, nisi compendio vtamur. ERA. Non explorabimus omnes angulos, spineta, specus, & lacunas fœtidas: ne ex putore morbum contrahamus, tantùm pictos & somniatos fructus ac flores inspiciemus: vt propter admirationem fictionum fastidij minus sentiamus. Concedimus & nos elementa suos proferre fructus. Sed inter nos & Paracelsi opinionem longè diuersissima est ratio. Nos enim intra terram multa generari scimus: in aqua pisces viuere intelligimus ac videmus: extra terram plantas & animalia extare nouimus: at omnia hæc ex elementis quatuor mistis constare perspeximus. Paracelsici autem cum suo Præceptore affirmant singula elementa suos quosdam producere fructus absque aliorum permistione elementorum: ita vt sui sint ignis siue cœli: sui Aeris: sui Aquæ: sui Terræ. Etenim ignem solum affirmant proferre fulmina, tonitrua, pluuias, grandines, niues, rores, & similia. Aerem dicunt generare Mannam: & quæ huius generis alia reperiuntur. Aqua sola gignit ipsis Metalla & Metallica cum gemmis, lapidibus, & consimilibus alijs. Terra prturit animalia, plantas, & fructus eorum. Reliquos vitæ participes fructus elementorum, quos videlicet singulis adscribit Paracelsus, libenter prætereo: cum & in prima collatione, & paulò suprà mentionem eorum

Differentia opinionum de elemẽtorum fructibus.

Fructus ignis.

Aeris.

Aquæ.

Terræ.

rum fecerimus. Hoc solùm in præsentia præcipuè velim scire, quomodo semina in theatrum progressura corpus ex elemento, ex cuius sinu seu cauitate prorepunt, induant aut vnde sumant? Ex elemento non accipiunt, si sunt naturæ incorporeæ & inanes, ac loca tantùm vacua: vt ille opinatur. Et de seminibus plantarum in terram proiectis vt aliquid comminiscantur Nouatores pessimi, de animalium tamen seminibus, quæcunque intra vterum fœcunda sunt tantùm, nihil confingere poterunt. Hæc enim in matricibus elementorum nec sunt, nec fuerunt vnquam, sed in animali & ab animali generata sunt: ac sui generis animalia procrearunt, priusquam terram attigerint. Proinde Chimæræ sunt turpissimæ, quæcunque de hac re garrit: adeoque indigna sunt, quæ bonus vir legat, nedum confutet. Quanquam talia sint, nihilominus audet affirmare, in quolibet misto quatuor vulgaria elementa inesse. Quomodo quatuor in resolutione apparent, si vnicum in composito inest? FVRN. Rudimenta duntaxat elementorum, non autem elementa conspici scribit. ERAST. Siue rudimenta vocet, siue elementa appellet, nostra nihil refert. Quippe corpora sunt, quæ separari à se inuicem, separataque monstrari possunt, ignem, aquam, aerem, terram, repræsentantia. FVRN. In quolibet elemento ponit reliqua tria: sed ita tamen, vt eius elementi, in quo sunt, naturam sapiant. In terra enim inest, inquit, aer terreus, aqua terrea, ignis terreus: in aqua inest terra, aer, ignis, sed aquea. Sic in aere reperiuntur ignis, aqua, terra, aeria. Eodem modo in igne comprehensa sunt terra, aqua, aer, ignea omnia. Hac ratione facilè excusabit, quod in planta & animali quolibet quatuor elementorum rudimenta monstrat, tametsi

In singulis elementis alia tria cõtinentur alimenta.

ex vna terra concreuisse contendat. E R. Hoc agit, vt video, diligens hic Paracelsi discipulus, vt præceptoris insaniam & temeritatem non modò in plerisq; æquet, verùm etiam in compluribus superet. Hoc modo elementa sedecim habebimus, quatuor terras, totidem ignes, aeres, aquas. Et cum omnia hæc sint corpora visibilia (Non enim in resolutione separatim subsistere ac demonstrari possent, nisi corpora visibilia essent) corpus autem visibile iuxta Paracelsum non sit elementum, sed Spiritus quidam inuisibilis per elementi corpus visibile diffusus, triginta duo nacti sumus elementa. An non improbè fecero, si sceleratas hasce nugas refellere tentauerim? F V R N. Ne hîc quidem à sui præceptoris mente recedit author, vt ex secundo Archid. intelligi potest. Suspicor autem eos sensum minus absurdum tegere inusitatis phrasibus. Equidem non argumentis, sed flagris refutanda sint, si sic intelligi velint, vt verba videntur sonare. In loco citato cum Paracelsus res ex quatuor elementis inæquali mensura mistis constare dixisset (Dicit autem apertis verbis substantialiter omnia inesse in mistis) simulque declarasset, qua ratione, licet contraria sint, in vna re commorentur, huiusmodi quædam addit.

Paracelsici elemēta faciunt sexdecim.

Elementa iuxta præceptorē & discipulos ponere cogimur triginta duo.

„ Substantia Nymphęæ in se habet aquam: at nec ter-
„ ram, nec ignem, nec aerem continet. Imò nec similitu-
„ do aliqua inest siccitatis aut caliditatis. Coagmentatio
„ eius est aqua sola. Quamuis hoc ita habeat, nihilomi-
„ nus tria pręterea insunt elementa: at non de reliquis tri-
„ bus sunt, quæ imperfectè insunt. Quin nec adiuuantur
„ ab illis, nec ortũ inde habẽt: verùm ex dominatore (hoc
„ enim videtur intelligere per, pdestinatũ) elemẽto, quod
„ huic generi siue rei destinatũ est, principiũ originemuè
„ suã capiunt. Mox Philosophię aduersari ait, vt elementũ
vincẽs seu prædestinatũ (quod cõtinuò quintã essentiã

appellat,

āppellat)nō in se habeat reliqua tria. In his inquā, videtur Paracelsus simile quiddam dicere, licet aliud intellexisse censeri possit. ER. Quę monstra nobis producis? Nymphæam, vt res alias, ex quatuor elementis conflatam affirmat. Eandem ex aqua sola concreuisse asserit: reliquorum elementorum ne similitudinem quidem adesse ait. Item, aquam in ea vincere: cætera inesse quidem essentialiter, at ab vno vincente oppressa teneri. Item, tria esse in Nymphæa elementa præter aquam: at non ex alijs tribus, sed ex aqua originem habere. Item, sic inesse reliqua, quomodo aqua, cui permistum est acetum: aqua permanet, quamuis aquæ vires non possit absolutè repræsentare. Quemcunque sensum occultare voluerint sub istis ambagibus, & prodigiosis contradictionibus, nihil tamen profecerint. Si hoc volunt, elementum apud nos purum nullum existere, sed in quolibet omnia inueniri, falsum nihilominus erit, aliam esse terram, quæ aeri permista est, quàm quæ cum aqua commista cernitur. Ratio similis est aliorum omnium. Sanè quod permistum alij est, non differt à se ipso puro, si naturam rei cuiusque spectes, quantisper naturam in mistione non abijcit. Non enim differt mel cum aqua cōfusum à melle syncero, & non misto, modò in hydromelite naturam mellis retinuerit. Si naturam mutauisse ponas, non iam erit terra, sed ex mistione compositum, apertè vocabitur terreum: terra nominari nullo pacto debet. Elementa itaque plura non sunt, quàm quatuor recepta ab omnibus. Nec ratio solùm tot esse, non plura, demonstrauit, sed & sensus nostri nobis comprobarunt, & quod maximè valere meritissimò debet, sacræ literæ nobis confirmant. FVR. quid ad id dicis, quòd cuique elemento suos peculiares & proprios fructus assignant? ER. Suo mox loco de hac ipsa re agemus.

Paracelsi contradictiones in Nymphæa.

Cum alio mistum, non differt à se ipso, puro si non sit alteratum.

Quæ de elementis noua dixerunt Paracelsici, falsa omnia sunt.

Nunc illud demõstrauisse sufficiat, quæcunq; de principijs, elementis & continentibus & contentis noua protulerunt Paracelsici, aduersari non modò principijs rectè constitutis, intelligentiæ ac sensibus, iudicio deniq; omnium eruditorum: verùm etiam repugnare pietati, & sacrosancto Dei verbo. Quod si ratione nulla nostra firmare possemus, putida tamen illa mendacia & portẽtosa deliria: ideo probare nullus posset intelligens, quia incredibiliter absurdè inter se omnia pugnant. Quo nomine indigna sunt, quorum susciperemus, vel explicationem aliquam vel confutationem. Ideo autem diluere quædam verbosius volui, vt & falsæ Paracelsicorum imaginationes clariùs appareant, & de veritate principiorũ & elementorum minus deinceps dubitetur. Rectè veteres consuluerũt, vt in principijs rectè ponendis nullis parceremus laboribus. His enim concinnè apteq; cõstitutis firma necesse est permanere, quæcunq; ex his ritè concluduntur. Quòd si falsa esse demonstrata sint aliquorum principia, sua sponte collabuntur, nemine quatiente, quæcunq; super ea extructa sunt. Quocircà minimè necessarium est, vt porrò conemur Paracelsi deliria confutare: postquam principia eius, quibus innituntur reliqua omnia dogmata, futilia inania, putida, falsa, mendacia, impia esse declarauimus. Verissimè igitur de ipso illud pronunciauerimus, concepit cum dolore & labore, & peperit iniquitatem. FVR. Verum est, exercitatos non egere ampliore confutatione: At tardiores, inter quos me profiteor esse, & in philosophicis disputationibus intra modum versati quarundã rerum explicationem vberiorem desiderant. Quamobrem te oro, vt quæ de mistione ac miscibilibus illi prodiderunt, sigillatim exponere mihi non graueris. Veruntamen: quia de Quinta essentia nuper aliquid dictum est, vehemẽter sci-

ter scire velim, quid de hac sentias. Pertinet hoc ad disputationem de elementis: propterea quòd quintum elementum esse dicunt. ER. In vtroq; tibi pro viribus gratificari conabor. Quanquam decreueram apud me omnem de quinta illa essentia disceptationem in tertiam collationẽ reijcere: in qua de admirabili illa Medicina morbos omnes percurante sermonem habebimus. Quia tamen tibi placet hoc loco audire quid sentiendum existimem, age morem tibi geram: &, quantum præsenti loco conuenit, diligẽter exponam. FVR. Si quatuor tantùm sunt elemẽta, vt demõstratum est, atq; ego firmiter persuasum nunc habeo, quid nam erit quintum elementum, quod ab Aristotele dicitur celebratum, & æquè in terra, aere, aqua, reperiri? Animaduerti suprà quintam vocari Essentiam à Paracelso, & elementum prædestinatũ, & substantiam rei mistæ. Legi etiam, cùm apud Paracelsum, tùm apud discipulos eius, diuersum quid esse ab elementis quatuor. Quid autẽ sit, nec apud Aristot. inueni, nec apud Paracelsum me inuenturũ spero. Etenim qui falsè aliquid docet, is nihil docet. ER. Quatuor esse duntaxat mistorum elemẽta rectè iudicas. Plura nanq; neq; sunt, neq; esse possunt mistionis elementa, vt planissimè ac dilucidissimè suprà ostendimus. Quinti elementi cùm facit mentionem Aristoteles, dixi eum non de mistionis elementis loqui, sed cõpositionis. Cùm enim ex quot corporibus simplicib. compositus hic mũdus sit quæritur, rectè respondetur, ex quinq; sic cõstare, quomodo ex literis syllabæ citra mistionem constant. Nec aliter ab Aristot. quinti elementi mentionem factam noui. Hoc quintum elementum ab Aristot. celebratũ, qui putat æquè in terra, aqua, aere inesse, is hoc studet impensè, vt absurdiùs cęteris fatuis insaniat. Nunquam. n. & nusquam putauit, dixit, cõcessit, vel Aristot. vel alius

De Quinta essentia.

Quintum elemẽtum apud Aristotel. non est in cæteris elementis.

quispíam in Aristotelis Philosophia institutus, cœlum aut partes cœli commistas esse cum turbidis & fluxilibus infimi huius mundi elementis. FVR. Non loquitur author ille de cœlo, sed de Quinta vocata essentia, quæ in mistis deprehenditur: corpore nimirum purissimo, & planè æthereo. Hoc corpus in aere, aqua, terra, æquè inesse ait, non cœlum vel cœli partes. Quanquam Paracelso non videtur absurdum, vt de cœlo fructus quidam (& fortasse partes aliæ quoque) huc descendant, rebusque nascendis permisceantur. Sanè cœlum nutrimento opus habere, & vaporibus de terra sublatis ali affirmat. Ex quo certè consequitur, partes aliquas ab eo continuè resolui. ER. Non nescio quid hac de re scripserit Paracelsus. Varius est, vt in omnibus alijs. Hoc tamē crebriùs affirmat, fructus cœli fieri generabilium partes. Fructus autem de substantia cœlorum pernasci necessarium est. Deinde si res omnes ex quatuor elementis substantialiter in mistis inexistentibus compositæ sunt, vt ipse tùm alibi, tùm in 2. Archid. explicatissimis verbis asserit, atque inter elementa vnum est cœlum, necessariò efficitur, cœlum esse partem materiæ mistorum. In nuper edito libro res omnes viuentes habere in se spiritum sideralē ait, per quē astra sensibiliter & insensibiliter operētur. Mox hæc etiam addit: Sidera in cunctis corpus suū habent, non in homine tantùm. Sunt igitur sidera pars quædam materiæ corporum. Non enim de qualitate loquitur, sed de corpore. Nec effugies, si respondeas ignem inesse, cœli fructum. Quoniam in Meteor. suis non simpliciter affirmat, sed argumentis prorsus firmissimis (in sua doctrina videlicet, ac iuxta suas hypotheses:) probat ignem elementum non esse. Demùm quid aliud sensisse existimari potest, cùm hominem microcosmum esse, atq; in se actu, actu inquam, habere conten-

Cœlum alitur vaporibus apud Paracelsum.

Cœli partes sunt pars materiæ mistorū apud Paracelsum.

Homo actu continet in se omnes totius mundi partes.

contendit omnes vniuersi mundi partes? In sagaci sua Astronom. nuper edita homini duo (etiam tria) attribuit corpora: quorum vnum sit ex quatuor elementis concretum, nempe carneum: alterum sit de cœlo & sideribus desumtum. Hoc post mortem sic tandem redire ad sidera ait, quomodo carneum in elementa dissoluitur. Quo in loco iterum sui immemor cœlum & sidera distinguit ab elementis, cum alibi pro quarto elemento nobis obtrudere magnis conetur viribus. Hanc eius inconstantiam animaduertens, opinor discipulorum vnus, dum quarti elementi meminit, duobus nominibus cœli & ignis exprimit: non audēs fortasse alterum ponere solum. Quartum igitur elementum dicit esse, cœlum vel ignem: quasi dubitet, vtrum ponat. Etenim ignem & cœlum differre, ne Paracelsus quidem negauerit: vt ex suprà citatis patuit.) Idē voluit, quando hominem ex quintis quatuor elementorum essentijs fabricatum scribit. Quamobrem non multum mirer, si idē sensisse illum, de quo loquimur, opineris. Suspicionem aliquam facit, quod quintum elementum ęquè reperiri ait in aere, aqua & terra, pręteritis igne & cœlo. Sed esto, non sit locutus de cœlo cœliq; parte, æthere, sed de alio quodam corpore, hoc saltem falsò affinxit Aristoteli, quod scilicet elementū aliquod quintum agnouerit, quod æquè in elementis vel mistis omnibus reperiatur. FVR. Aristoteles in 2. de Animal. gen. cap. 3. manifestè, ponit corpus quoddam diuiniùs elementis, cuius participes facit omnes animæ potestates: licet huius corporis naturam differre pro animalium nobilitate & ignobilitate non neget. Quare non malè scribit, quintum elementum quoddam ab Aristotele fuisse cognitum & celebratum. ER. Fallitur toto cœlo, quisquis Aristotelem quintum Paracelsi elementum, vel somniauisse somniat. Quid a- *Aristoteles nō agnouit Quin-*

tum Paracelsi elementum.

liud continet to ta Aristotelis doctrina, quàm, quæ hîc oriuntur & intereunt corpora, ex quatuor elementis duntaxat, vt ex materia, coagmētata esse vniuersa? An non quatuor esse solùm, neq; plura, neq; pauciora sæpisimè affirmauit, & aliquando etiam demonstrauit? Certè non reperitur in omnibus operibus ipsius vnica syllaba, quæ diuersi aliquid indicet. Quare prorsus certū est, alium esse huius loci sensum. Quippe cū tota sua doctrina ex diametro pugnaret, si hoc voluisset, quod Paracelsici nouatores putant. Et si maximè posset ostēdi, hoc eū voluisse in præsenti loco, nihil vererer affirmare, ipsum hîc, vt & in alijs quibusdam, hallucinatum fuisse: neq; iustê possemus reprehendi, si ab eo recedentes ad veritatē accederemus. Hîc nuda vtitur affirmatione: alibi demonstrationibus vtitur, quæ dissolui nequeunt. Non ignoro præstāti doctrina viros putauisse, cū hîc animarum vehicula, quæ Plato cōfinxit, approbare voluisse. Quòd vt de mēte admitti posset: de alijs tamen animabus, quas ex materiæ potentia educi putauit: ac proinde vehiculis illis, in quibus accedant ac recedant, opus nō habent, frustra dicatur. Quod si etiā de alijs animab. concederetur, non tamen esset elemētum, sed tantùm vehiculū animarum: cum quib. & adueniret misto, & cū ex eisdem misto iterum abiret. Alij quidam iudicant, eum glutinum esse putauisse animæ & corporis, sine quo anima corpori cohærere non possit. At verò si rectè alibi decreuit, tam non esse percunctandum, quid formā corpori vniat, quam non sciscitamur quid in cera signū retineat, frustrà glutinū hoc introduxit pro animabus, quæ materiā informant, ac separabiles à corporib. non sunt. Stoicorum hoc fuit deliriū, non Aristotelis. Pro instrumento potius, quàm pro glutino induxisse videtur. Hoc certius nihil est, quā de nullo elemento mistionis eū loqui, sed de corpore quodam

Aristot. in 2. de Gener. animal. non loquitur de animarum vehiculis.

Spiritus proportione respondens elemento stellarū non est glutinum, &c.

quodã generabili & corruptibili, quale pręter quatuor elementa simplicia, & ex his cõposita corpora, nullum agnouit in hoc mundo mutabili. Quintum.n.elementum ab ipso appellatũ, hoc est, cœlum cum omnib.suis partibus omninò expers generationis & corruptionis cẽsuit. Cæterùm vt euidentiùs veritatẽ videas, agè verba eius inspiciamus. Cum ostendisset Aristot. animas omnes in conceptu potentia prius inesse, quã actu: statim addit, necessariũ proinde esse, vt vel prius existẽtes conceptib. immittantur omnes, vel non existẽtes prius ingenerentur, vel partim hoc, partim illo modo insint. Confutatis deinde primis duob.membris, amplectitur tertiũ: & aliquas animæ partes extrinsecùs ingredi docet, vt mentem, aliquas non sic ingredi, vt reliquas omnes. Non.n.per se possunt intrare, inquit, cum sint inseparabiles: neq; cum corpore seminis, cũ sit excrementum. Sola igitur mens externè accedit. His positis: quoniã quęri poterat, quomodo aliæ ingenerarentur, mox addit: Animæ potestates aliæ calorẽ habent suorum officiorum sociũ, per quem vt instrumentum generant. Hic.n.calor in spiritu seminis contentus transmittitur materiamq; conceptui aptã sic mouens, quomodo ab anima motus ipse fuit, generationis fit autor. Verba sic habent: πάσης μὲν οὖν ψυχῆς δύναμις ἑτέρου σώματος ἔοικε κεκοινωνηκέναι, καὶ θειοτέρου τῶν καλουμένων στοιχείων. ὡς δὲ διαφέρουσι τιμιότητι αἱ ψυχαὶ καὶ ἀτιμία ἀλλήλων, οὕτω καὶ ἡ τοιαύτη διαφέρει φύσις, πάντων μὲν γὰρ ἐν τῷ σπέρματι ἐνυπάρχει, ὅπερ ποιεῖ γόνιμα εἶναι τὰ σπέρματα, τὸ καλούμενον θερμόν. τοῦτο δ' οὐ πῦρ, οὐδὲ τοιαύτη δύναμίς ἐστιν, ἀλλὰ τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι, καὶ ἐν τῷ ἀφρώδει πνεῦμα, καὶ ἡ ἐν τῷ πνεύματι φύσις ἀνάλογος οὖσα τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ. διὸ πῦρ μὲν οὐδὲν γεννᾷ ζῷον, οὐδὲ φαίνεται συνιστάμενον πυρουμένοις, οὔτ' ἐν ὑγροῖς, οὔτ' ἐν ξηροῖς, οὐδέν. ἡ δὲ τοῦ ἡλίου θερμότης καὶ ἡ τῶν ζῴων, οὐ μόνον διὰ σπέρματος, ἀλλὰ κἂν τι περίττωμα τύχῃ τῆς φύσεως ὂν

Declaratio loci Aristot. in 2 de Gener. animal. cap. 3.

ἕτερον, ὅμως ἔχει καὶ τοῦτο ζωτικὴν ἀρχήν. ὅτι μὲν οὖν ἡ ἐν τοῖς ζώοις θερμότης οὔτε πῦρ, οὔτ' ἀπὸ πυρὸς ἔχει τὴν ἀρχήν, ἐκ τῶν τοιούτων ἐστὶ φανερόν. Ex poſtremis verbis, quibus hanc diſputationem concludit, omnes perſpiciunt, quid voluerit hoc loco demonſtrare Philoſophus: hoc ſcilicet, caliditatem fœcunditatis & generationis authorem non eſſe caliditatem igneam, ſed nobiliorem. Quę autem ſit, & vnde ortum habeat, non explicat. Nos autem, quibus hæc cœlitùs patefacta ſunt, clariùs aliquātò videmus vnde profecta ſit, & à quo vim ſuam nacta fuerit. In præſentia ſatis eſt indicauiſſe, quæ fuerit mens Ariſtotelis in adductis verbis. Sciendum igitur eſt, Ariſtotelem non dicere, caliditatem ſeminum, quam δύναμιν γεννητικήν, θερμότητα ψυχικήν, ἀρχὴν ζωτικήν, γονήν, &c. nominat, cœleſtem eſſe. Quippe ἀνάλογον tantùm vocat ſiderum calori. Non eſſe autem eiuſdem naturæ ac generis, quæ τῇ ἀναλογίᾳ eadem duntaxat ſunt, longè eſt euidētiſſimum & certiſſimū. Ex quo ſequitur etiam, ipſum ſpiritum ſeminis, in quo calor vitalis ineſt, non exiſtimauiſſe, cœli vel ętheris partem aliquam eſſe. Nam ſi ſpiritus ille verè eſſet æthereus, caliditas eius propria non eſſet ἀνάλογος caliditati ſtellarum, ſed eſſet re uera cœleſtis caliditas: quod Ariſtoteli tamen non videtur. Videamus igitur qua ratione probet, calorem animalium generationis effectorem, non eſſe calorem igneum. Omnis animæ poteſtas, inquit, corpus videtur participare diuiniùs elementis. Vnde hoc probat? Quoniam, inquit, in omniū ſemine calor ineſt fœcunditatis author. Quid autem eſt hic calor? Non eſt, inquit, ſola qualitas, ſed ſpiritus eſt in ſpumoſo ſeminis corpore contentus, caliditatem obtinens non igneam, ſed Solis & ſiderum calori proportione quadam reſpondentem. Ratiocinatio Ariſtotelis talis eſt: Quod ſpiritum participat, in quo natu-

Ariſtotelès inſitum ſeminibus calorem non dicit cœleſtem.

Ratiocinatio Ariſtot. de calidit. generante.

natura cœlesti caliditati proportione quadam respõdens inest, corpus participat elementis prę̃stantius. Omnis porrò anima participat talem spiritum. Quocirca participat corpus elementis præstantius. Vis & robur argumenti consistit in eo, quòd virtus diuinior elementis in corpore insit elementis præstabiliore. Nam respondere inter se oportet virtutem & subiectum. Quo fit, vt pro animarum nobilitate & ignobilitate tum virtutem earum generatricem tum corpus subiectum similiter differre sit necesse. Quare si potestas animalium generatrix nobilior est virtute elementorum, subiectum quoque huius nobilius esse oportet elementis. Quod autem animalium procreatrix facultas præstet elementorum virtutibus, eo probat, quòd elementa nulla generent animalia. Sumit autem tanquam cõfessum cunctis, potentiam hanc esse quandam caliditatẽ. Quod semina fœcunda efficit, inquit, calor est ac nominatur, non igneus, sed cœlesti calori proportione respõdens. Quo posito, sic argumentatur propositũ, propositionem maiorem probans. Calor cœlesti respõdens calori, diuinior est elementorũ calore. At calor seminis talis est. Quare nobilior est. Minorẽ probat ex efficientia vtriusq; caloris. Ille calor similior est cœlestis caloris, cuius operatio propius accedit ad efficientiã cœlestis caliditatis. At seminis calor ꝓpius in agendo accedit calore elementorũ: proinde similior quoq; existit. Minoris ꝓbatio in his verbis consistit. διὸ πῦρ μὲν οὐδὲν γεννᾷ ζῷον· οὐδὲ φαίνεται συνιστάμενον πυρουμένοις, οὔτ' ἐν ὑγροῖς, οὔτ' ἐν ξηροῖς, οὐδέν. ἡ δὲ τοῦ ἡλίου θερμότης, καὶ ἡ τῶν ζώων ἔχει ζωτικὴν ἀρχήν. Sẽsus est. Si elemẽtorũ calor posset generare, præstaret hoc in primis calor ignis. At hic nihil generat, cũ animaliũ calor instar caliditatis cœlestis generet, seu vitæ principium obtineat. Hactenus igitur respondet animalium calor cœlestium calori, quatenus simili modo generat,

auget, fouet, nutrit, conſeruat: non autem comburit, perdit, diſſipat, inſtar caloris ignei. Liquet hoc ex cauſa quam adfert. Quoniam ignis calor, inquit, non perinde ſuauis eſt & benignus ac cœleſtis. Etenim nec animal vllum generat, nec apparet conſiſtens aliquid in ignitis rebus (Hoc enim ſignificat πυρουμένοις: alij perperam verterunt, denſis.) ſiue humidum ſit ſiue ſiccum, quod ignem ſic paſſum eſt. Quid eſt in hac Ariſtotelis diſputatione, quod elementum quintum introducat? Caliditatem fœcundam in animalibus negat eſſe igneam aut ab igne ortam eſſe. Idem nos quoque inficiati ſemper ſumus. Ignis enim calorem animalem adiuuare ac confirmare poteſt, generare per ſe ſolus non poteſt. Sic ventriculi calorem corroborare valet, vt comeſtum panem concoquat felicius: ſine inſiti caloris huius opera cibos in chylum conuertere verum nullos poteſt. Non enim aſſentiri poſſumus Paracelſo mendaciſſimo tenebrioni contrariũ affirmanti. Poteſt igitur duplex adferri reſponſio. Prima eſt, quòd non loquatur de igne miſto, qui in compoſitis refractus, ignis amplius non eſt: (qui ob id non perdit & comburit oblata, ſed alia temperans, & ab ipſis viciſſim temperatus materiam ad vnionem, quam σύστασιν vocat Ariſtoteles, mouet.) ſed de noſtro igne vult intelligi, qui ſit excedens quidam feruor occurrentia omnia deſtruens. Et quòd ſic vſurparit aliquando nomẽ ignis Ariſtoles, vnico ipſius teſtimonio probauiſſe contentus hîc ero: quod in 3.ca.li.2. de Ortu & interitu legimus. Nec ignis nec aer, inquit, nec alia elementa hîc ſunt ſimplicia, ſed miſta ſunt. Quæ autem ſyncera ſunt, non ſunt hæc, ſed his ſimilia, οἷον τὸ τῷ πυρὶ ὅμοιον, πυροειδὲς, οὐ πῦρ· καὶ τὸ τῷ ἀέρι ἀεροειδές. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. τὸ δὲ πῦρ ἐστιν ὑπερβολὴ θερμότητος, ὥσπερ καὶ κρύσταλλος ψυχρότητος. ἡ γὰρ πῆξις καὶ ἡ ζέσις ὑπερβολαί τινές εἰσιν, ἡ μὲν ψυχρότητος,

Ignis per ſe ſolus non generat.

Ignis Paracelſo cibos vertit in ſanguinem abſque inſito calore.

ἡ δ'

ἢ δὲ θερμότητος. εἰ οὖν ὁ κρύσταλλός ἐστι πῆξις ὑγροῦ καὶ ψυχροῦ, καὶ τὸ πῦρ ἐστι ζέσις θερμοῦ καὶ ξηροῦ. διὸ καὶ οὐδὲν οὔτε ἐκ κρυστάλλου γίνεται οὔτε ἐκ πυρός. Hic certè eodem modo & eiſdem propè verbis loquitur, ignem nihil generare dicens. Intelligit autem, non miſtum temperatumq́ue ignis calorem, ſed excedentem quendam feruorem rebus omnibus inimicum: id quod ex oppoſita ei glacie vnuſquiſq; poteſt perſpicere. Vt igitur à glacie nihil generatur, quantumuis frigus elementorum in miſtis ocioſum non ſit, ita neque ab igne ſupra modum feruente aliquid gignitur. Ignis ſanè, quoad elementum & pars miſti eſt, non eſt ζέσις & feruor deſtruens: ſed calor temperatus à contrarijs ſub imperio formæ materiam congruenter mouens, fingens, formans. Quod ſi reſponſio hæc, quæ vera eſt, tibi non ſatisfacit, dicito, ſolum ignem non generare: quod Ariſtoteles cum alibi ſæpe, tum in his ipſis libris de Animalium generatione clarè affirmauit. In vltimo capite libri quarti Meteor. hęc legimus. ἐστὶ δὲ ἅπαντα, ὡς μὲν ἐξ ὕλης, ἐκ τῶν εἰρημένων (στοιχείων ſcilicet) ὡς δὲ κατ' οὐσίαν, τῷ λόγῳ. An poteſt apertius dici, corporum & partium omnium materiam eſſe quatuor elementa? Non arbitror. At τὸν λόγον ſeu τὴν οὐσίαν, formam ſcilicet, ab elementis non deducit. Nam paulò poſt, cùm partes ſimilares omnes calore & frigore denſari cogiq́; dixiſſet, atq; ab eiſdē cauſis omnes alias effectiones, (τάσιν, ἕλξιν, θραῦσιν, σκληρότητα, μαλακότητα, aliasq́; tales in eodem libro enumeratas) effici monuiſſet, organicas partes & ſubſtātiā, qua hoc eſt os, illud caro, nō ab hiſce, ſed vel ab arte, vel à natura, vel ab alia cauſa confici aſſerit. Eandem ſententiam dilucidè in 1. cap. lib. 2. de Generatione animalium propoſuit his verbis. καὶ ὥσπερ οὐδ' ἂν πέλεκυν, οὐδ' ἄλλο ὄργανον φήσαιμεν ποιῆσαι τὸ πῦρ μόνον, οὕτως οὐδὲ πόδα, οὐδὲ χεῖρα· τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον οὐδὲ σάρκα. καὶ γὰρ ταύτης

Ex igne & glacie nihil generatur.

Ignis in miſtis non eſt ζέσις.

Reſponſio alia verborum Ariſtot.

ἔργον τί ἐστι. σκληρὰ μὲν οὖν καὶ μαλακὰ, καὶ γλίσχρα, καὶ κραῦρα, καὶ ὅσα ἄλλα πάθη ὑπάρχει τοῖς ἐμψύχοις μορίοις, θερμότης καὶ ψυχρότης ποιήσειεν ἄν, τὸν δὲ λόγον, ᾧ ἤδη τὸ μὲν σάρξ, τὸ δὲ ὀστοῦν, οὐκ ἔτι· ἀλλ' ἡ κίνησις ἡ ἀπὸ τοῦ γεννήσαντος τοῦ ἐντελεχείᾳ ὄντος, ὅ ἐστι δυνάμει, ἡ ἐξ οὗ γίνεται· ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν γινομένων κατὰ τέχνην. σκληρὸν μὲν γὰρ καὶ μαλακὸν τὸν σίδηρον ποιεῖ τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν, ἀλλὰ ξίφος ἡ κίνησις, ἡ τῶν ὀργάνων, ἔχουσα λόγον τὸν τῆς τέχνης. ἡ γὰρ τέχνη ἀρχὴ καὶ τὸ εἶδος τοῦ γινομένου, ἀλλ' ἐν ἑτέρῳ; ἡ δὲ τῆς φύσεως ἐν αὐτῷ, ἀφ' ἑτέρας οὖσα φύσεως τῆς ἐχούσης τὸ εἶδος ἐνεργείᾳ.

Materia mistorum sunt Elementa.

In his verbis hoc primum cernimus, omnem partiũ corporis materiam esse quatuor elementa: neq; corporis quinti fieri vllam mentionem. Deinde liquet ex Aristotelis sententia calorem & frigus authores esse omniũ affectionum, quæ in animalium partibus insunt, excepta conformatione seu figuratione & forma. Quanquam verò non ab his formam deducit, non tamẽ sine his carnem, ossa, neruos, generat. Nõ solus ignis, inquit, pedem aut manum, carnem aut os efficit, quemadmodum neque gladium aut securim solus effingit. Calor itaq; & frigus corpora faciunt, lenta, friabilia, mollia, dura, flexilia, ductilia, &c. Formam autẽ, per quam hoc sit caro, vel os, vel neruus, hac vel illa figura ornatum, non tribuunt.

Principiũ formæ quod sit.

Huius enim principium est aliquid actu prius eandem retinens. Vt enim domum non ædificat faber nisi prius ideam in animo conceptam habeat, sic nihil efficit os aut carnem nisi prius facultatem hæc efficiendi ab eo acceperit, quod actu formã talem possidet.

Cur lapides & metalla organis careãt.

Hæc causa est, cur lapides & metalla nullis organis distincta instar animalium & plantarum (Nam in his etiam aliqua organorũ figuratio cernitur, imperfectior tamen, quàm in animalibus.) nascantur. Anima namque formante carent, sine qua calor & frigus nil aliud possunt, quàm quæ in Meteor. docet Aristoteles.

ſtoteles ab eis effici. Tertiò non aſſignat Ariſtoteles hanc facultatem quinto corpori cuidam, ſed τῷ λόγῳ & formæ actu exiſtenti adſcribit. Si enim interroges, vnde virtutem adeptus ſit generandi calor in animalium ſemine contentus, reſpondebit Ariſtoteles, à forma ſeu anima conſecutum hoc eſſe. Sicut enim motus inſtrumentorum, ab artifice manans ignis opera gladium efficit, ita ſemen ab animali motum caloris beneficio animal generat. Hanc autem vim ſcimus nos à Deo animalia in creatione tunc accepiſſe, cum ſingula iuſſit ſe multiplicare & propagare. Quippe iubendo etiam facultatem perficiendi largitus eſt. Concedimus igitur virtutem generatricem ſeu calorem vitalem non eſſe caliditatem igneam, nec ab igne ſolo profectam eſſe. Hoc ſenſit Ariſtoteles, quando calorem animalium, quoad fœcundus ac generationis author eſt, neque ignem eſſe, neque ab igne poteſtatem eiuſcemodi conſecutum affirmauit. Quoniam facultas generatrix ab aliquo formam animalis generãdi actu obtinente proficiſcitur. Nam in generatione vniuoca generans & generatum ſpecie vnum, numero duo eſſe oportet. Iam affirmare de igne quis auſit, animal ipſum eſſe? Calor ergo non ab igne accipit, vt ſit fœcundus, animalque certum effingere producereque poſſit. Quanquam verò ita habet res, non tamen ex hoc ſequitur, animalium calorem, quoad videlicet calor eſt, nõ eſſe ab igne cum elementis alijs temperato commiſtóue genitum. Non eadem ſunt, calorem eſſe, ac virtute generandi præditum eſſe. Sic propemodum res habet, vt in inſtrumentis artis. Malleus enim, verbi gratia, poculum facit, non quoad ferreus eſt, ſed quoad potentiam hanc ab artifice accipit. Vt malleus ſit, ex ferro habet, vt poculum faciat, ab artifice adipiſcitur. Sic animalium calor ab elementis habet, quòd calor eſt: at quòd fœcundus eſt, à

Vnde calor ſeminũ uim acceperit generandi.

Calorẽ eſſe, ac ui gignẽdi præditũ eſſe differunt.

Calor seminis ab elemētis habet quod calor est: fœcunditate a meliore caussa accepit.

meliore caussa nanciscitur: quod non ratione solùm demonstrari, verùm etiam Aristotelis infinitis fermè testimonijs doceri potest. Qui libros de Anima perlegit, caussas vitæ, mortis, iuuentutis, ac senectutis ab eo traditas considerauit, aliaque huius generis scripta examinauit, atque an congenitus animalium calor, qui sub imperio formæ concoctionis, nutritionis, generationis, & omninò actionum naturalium omniū author est & effector, ex elementis conflatus sit adhuc dubitat, indignus est, qui inter eruditos vel nominetur solùm. De respirationis caussis disputans, sic ait. εἴρηται πρότερον, ὅτι τὸ ζῆν καὶ ἡ τῆς ψυχῆς ἕξις, μετὰ θερμότητός τινός ἐστιν. οὐδὲ γὰρ ἡ πέψις, δι᾽ ἧς ἡ τροφὴ γίνεται τοῖς ζώοις, οὔτε ἄνευ ψυχῆς, οὔτε ἄνευ θερμότητός ἐστι. πυρὶ γὰρ ἐργάζεται πάντα. Manifestè hîc repetit, quod in libris de Anima, alijsque dixerat, solum ignem non efficere concoctionem, sed animam igne velut instrumento cibos conficere, nutricationemque exercere. Calor igitur animalium ab igne habet, quod est calor. At ab hoc non habet, quod ex alimento sanguinem generat, & ex sanguine carnem, verùm ab anima id obtinet: quæ per calorē, quem ignem Aristoteles nominat, omnia operatur. Paulo pôst hæc addit: Alias animæ facultates absque vegetatrice, vt in libro de Anima dixi: hanc autem absque igne naturali impossibile est existere. In hoc enim natura ἐκκεπύρωκεν αὐτὴν. (Simili fermè loquendi modo in libro de Iuuent. & senect. capite quarto, de Anima loquens ait, ὥσπερ ἐμπεπυρωμένης ἐν τοῖς, &c.) Planius eandem hanc rem totam expressit in fine libri de Spiritu: quo in loco in hanc sententiam scribit. Errant, quicunq; putant calorem seu ignem vnica facultate secādi preditum esse. Quoniā in corporibus tum animæ expertibus, tum animā participātib. plurima agit. Et in illis quidē dēsationis, rarefactionis, fusionis, coactionis, alio-

Anima operatur omnia igne.

Ignis quid agat cum in animatis tū in inanimatis.

aliorumque talium accidentium author est. In animatis quid efficiat, ex comparatione artium coniectandum est. Vt enim aliud agit ignis aurifabri, aliud fabri ærarij, aliud coci, eodem modo aliud efficit calor huius, aliud alterius animalis. In hoc autem discrimen est præcipuum, quòd igne caloréue artes vtuntur vt instrumento tantùm. Natura verò etiam vt materia. (Quippe ignis, quo vtuntur artifices, operis pars nulla fit.) Neque mirari hoc quisquam ita debet atque illud, quo pacto natura sic nouerit eo vti, vt cum proprietatibus figuram & proportionem quibusq; rebus tribuat: quod in solum ignem atq; spiritũ referre nequaquam licet. Et paucis interpositis, inquit. Quæ porrò fuerit caloris cuiusq; differẽtia, siue instrumentum, siue materia, siue vtrunq; ponatur esse? Nam ignis discrimina consistunt in ratione maioris ac minoris, & quę sequuntur. Constat manifestè ex citatis à me testimonijs (alia libenter prætereo, vt quòd vbiq; calorem animalium à frigore elementorum instar ignis extingui ait, ac similia.) Aristotelem calorem animalium, quoad calor est, ab elementis deriuare: at quoad fœcundus est, alius nobilioris caussæ opus iudicauisse. Idem probat ratio. Etenim calorem animalium, qui sub formæ rectione concoctionum ac generationum in singulis est effector, abs calore igneo iuuari, confirmari, augeri, vegetioremque reddi, nullus nescit. Non minus ab elementorum calore corroboratur, quàm à calore cœli ac Solis: quod experientia nobis quotidie demonstrat. Eundem foueri, instaurari, & amplificari ab eo, qui in alimentis inest, atque ab igneo seu elementorum calore ortum habet, ne insanus quidem negauerit. Cæterùm non posset vel elementorum, vel cœlestis calor insitum in animalibus calorẽ augere & conseruare, si non vna esset omnium natura. Quare

Calorem ingenitum esse ab elemẽtis probatur.

confitēdum nobis eſt, ingenitum animalium calorem ab elementis promanaſſe. FVR. Quis vnquam, præter te, calorem cœleſtem iudicauit eundem eſſe cum calore elementorum? ER. Omnes eruditi: tametſi non eiſdem ſemper verbis affirmarint. Si calor cœleſtis, vt eſt in ſideribus, æquiuocè calor eſt ac dicitur hîc & ibi, & hîc eadem facit, quæ calor elementorum facit, quis non videat alium eum hîc eſſe factum? Negant omnes calorem ſolis vrere & calefacere illic vt hic. Negant ergo eundem vtrobique eſſe. Quinimò calidum eſſe illic negant: cum calidum hic eſſe ne ſtipites quidem ac ſaxa negare poſſint. Comburit, perdit, arefacit, enecat, non minus igne: quod vel caua ſpecula nos docerent, ſi experimenta nulla alia haberemus. Frigus præterea elementorum contrarium ei cum ſit, non video quomodo alius naturæ credi poſſit. Nō obſcurum inſuper eſt, rem quamque pro natura ſuſcipientis recipi, non pro ingenio & proprietate conferentis. Recipitur igitur calor cœleſtis ab elementis, vt ſuſcipere poſſunt. Ergo cum eædem ſint vtriuſque effectiones, idem ſubiectū, eodemque modo patiantur à contrario, frigore ſcilicet, quis inficietur vnam in vtriſque eſſe naturam, quoad in hac ſublunari materia ambo continentur impreſſi? Quamobrem perſpicuum fecimus, cum calorem animalium à ſolo igne vim generandi obtinuiſſe negamus, illud nos propterea nequaquam negare, ab elementorum calore ipſum, quoad videlicet calor eſt, originem traxiſſe. Multò minus confiteri cogimur, Ariſtotelem quintum quoddam elementum corporum, ſeu quintam eſſentiam agnouiſſe. Quippe nullibi negat corpus, in quo vitalis iſta potentia ineſt, ex elementis compoſitum eſſe. Sanè excrementum dicit eſſe alimēti vltimi & vtilis. Alimentum autem qui putat Ariſtotelem ex alio aliquo corpore, quàm quatuor elemento-

Cœleſtis calor, qui hic eſt, elementalis eſt.

Corpus ſeminis et ſpiritus ex elementis eſt compoſitū.

rum

rum fabricare,non delirus tantùm, verùm etiam pror-
ſus amens eſt & fatuus. Eodem quoque motu moueri 2
cum ait,quo corpus augetur,quid aliud dicit, quàm ex
eadem materia conflatum eſſe? Sic cum differre ſcribit 3
pro animarum nobilitate & dignitate,miſtum eſſe cor
pus indicat. Quid quod peracto ſeminis motu in hali- 4
tum ſolui aſſeuerat? Huc pertinet,quòd naturam ei tri- 5
buit humidam & aquoſam, his verbis: τοῦτο σπέρμα τῆς
γονῆς διαλύεται καὶ πνευματοῦται, φύσιν ἔχον ὑγρὰν καὶ ὑδα-
τώδη. Et quid poteſt dici apertius eo,quod in vltimo ca 6
pite libri tertij huius operis dicitur. Cauſſam reddi-
turus ibi, cur in mari tam varia generentur, reſpon-
det,quia contineat omnia ad generationem neceſſa-
ria,calorem,humorem,aerem,& terram. Mox ſimilem
eſſe ait vim alimenti & excrementi. Poſtea in terra & a-
qua plantas & animalia gigni aſſerit,quia in terra aqua,
in aqua ſpiritus,in ſpiritu calor vitalis inſit. Tandem de
principio materiali & efficiente quærens vnde veniãt,
& quid ſint,ita fermè reſpondet. Calor in animalibus
ex ingeſto nutrimento ſecernit & concoquit excre-
mentum,principium τοῦ κυήματος. (Eſt autem κύημα κύημα quid
quod vtrumque habet,fœminę mariſque principium,
ſiue materiam & efficiens.) Nutrimentum porrò eſt a-
lijs aqua & terra, alijs ex his compoſitum. Ex his ergo
generantur ſemen & principium τοῦ κυήματος. Si de ſpõ
te natis percuncteris vnde fiant,reſpondet,terram ma-
teriæ, caliditatem aeris efficientis rationem habere:
quæ ex aqua & terra ſecernat & coquat materiam ge-
nerationi aptam,atque κύημα efficiat. Summa eſt, calo-
rem,qui in animalibus ineſt, (aut in ſponte natis, aeris
caliditatem) ex aqua & terra materiam conſtituere ſe-
minalem. Ex quibus omnibus manifeſtiſſimè videmus,
nunquam Ariſtotelem putauiſſe vel calorem ſeminis,
vel ſpiritum,in quo calor genitalis ineſt,ex alio corpo-

re quàm elementorum natum generatumque esse quantumuis vim generatricem aliunde communicatam præclarè viderit. FVRN. Habeo aliquid quod obijciam. Primùm quidem quæ de partibus corporis Aristoteles videtur dixisse, de semine tu dicta interpretaris. Deinde non videtur affirmaturus fuisse, animæ species diuinius participare corpus elementis, si ex his compositum credidisset. ERAST. Ad prius respondet Aristoteles in secundo libro, capite tertio, post verba suprà citata, perinde esse siue de partibus siue de semine interroges, an sit animatum. πότερον δ' ἔχει τὸ σπέρμα ψυχὴν, ἢ οὐ, ὁ αὐτὸς λόγος καὶ περὶ τῶν μορίων. Si eadem est quæstio de anima, eadem quoque est de corpore illo animæ, quòd habere socium affirmat quamlibet animam. Ad alterum non minus expedita & facilis est responsio. Etenim mista perfecta omnia præstabiliora, nobiliora, diuiniora sunt elementis. Sunt enim veluti fines quidam. Elementa certè propter mista facta & creata sunt. Dicitur corpus aliquod diuinius alijs propter diuiniorem formam: nec est necessarium, vt ob id materiam habeat à reliquorum materia aliam. Etenim ex discrepante proportione eiusdem generis miscibilium, & caussarum efficientium varietate diuersissima, & nobilitate & ignobilitate longissimè differentia coalescere possunt: quemadmodum & oculis quotidie conspicimus, & manibus subinde palpando perspicimus. FVRN. Videtur autem consequi, vt virtus elementis nobilior, quæque ex elementis non sit nata, corpus etiam possidere debeat, quòd ab elementis originem non traxerit. ER. Erras toto cœlo. Vt enim iam omittam, quod præclarissimis Philosophis visum est de formarum origine, vnum illud tuam sententiam egregiè confutat, quòd anima rationalis, cuius origo planè diuina est, quatenus

Corpora diuiniora quæ dicantur.

Vtrum forma nobilior elementalibus formis in subiecto ex elementis concreto inhærere posit.

nus non instar aliarum ex materiæ potentia educitur, corpus informat ex terræ puluere seu luto conformatum, id est, ex elementis concinnatum: Adde quòd Philosophi eruditiores, quicunque formas substantiarum effectrices aliud esse cognouerunt à temperamento, tametsi incunctanter affirmarunt, plantarum & brutorum animas, quas ex materiæ potentia educi nequaquam dubitarunt, diuiniores esse temperamento, qualitatibus, viribus, & proprietatibus omnibus Elementorum, corpora tamen ex elementis mista constanter & verè defenderunt. Non igitur sequitur, corpus illud non esse ex elementis compositum, quod in se naturam habet Elementorum proprietatibus diuiniorem. Hinc est, quòd Aristoteles non dicit spiritum seminis cœlestem esse, quem in corporibus animalium, ex nutrimento procreari certè credidit ac docuit, sed naturam in eo inhærentem, nempe calorem in eo insitum ἀνάλογον statuit calori cœlesti. FVRNIVS. Verba Aristotelis non videntur minus de corpore, quàm de calore clara esse. Vocat enim corpus ἕτερον καὶ θειότερον Elementis. ERAST. Iam dixi eum corpus ita nominare propter qualitatem in eo inhærentem. Manifestè id perspicitur, & ex medio, quo propositionem suam probat, & ex conclusione. Etenim solam caliditatem, quatenus fœcunditatis est caussa, ab igne prouenire negat. Medium autem hoc est. Quodlibet semē habet in se calorem fœcunditatis authorem, nempe spiritum, & in eo naturam cœlesti caliditati ἀνάλογον. (Hæc enim duo comprehendit vocula Calor). Sensum igitur argumenti hunc esse oportet. Quòd semen in se habet caliditate tali præditum, qualis siderum calor est, corpus participat elementis nobilius. Animæ tale semen generant.

Cur semen nobilius dicatur esse elementis.

Nobilius igitur corpus participant elementis. Elementorum namq; calor, vt ignis, non generat, sed perdit & corrumpit. Puto neminem esse, qui nō videat corporis huius nobilitatem ex caliditate fœcūda potius ęstimari, quàm ex materia. Illud enim corpus nobilissimū putatur, quod nobilissimam formam habet. Perfectior autem est forma quælibet, quo plures & perfectiores obtinuit facultates. Semen ergo corpus est longè nobilius corpore elementorum. Horum enim forma facultatibus prædita est nec multis nec admirabilibus. At seminis forma vires habet varias multiplices & planè admirandas. FVR. Quia hæc res vel per se obscura est, vel mihi tantùm videtur intricata & difficilis esse, oro te, vt alium præterea nodum mihi soluas. Ignem dicis nihil generare, sed perdere & corrumpere: idque ex Aristotele affirmas. Mox ex eodem probare conaris, eandem esse caloris elementorum & animalium naturam, adeóque hunc illius esse sobolem quandam, quoad scilicet calor est (quod certè veritati rebusque valdè videtur consentaneum. Etenim negari non potest, quin calor insitus animalium ab elementorum calore confirmetur, instauretur, augeatur. Fit ergo vnus ex vtroque. Quare originem quoque habent eandem. Si enim genere differrent, nunquam possent vnum fieri.) At hoc posito, falsum dixit Aristoteles, cùm ignem nihil generare asseruit. Quomodo igitur ostendes Aristotelem non contradicere sibi? Quòd si ex ipsis apparentibus pronunciandum sit, ignem non minus generare fatebimur, quàm calorem cœlestem. Ideo namque hic magis videtur generare, quia latius patet, atq; virib. æquis terrena attigit, dum supernè deorsum defluit, vis autē ignis tam procul in omnes partes æquabiliter spargi extendique non potest. Certè in vaporarijs siue hypocaustis nostris non tantùm conseruantur hyeme quantumuis

Ignis generat.

tumuis frigida omnis generis plantæ, vt & germinent, & folia, flores, fructusque procreent (illustre huius rei exemplum & documentum habes in Illustriss. Principis Electoris horto: vt alia interim taceam.) verùm etiam animalia generantur complura, quæ extra ipsa in aere frigido ac libero tunc vel generari vel conseruari impossibile sit. Quid quòd in ipso igne nostro Pyraustas gigni in Cyprijs fornacibus refert Aristoteles lib. 5. de Histor. animal. cap. 19. Quare non rectè ab eo dictum est, nullum ab igne animal generari. Nec effugies, si alibi respondeas, eũ dubitare an animalia in igne gignantur: quod in libro 3. capite 11. de Animal. generat. facit. Quoniam de Elemento ignis, quod sub Luna est, loquitur: non de hoc igne nostrate agit, in quo Pyraustas viuere scribit. Quòd si de eodem loqui contendas, contradictoria eũ scribere confiteri simul cogeris. ER. Non hoc mihi propositum est ostendere, Aristotelem nullibi aberrauisse. Hoc solùm declarare uolui, eum quintum Elementum Paracelsicorum ignorauisse. Quod quia factum est, non multum laboro, quid obijcias. Attamen facilè Aristotelem hoc loco defendemus. Quippe cum ignem animalia generare negat, de igne loquitur feruido, simplici, puro, & solo. Sic enim ipse interpretatur se ipsum. Calor, inquit, solus non efficit pedem vel manum, quemadmodum solus ignis non efficit securim aut serram. Et quid potest dici clarius, quàm quod scribit sic vti animam calore, quomodo artes vtuntur igne? Hoc solum discrimen ponit, quòd artificium ignis instrumentum duntaxat est operis, pars autem nulla sit: cùm naturæ instrumentum pariter & materia sit calor seu ignis natiuus. Ergo non generat ignis absque virtute formatrice siue anima vllum animal. At huius instrumentum factus generat ac fingit quodlibet. FVR. Vbi virtus illa forma-

Pyraustæ in igne generantur.

Aristoteles à contradictione vindicatur.

Virtus formatrix vbi sit in natis ex putredine.

trix est, cum ex putredine animalia consinguntur. ER. In materiæ putrescentis illa parte, quæ pro animalis generatione collecta est. In hac, inquam, iussus ille Dei inest, atque id agit, quod agere debet. Instrumento autem vtitur, tum insito in ea calore, tum solis aut ignis eundem illum roborante FVRN. Satisfactum mihi est in hac parte. ERAST. Vehementer velim ad extremum ex te intelligere, quidnam commodi & vtilitatis accessurum putes Paracelsicis, si quammaximè credidisse probaretur Aristotelem, corpus seminis siue ψυχικὸν πνεῦμα in eo contentum non esse corpus ex elementis concretum? FVR. Mumiam & Balsamum seu medicamentum suum omnibus morbis exitium adferens facilius probarent, causæque suæ authoritatem fidemque maiorem compararent. ERAS. Plurimum falleris. Nam Aristoteles corpus hoc non in alijs quàm animalium seminibus & excremẽtis quibusdam inueniri putauit, Deinde nec in viuente & perfecto, nec in mortuo animali reperiri cẽsuit. Quoniam nihil magis vrget, quàm partem animalis nullam esse: & animali iam perfecto in spiritum solui & expirare. In viuentibus igitur nullum est Balsamum, nulla essentia quinta. Quod si etiam in viuentibus inesse daremus, frustra tamen inesset pro isto generali remedio. Non enim posset in corpore animæ vitæq; experte fingi: sed necessariò cũ vita seu anima exhalaret. Paracelsus autem Balsamum & quintam essentiam suam in omnibus inesse ait, etiam vino, lapidibus, succis, plantarum corporibus mortuis ac arefactis: imo ex viuentibus vita sensus nullam elici posse contendit. FVRN. Sic omninò res habet, vt dicis. At nescio adhuc tamen, quid essentiam quintam vocent Paracelsici. ERAST. Somnium est hominum ociosorum & fallere alios cupientium,

Aristot. testimonio non iuuantur Paracelsici.

pientium, quomodo se deceptos senserunt ac doluerunt. Quamobrem solicitus esse non debes, si, quidnam ita appellarint, nescias. Paracelsus elementum vocat prædestinatum, hoc est, Elementum in quolibet misto dominans, & præcipuam misti virtutem retinens. In Nymphæa est aqua, non simpliciter, sed tali quadam virtute ac forma delibuta. Ratio eadem est aliorum. Hanc quintam essentiam, qui compositam esse negat, is aut verè simplex est in his rebus, aut improbè simplicitatem simulat. Nihil enim est aliud, quàm vel totum compositum, vel pars eius aliqua à calore diligenter elaborata & extenuata cum partium quarundam secretione. In hac separatione & extenuatione, si non seruetur modus, corrumpitur mistum, & generatur ex eius materia aliud: quale videlicet ab agēte tali generari potuit. Hinc ausus est quidam scribere, vinum quoque circulatione effici posse venenum nocentissimum. Similis est rerum aliarum aliâs saluberrimarum ratio: quod de melle affirmauisse Paracelsus fertur, tertia aut quarta distillatione admodum exitiosum reddi. FVR. Intelligo ex ista declaratione, non simpliciter verum esse, quod quidam scribit, quintam essentiā illud in re qualibet nominari, quod facilè ardeat. Quanquam probabile sit facilè incendi quod à calore summè est extenuatum, & quodammodo aerium seu etiam igneum redditum. ERA. Non sic definit Paracelsus. Etenim in tertio Archid. ait esse materiam corpoream summè attenuatam, & ab Elementis ac partibus impuris corruptioniq́ue obnoxijs secretam, in qua totius compositi potestates comprehensę sint. Appellat autem nominibus alijs pluribus, Naturam, Virtutem, Potestatem, Arcanum, Medicinam, Tincturam, Colorem, Vitā, Propriam potētiam, spiritum vitæ Spiritui similem. Negat interim apertè quintā Naturā esse à quatuor Elemen-

Quinta essentia quid

Quinta essentia nō est id, quod in re qualibet facilè inflāmatur.

tis distinctam, vel corpus temperatum. Quippe omnes quintas essentias certi alicuius elementi naturam referre. Auri igneam, argenti aqueam, plumbi terream, hydrargyri aeriam esse. Nec eadem est, inquit, natura & facultas vel ignearum, vel aeriarum, vel aliarum, sed habent suas quæque vires proprias, prout ad hanc vel illam actionem destinatæ sunt singulæ. Ex his patet, quid vocet Elementum prædestinatum, nempe rei cuiusque propriam compositionem sua insignitam virtute ac forma, in qua certum elemẽtum pręponderet alijs. Patet illud etiam, non esse corpus simplex, sed cõpositum vehementer attenuatum & purificatum. Si essent simplicia corpora, non haberent tam differẽtes vires. Quocirca nugæ sunt ac fabulæ, quæ de quinto elemento quodam, quòd æquè insit in terra, igne, aere, aqua, garriunt noui Sophistæ. Constat insuper quintam Rhabarbari (exempli causa) essentiam tantisper retinere propriam Rhabarbari cõpositionem ac mistionem, quantisper proprias eiusdem possidet facultates. Impossibile namq; est, vt alicuius rei propria virtus extra illius rei naturam & compositionem inueniatur, cuius est propria. Si Magnetis proprium est ferrũ ad se trahere, non poterit hæc vis in re alia, quàm in Magnete cogitari. Non enim propria esset Magnetis, si etiam in Succino aut re alia reperiretur. Itaque si per nimiam attenuationem ac separationem partium vires compositi amitti possunt, non erit, quod ita præparatum est, quinta ęssentia: sed aliud quiddam ex corrupto composito natum. Sic potest vinum, vt dictum est, adeo per circulationem subtiliari, vt iam non virtutem salubrem vini retineat, sed veneni exitiosi naturam adipiscatur. FVR. Præclarè nunc video, Quintam illam essentiam nihil esse aliud, quàm compositũ attenuatũ compositi vires retinens. Quoniã si has

Elementũ prædestinatum Paracelsi quid.

Quinta essentia Rhabarbari.

Nota.

has pdiderit,nō rectè vocabitur Quinta illius rei essentia,ex qua corrupta natum est:sed eiusdem cadauer rectiùs nominabitur. Consonant cum hac sententia, quæ in Astronomia magna scribit, his verbis: Quod ex quatuor extractum est, quintum est:in quo nihilominus quatuor insunt. Cæterùm quia hæc ad alium locum spectare propius perspicio,nihil amplius nunc peto.Sed nec superesse iam aliquid præterea intelligo, quod de elementis quæri debeat.Aristotelem Quintæ Paracelsicorū essentiæ, Arcano, Balsamo (quod illi ab eo eminus conspectum fuisse autumant) nullo pacto patrocinari clarè percepi Ad Hippocratem verò quid respondes? Multa ex ipso pro se adducunt testimonia: quorum aliqua probabilitatis speciem habent,aliqua nimis detorta videntur. ER In tertia collatione Hippocratica examinabimus:quo tempore ostendam,improbius vix aliud esse in hoc genere tentatum, quàm quòd portentosarum imaginationum conantur facere patronum Hippocratem summum virum. Quid is de elementis senserit, partim ex scriptis eius,partim ex Platone, partim ex Galeno constat. Vnum à nobis retrò testimonium citatum arrogantem impudentiā Paracelsicorum satis retundit. FVR. Quæ ex lib. de Veteri seu prisca Medicina citant, non nescio ad sequentem disceptationem pertinere. At quæ ex primo lib. de dieta proferunt, non incommodè, puto,in præsentia excutiantur. Videtur namque Hippocrates eo in loco generatim uniuerseque de rerum omnium constitutione loqui. ER. Vno verbo respondere possum, Hippocratem in hoc libro nec sibi nec veritati consentanea dicere. Addo deinde hoc etiam,quamuis perperam de rerum ortu & interitu ibi disserat, nihil tamen eum dicere, quo Parcelsi phantasia subleuetur ac iuuetur.FVR.Vtrūq; mihi velim ostēdi. ER Pu-

Hippocr. à Paracelsicis in patrocinium uocatur.

Hippocrates vbi pugnet cum Plat. Arist. & veritate

gnare sententiam eius cum Platonis & Aristotelis, atq; aliorum omnium Philosophorũ, qui hos secuti sunt, opinionibus, nõ opus habet ostensione. Etenim nullus extitit adeo iners & rudis, qui res omnes ex igne & aqua solis componeret: qui nihil generari & corrumpi assereret, seu qui generationem à mistione, corruptionem à secretione discrepare negaret: qui animã nihil aliud esse quàm ignem & aquam putaret: qui eandem extrinsecùs ingredi in corpora animalium, & tũ à corporibus animas, tum ab animabus corpora nutriri opinaretur: qui animas misceri crederet. Quòd porrò secum pugnet, æquè clarum est. Quippe alibi constanter res omnes ex elementis quatuor conficit, generationẽq; à separatione distinguit. De animæ substãtia quid senserit aliâs, non est necesse hîc explicare verbosius. Sufficit monuisse, ipsum alibi quoq; statuere, animam nihil esse aliud, quàm calidũ. in 6. Epidem: ἀνθρώπου ψυχὴ φύεται μέχρι θανάτου. Tale est, quod hîc scribit: ἐσέρπει δ' ἐς ἄνθρωπον (ψυχὴ) μέρεα μερέων, ὅλα ὅλων, ἔχοντα σύγκρησιν πυρὸς καὶ ὕδατος. Et mox. ἐσέρπει δ' ἐς ἄνθρωπον ψυχὴ πυρὸς καὶ ὕδατος σύγκρησιν ἔχουσα, μοῖραν σώματος ἀνθρώπου. Hæc, inquam, nefanda deliramenta de anima tũ hîc tũ alibi affirmata non admittimus vllo pacto. Primùm quidem quia falsa sunt & absurda, vt gentiles homines pleriq; perspexerunt. Deinde quia non modo cum clarissimorum Philosophorum doctrina, sed etiam cum sensibus nostris pugnant. Postremò quia pietati & sacrosanctis literis ex diametro opposita sunt. Similis est ratio generationis & corruptionis: in quarum explicatione ab omni tum sensu tum ratione discedit. (Quanquam non nescio, interpretatione commoda excusari in hac parte posse.) Illud ad rẽ magis facit, quòd in hoc ipso libro fœdè sibijpsi contradicit. Etenim his verbis, διὰ τοῦτο ἀνθρώπου ψυχὴ ἐν ἀνθρώπῳ αὐξάνεται: ἐν ἄλλῳ δὲ οὐδενὶ.

Hippocrates vbi secũ pugnet.

Cur Hippocrat. quædã de anima sententiæ non admittendæ.

Contradictio Hippocratis.

οὐδενί. καὶ τῶν ἄλλων ζώων τῶν μεγάλων ὡσαύτως· contrarium deinde asserit sic scribēs. διότι ἡ μὲν ψυχὴ, τὸ αὐτὸ πᾶσι τοῖσι ἐμψύχοισι, τὸ δὲ σῶμα διαφέρει ἑκάστου. ψυχὴ μὲν οὖν αἰεὶ ὁμοίη καὶ ἐν μείζονι καὶ ἐν ἐλάσσονι. οὐ γὰρ ἀλλοιοῦται οὔτε διὰ φύσιν οὔτε δι' ἀνάγκην Si in solo homine maioribusq; animantibus anima augetur, falsum est animam vnum idemque aliquid esse in omnibus viuentibus seu anima præditis. Si idem est in omnibus animatis anima, quomodo in homine augebitur, & non etiam in mure, rana, pisce? Deinde si nihil est aliud, quàm σύστασις ex igne & aqua commistis, quomodo non æquè sit subiecta incremento & decremento in pusillis & grandibus animalibus? An corpus est in grandioribus, in minutioribus naturam suam exuit? Non arbitror. Quòd si etiam constitutæ sunt res cunctæ ex igne & aqua, & hæc continuè alterantur κατὰ φύσιν καὶ ὑπ' ἀνάγκης, qua ratione similis sui semper manebit anima, nec instar corporum alterabitur, cum & ipsa corpus sit ex eisdem elemētis coagmentata, ex quibus illa coaluerunt? Absurditatem omnem superat, quòd hominis animā affirmat in omnia animalia irrepere, quæcunq; respirant: quod in senibus in auctionem corporis, at in iunioribus in eiusdē diminutionem absumi asseuerat. Verba eius, ne putes me aliquid fingere, sunt hæc. ἡ δὲ ψυχὴ τοῦ ἀνθρώπου ἐσέρπει ἐς ἅπαν ζῶον, ὅτιπερ ἀναπνέει. καὶ δὴ καὶ ἐς ἄνθρωπον παντὸς καὶ νεώτερον καὶ πρεσβύτερον. αὔξεται δὲ οὐκ ἐν πᾶσιν ὁμοίως· ἀλλ' ἐν μὲν τοῖσι νέοισι τῶν σωμάτων, ἅτε ταχείης ἐούσης τῆς περιφορῆς καὶ τοῦ σώματος ὄντος αὐξήμου, ἐκπυρουμένα καὶ λεπτυνόμενα καταναλίσκεται ἐς τὴν αὔξησιν τοῦ σώματος. ἐν δὲ τοῖσι πρεσβυτέροισιν, ἅτε βραδείης ἐούσης τῆς κινήσιος καὶ δὴ ψυχροῦ τοῦ σώματος, καταναλίσκεται εἰς τὴν μείωσιν τοῦ ἀνθρώπου. Ex recitatis abundè liquet, ab omni veritate alienissima esse, quæ in hoc libro tradidit Hippocrates. Patet illud etiam, cum tur-

Sententia Hippocr. omnem superans absurditatē.

pissimè sibijpsi non vno tantùm modo contradicere. Manifestum non minus est, cum impiam & nefandam de generatione tum aliarum rerum omnium tum animæ nostræ opinionem tradere: qualem scilicet nulli vnquã eruditi philosophi post Platonẽ & Aristotelẽ de sensarunt. Videtur ad Anaxagoræ figmenta inclinare, imó prolabi: quantumuis aliter paulò sese explicet. Iam
1. restat, vt Paracelsi fabulis non fauisse declarem. Perspi

Hippocrates non fauit Paracelsi fabulis.

ci hoc primùm ex eo poterit, quòd non ex seminibus & arcanis quibusdam incorporeis viribus res cõstituit, sed ex igne & aqua inter se mistis & alteratis architectatur corpora pariter & animas. Deinde quòd actiones
2. omnes nulli alij potentiæ quàm ignis virtuti adscribit, seu caliditati, frigiditati, humiditati, siccitati. Bardus est, atq; asino quouis rudior, qui hoc nõ videt, Hippocratem in præsente libro vel solum vel præcipuè docere, vrgere, inculcare. Victus rationẽ præscribere, inquit, homini potest nemo, εἰ μὴ τὴν ἐξ ἀρχῆς σύστασιν ἐπιγνώσεται. Hanc deinde exponẽs, ait esse compositionẽ ex igne & aqua. Et igni quidem adesse caliditatẽ & siccitatẽ, aquæ autem frigiditatẽ & humiditatem: quibus inter se variata proportione agentib. & patientib. omnigenas rerũ species nasci docet. Si balsamum quoddã prę alijs foueri, conseruari, augeri oportere cẽsuisset, valdè mutilã tradidisset eam rẽ, cuius plenã declarationẽ promittit. Mox docet situs regionũ, anni tempora, ventos, constitutiones præsentes, siquidẽ modum excedant in caliditate, frigiditate, &c. morbos gignere: & proinde in offerendo cibo animaduertendũ, vt superãti qualitati contrariã opponamus, nulla vllius balsami facta mẽtio
3. ne. Præterea cũ ignẽ & aquã inter se sic mista, vt ambo vincant & vincantur, neutrum verò prorsus pereat, sufficere omnibus rebus tum generandis tum nutriendis asserit, nullo semine latente opus esse præter hęc simul

mul etiam affirmat, ταῦτα δὲ ξυναμφότερα, inquit, αὐτάρκεα ἐστὶ, τοῖσί τε ἄλλοισι πᾶσι, καὶ ἀλλήλοισιν. Mox vires vtriusque recensens ait. τὸ μὲν γὰρ πῦρ δύναται πάντα διὰ παντὸς κινῆσαι. τὸ δὲ ὕδωρ πάντα διὰ παντὸς θρέψαι. Si sufficiunt hæc sibi & alijs, quod paulo pòst repetit, quomodo putauit alia insuper latente vi opus esse? Ignem effectorem facit, aquam materiam: sic tamen vt ambo tum agant tum patiantur. Si alterum, inquit, alterum prorsus vinceret, nec mutua temperatione conspirarent, nihil harum rerum existeret, quas nunc extare cernimus: at sic habentibus erunt & eadem, & neutra, & nec simul deficient. Dum enim mutuò sibi vires suas communicant, atque variè inter se agendo & patiendo temperantur, πολλὰς καὶ παντοδαπὰς ἰδέας ἀποκρίνονται ἀπ' ἀλλήλων καὶ σπερμάτων καὶ ζώων. Vides ne eum ex mistione horum generare tum animalia tum semina rerum? Non ergo putauit in abyssis nescio quibus seu in orco vincta & sepulta iacere semina: quæ digestis temporibus soluta & sub Elementorum corticibus vel siliquis occultata cum certo corpore balsamum quoddam solis Paracelsicis notum & parabile creent. Necessarium est studio nouitatis excæcatum esse, quisquis hic iudicat aliam rerum generationem ab Hippocrate introduci, quàm per Elementorum mistionem à Peripateticis traditam. Differt in eo maximè & ferè solo, quod mistionem non facit ex omnibus quatuor Elementis, sed duobus tantùm. Veruntamen excusari potest, si dicamus eum nominatim mentionem Ignis tantùm & aquæ fecisse, quia in mistione principes partes obtinēt ex omnium sententia: non tamen ob id alia excludere noluisse. Sanè ignis est præcipuè figurare, formare, fingere: aquæ autem figurari, formari, fingi. Vt autem effigiem figuramue retineat, terræ admistione opus fuit. Notandū porrò est, quod dicit ignē πάντα

Quo differat Hippocrat. à Peripateticis.

Ignis munus.

Aquæ munus.

Terræ munus.

διὰ παντὸς mouere poſſe. Hoc enim differunt aliæ quālitates à caliditate & frigiditate, & cætera. quod non totas res per totas alterant ac mouent: cuius rei cauſa ſolas has miſtionem veram efficere poſſe mox oſtendemus. Cæterùm quando rem nullam perire dixit aut fieri, ſed omnia eſſe prius, ex ſententia priſcorum loquitur, materiæ omnem eſſentiam adſcribentium: contra quos tam ſæpè diſputat Ariſtoteles, & quidem conſentaneè Sacris literis. FVRN. Memini apud Eccleſiaſten me ſimilem legere ſententiam, nihil videlicet nouum eſſe aut fieri ſub Sole. Generatio vna, inquit, labitur, ſuccedit altera, terra autem in ſeculum ſtat. Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum regreditur. Ventus quoque circumeundo pergit, & ad circuitus ſuos reuertitur. Flumina pergunt ad mare, & reuertuntur illò vnde venerant, vt rurſum redeant. Item omnia pergunt ad locum vnum: omnia ſunt ex puluere & reuertuntur in eundem. Sic ferè Hippocrates: ἕκαστον πρὸς πάντα, καὶ πάντα πρὸς ἕκαστον τ' ὠυτό. ERA.

Quomodo nihil aut fiat aut corrūpatur iuxta Hippocratem.

Sententia Eccleſiaſtis.

Diſpares ſunt Solomonis & Hippocratis ſententiæ. Ille namque vel non loquitur de rerum corporatarum generationibus, ſed de hominum actionibus & affectibus: vel eadem dicit ſpecie eſſe, fuiſſe, futura eſſe, non numero. Ideo generationem aliam præterijſſe, aliam ſucceſſuram eſſe ait. Non ergo hanc & illam putauit eandem eſſe. Terram autem, hoc eſt, materiam eandem permanere affirmat itidem: quomodo etiam ex puluere omnia facta, & in eundem omnia iterum reſoluenda dicit. Ergo eadem ſunt ac fiunt, & non ſunt. Eadem ſpecie, non eadem numero. Sanè conuerſionem Solis heſternam cum hodierna vnam eſſe numero nequaquam putauit Salomon. Hippocrates autem non ad ſpeciem reſpexiſſe, verùm ad materiam oculos animumque cum Antiquis conuertiſſe videtur.

Differentia inter Solomonis & Hippocrat. ſententias.

Hæc

Hæc quia omnium vna eſt, ex omnium ſententia, non malè dixit huius ratione omnia vnum: & vnum omnia eſſe. Idem enim Solomon quoque aſſerit: ex puluere facta eſſe omnia, & in eundem reuerti omnia. Ergo vnum ſunt omnia, ſi materiam ſpectes, de qua Hippocrates locutus eſt. Omnia namque ex aqua & igne miſtis generantur: & in eadem demum reſoluuntur. Fit etiam noui nihil, ſi ſpecies rerum conſideres, atque de naturali generatione loquare, vt Solomon dixit. Quicquid enim factum olim fuit, nunc etiam fit: & quod nunc fit, olim quoque factum eſt. FVRN. At conſtat ſpecies quaſdam interijſſe, ac proinde non eſſe nunc, quæ fuerunt olim omnia. Quippe cinnamomum, quale nobis author ad Piſonem deſcribit, (vt alios mittam) nullus hodie vidit, tametſi regiones, in quibus naſci ſolebat, notiores hodie ſint Luſitanis atque alijs, quàm Auguſti ætate Romanis fuerit Germania: Balſamum verò vbi nunc reperitur? Laſerpitiū quoq; interijſſe conſtanter affirmant, qui harum rerū cognoſcendarum ſtudioſi noſcuntur. Quomodo ergo ſcripſit Hippocrates, καὶ οὔτε ζῶον ἀποθανεῖν οἷόν τε μὴ μετὰ πάντων? Aut ſi de ſolis animalibus loqui dicas Hippocratem, qua ratione diſcipuli Paracelſi rectè affirmauerint ſpeciem nullam interire, niſi vniuerſa ſimul pereant? ER. Hippocrates ſuæ hypotheſi conſentanea dixit. Non enim videtur animal perire aliquod poſſe, manente materia & qualitatibus eiuſdem. Sicut enim generata prius ſunt, ita eiſdem manētibus cauſis porrò quoq; generabūtur. Non ergo poteſt animalis materia perire, niſi pariter aliarū rerū omniū materia pereat: cum ſit eadē omniū. Quibus ſe argumētis alteri defendāt, ipſi viderint. Nos enim ſecretas illas ſpecies in elementorū abyſſo ſiue in orco ſine corpore latētes nō agnoſcim'. Eaſdem neq; Hippocratem in præſente libro agnoſcere

Vtrum ſpecies aliqua poßit interire.

Hippoc. nō probauit ſemina in elemētis latentia.

probauimus. (Quamuis nec ſibi nec alijs conſonantia
1 in eo tradere videatur.) Primùm quidem, quia ex igne
& aqua non corpora tantùm, ſed etiam animas noſtras
2 effingat & componat. Deinde quòd vim & facultatem
3 agendi omnem qualitatibus primis aſſignet. Præterea
quòd prædicta duo elementa ſufficere ſibi & alijs rebus
cunctis aſſeueret: hac inductus ratione, quod nimirum
in ſe habeant omnes vires quæ generandis alendisque
rebus ſufficiant.
4 Item quòd omnes ſpecies ex horum miſtione naſci ſeu ab eiſdem miſtis ſecerni autumet: ac manifeſtè rerum generationem dicat eſſe miſtionem, corruptionem autem miſti diſſolutionem.
5 His iam illud addamus, quod ideo diſſimilia ab his generari opinatur, quia nunquam quieſcunt, ſed continuè alterantur. Non ob id varias res gigni cenſet, quia ſemina ex orco prodeant in lucem, ſed quia nunquam
6 deſinant elementa mutari. Denique quòd opinionem illorum reprehendit, qui ex Orco generata prodire in lucem arbitrabantur. Per orcum nihil aliud potuit intelligere, quàm abyſſum ſeu inanitatem & vacuum Paracelſicorum. Etenim cum animal nullum mori poſſe ait, in nihilum ſeu in incorporeum verti non poſſe ſignificat. Qui putat Hippocratem dubitauiſſe, vtrum animalia mortem patiantur hanc, quæ eſt animæ à corpore ſeclusio, mente mortuus eſt, vtut aliâs viuat.

Hippocrat. non dubitauit an animalia moriantur.

Quid enim arte ſua tentauit aliud, quàm à morbis & morte præſeruare ac liberare mortales? De alia ergo morte loquitur, nempe de reductione corporis ad non corpus. Docent apertè, quæ mox addit verba, οὔτε τὸ μὴ ὂν γενέσθαι οἷόν τε μὴ ὄντος ὅθεν παραγενήσεται. Hæc, inquam, ratio eius inſulſa eſt & fatua, niſi per has voces, μὴ ὄντος ὅθεν παραγενήσεται intellexerit nihil, ſiue nullam materiam. Quoniam quod ex ſemine generatur habet materiam vnde generetur. Hæc

vbi

vbi deſit, reuera nihil eſt vnde generetur res corporea. In ſumma, quæ ſequuntur omnia abſolutè probant, cum de materia loqui ex qua res naturales fiunt, & in quam poſtremò iterum ſoluuntur. Ex orco igitur prodire, eſt ex non materia fieri: quod impoſſibile rectè iudicat. Quoniam ex non materia corpus materiatum facere præter creatorem vis nulla poteſt. Tantùm igitur abeſt, vt ex orco res protrahat, vt ex eo naſci aliquid poſſe impoſſibile ducat. FVRN. Cùm fatetur nihil noui in generatione fieri, vtique intelligit ſemina antea latuiſſe in Elementis. ERAST. Si per ſemina habilitatem materiæ intelligerent, tolerari poſſent. At cùm ſubſtantiam incorpoream ab elementorum natura longè diuerſam, intraque ea latentem ſic nominant, explodendi ſunt. Iam enim oſtenſum eſt, Hippocratem res omnes ex elementis generare per variam alterationem & miſtionem, non per latẽtia in ipſis ſemina, qualia ipſi ſomniant. Elementa, inquit, ſufficiunt generandis rebus omnibus ſuis proprijs viribus, & propter mutuam actionem & paſſionem diuerſas rerum ſpecies producunt. Latent igitur ſemina rerum in elementis: quatenus habilia ſunt, vt certis menſuris & proportionibus miſta alterataque res quaſuis gignant. Noui autem ideo nihil dicit fieri, quia corpus non fit nouum, ſed ex vna materia, quæ neque oritur neque interit, omnia fiunt, & in eandem rurſus reſoluuntur. Noua fierent, ſi ex non corporibus corpora fierent, quod Paracelſici inſcitiſſimè aſſerunt. Sic accipiendum eſt quod dicit: Generari & corrumpi idem ſunt: Commiſceri & ſecerni idem ſunt: Generari & cõmiſceri idem ſunt: Interire, diminui, ſeparari, idem ſunt. Quomodo eadem hæc ſunt, ſi contraria ſunt? Contraria eſſe neque ignorauit, neque non dixit. Mox enim addit, ὁ νόμος γὰρ τῇ φύσει περὶ τούτων ἐναντίος. Idem igitur

Ex orco prodire quid ſit apud Hippocratem.

Quomodo ſemina rerũ in elemẽtis lateãt iuxta Hippocratem.

Generationẽ et corruptionẽ idẽ eſſe quomodo dixerit Hippocr.

ſunt, quatenus circa vnum idemque verſantur: quod eſt materia rerum omnium mutabilium. Hoc ipſe hiſce verbis indicauit. ἕκαστον πρὸς πάντα, καὶ πάντα πρὸς ἕκαστον τ' ὠυτό. Quomodo ſingula ad omnia, & omnia ad ſingula idem poſſunt aliter eſſe, quàm quòd ex vno ſunt vniuerſa? Quippe differre res, vt neque viſu neque facultate ſimile aliquid inter ſe habeant, paulo antè dixerat. FVRN. Quid ſibi vult Hippocrates, cum generari dicit res per ſecretionem, ac γένεσιν & ἀπόκρισιν eadem facit? Sanè videtur ſeparari nihil poſſe, niſi quod actu iam exiſtit. Si ergo ex Elementis res ſecernuntur, prius vtique inſunt, tametſi fortaſſè id nos lateat. ER. Non eſſe vnicum huius nominis ſignificatum, nec eodem ſemper modo vſurpari nullus neſcit. Hippocrates hîc ponit pro generatione, propterea quòd, quæ per miſtionem Elementorum generantur, à totis Elementis ſeparantur: & velut partes quædam abſcinduntur à reliquo eorũ corpore. Arbitror, clariſſimè nunc te videre, quanta impudentia ſit illorum, qui ex hoc libro conantur imperitis perſuadere, Hippocratẽ à Paracelſo ſtare, & neſcio quę fictitia ſemina rerum omnium in Elemẽtis abſcondita agnouiſſe. Nunc tractationi de elemẽtis finẽ tandem imponemus. FVR. Non refragor. Iãdudum enim cupiebam de miſtione audire, quid ſentiendum mihi cenſeas. ER. Hîc quoque primùm exponam, ſed breuiter & conciſè, quæ de miſtione rectè tradiderunt veteres: deinde nouam nouorum Philoſophiæ veræ contemtorum miſtionem excutiemus. Sic enim magis apparebit, quamfœdè aberrent à veritate. Non eſt neceſſe, opinor, vt miſtionem eſſe probem in rebus naturalibus. Senſus enim noſtri locupletiſſimi ſunt teſtes. Et ne Paracelſicos quidem hactenus inſanire arbitror, vt hac de re ambigant: licet aliâs ignem calidum eſſe negaturi potius videantur, quàm

γένεσις & ἀπόκρισις idem ſunt Hippocrati, & quomodo.

De miſtiõe.

veris & vſitatis acquieſcere velint. At miſtionem eſſe,
vel ob id negare non poſſunt, quia ipſi quoque, alia
tamen ratione, introducunt. Nomen porrò miſtionis Miſtiōis nomen uariè uſurpatur.
non eodem modo ſemper & vbiq; ab authoribus vſur-
patum fuit. Etenim aliquando congeriem & aceruum
rerum commiſtarum, vt milij, tritici, aliorumq; talium 1
ſuperficies ſuas ſeruantium, ſignificat. Interdum com-
poſitionem duorum, vel trium, vel plurium corporum 2
ita inter ſe confuſorũ, vt, quãuis ſingulam naturam ſer-
uent, ac aliquando ſeparari iterum poſſint, vnum ta-
men ex omnibus confectum corpus denotat. Talis eſt
crama, ex vino & aqua compoſitum corpus: quod non
eſt vnum forma, ſed continuatione tantùm. Etſi.n.neq;
vinum neq; aqua terminis ſuis ſeparata ſunt, ſub forma
tamen ſua naturali vtrunq; ſic continetur, quomodo
in argento ſæpe aurum ineſt: ac per aquam nominatã
fortẽ ab eo ſecernit. Tale quoq; corpus eſt Melicratũ:
itemq; hydromel, aliaq; infinita per artem compoſita.
Tertiò ſumitur ꝓ corpore ex pluribus rebus cõpoſito, 3
vt ex omnibus vnum quiddam ſit factum à componẽ-
tium omnium natura diuerſum: formamq; poſſideat
à formis componentium prorſus differentem. Quę ſic
miſcentur, ea demum verè vocantur miſta. Quoniam
quæcunque miſcibilium formas, vt Elementorum, re-
tinent, imperfectè miſta putantur. Horum alia ex vno Differẽtiæ imperfectè miſtorum.
fermè Elemento conſtant, quod aliorum propemo-
dum qualitatibus ſolis affectum ſit, vt ſunt aqua mari-
na, aqua pluuia, cinis, ros, & huius farinæ alia plura.
Quædam ex pluribus quidem ſunt in vnũ corpus coa-
ctis conflata, ſed à frigore ſunt condẽſata & compacta:
quod diuerſas ſimul materias cogit, vt hyemali tempo
re experimur. Huius generis in aere quoque multa na-
ſcuntur, veluti nix, pruina, grando: & in ſubterra-
neis lapides metallici: aliaque talia plura. Perfectè

Perfectè mista quæ uocentur. autem mista, quæ sic propriè vocantur, illa sunt, quæ per mutuam actionem & passionem ad substantiam re diguntur mediam, formamque acquirunt à componentium formis omnino aliam: vt vnum omnia sint per se, non autem per accidens, vt crama. Horum alia ex Elementis statim conflantur, alia ex prius mistis coagmentantur. *Mistio quid* Mistio igitur propriè dicta est ἕνωσις, id est, vnitio miscibilium alteratorum. Alterari autem oportet ad mistionem coeuntia per totas substantias. Quippe impossibile est, vt ex pluribus inter se confusis vnum aliquid per se fiat ab omnibus distinctum, si non tota alterentur, quæ sic conueniunt. Cæterùm qualitates in tota vniuersitate hac rerum mutabilium nullæ reperiuntur, quæ admota sibi corpora tota alterare possint extra caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem. Quamobrem necessariò cogimur has qualitates tanquam principia mistionum statuere. Nullus adeo est imperitus & rusticus, qui non videat has qualitates præter modum auctas dissolutionis mistorum caussas esse. Quare generationis quoque authores necesse est vt fateamur, quoties modo conueniente coeunt ad certi misti generationem. FVR. Non nescio sic plerosque sentire, nec possum damnare rationes, quibus opinionem suam astruunt, attamen scrupum mihi nō leuem parit hæc opinio. *Qualitates non sunt actionū causæ principes.* Quoniam in Philosophia didici, qualitates seu accidentia non esse actionum causas principales. Etenim cum natura & essentia earum omnis pendeat à forma, omninò consequens est, vt non has, sed formas Elementorum dicamus mistionis causas esse. An non absurdum sit putare, qualitates generare substantiam? Sanè pronunciatum hoc à Physicis omnibus receptū est, res nullas suprà naturam suam agere, maiorémue alijs perfectionem donare, quàm ipsæ obtinuerint.

Sub-

Substantiam porrò quis neget nobiliorem esse accidente? Quare non principia fuerint mistionis, sed instrumenta solummodo. Sed nec vt instrumenta necessariò videntur requiri, cum sine eis formæ tam possint efficere mistionem, quàm possunt alia multa facere. E R. Ad priora facilis est responsio. Non enim sic dicimus esse principia, vt principes causas statuamus, sed vt instrumenta esse dicamus, sine quibus forma nulla miscere possit. Si recordaris eorum, quæ ex Aristotelis sententia suprà disputauimus, non est cur hîc aliquid amplius dicamus. Negat Aristoteles calorem & frigus per se sola carnem aut os generare: pedem aut manum figurare: sed densare, cogere, indurare, rarefacere, fundere, mollire, solum posse. At idem qualitates easdem, in primis autem calorem, sub imperio & rectione formæ omnes actiones naturales peragere incunctanter & verè affirmat. F V R. Quæ igitur est forma illa mistionum opifex? E R. In genere dico tibi esse mandatum Diuinum, quo in creatione præcepit elementis, vt inter se pro singularum rerum generatione concinnè conuenirent. Ad quam rem cœlorum cõuersiones non parũ faciũt, vt à Philosophis rectè fuit expositum: nisi quod his plura tribuerunt, quàm par sit. F V R. An non possunt igitur formæ mistionem efficere absque qualitatibus? E R. Non possunt. Etenim si formæ primò nullis interuenientibus qualitatibus agerent eo modo, quo in præsentia loquimur de actione & passione, primò quoq; paterentur. At quæcunq; per se primò patiuntur à contrario, per se quoq; primò corrumpuntur. Iam verò certum est ex omniũ rectè philosophantium sententia, formas per se primò nec generari nec corrumpi, sed composita solummodo tum nasci tum interire. Res propemodum in formis ita habet, vt in habitibus & dispositionibus: quas Aristoteles primò

Qualitates primæ sunt instrumentales causæ mistionis.

Mistionis opifex.

Formæ primò nec agunt nec patiuntur.

& per se neq; generari neq; corrumpi demonstrauit in 7. Phys. cap. 3. Non enim mouentur res secundum habitus, sed secundum qualitates sensibiles. FVR. Non admittent Aristotelis sententiam Paracelsici: vt quem ex alto despicere soleant, Præceptorem imitati, qui post se multis parasangis Aristotelem collocat. ER. Neque nos Aristoteli hanc authoritatẽ deferimus, vt, quę visa ipsi sunt, mox acceptemus & credamus: sed audacter ab eo dissentimus, quoties eum rationibus firmis non vti perspicimus. In loco autem citato sic probat, quod diximus, vt minimè verendum nobis sit, ne Paracelsici falsitatis eum coarguant. Ergo sicut figurarum & habituum non est alteratio, sed quibusdam mutatis siue alteratis existunt, ita fermè formarum quoq; non est generatio, sed quibusdam mutatis subitò, & in non tempore existunt. Compositum igitur id est, quod propriè tum generatur, tum corrumpitur, non autem forma, aut materia. Nullus, arbitror, sic desipit, quin corpora nostra pati fateatur à calido. Caliditas autem per se agit in frigiditatem. Proinde si primò pateretur forma, frigidam esse oporteret: quod ne Paracelsicos quidem affirmaturos mihi persuasi. Quamobrem concedendũ est, formas per se primò neq; pati neq; corrumpi, sed alio quopiam mutato non existere. Quòd si per se non patiuntur, neq; per se quoq; agunt, nulla intercurrente qualitate. À qualitatibus igitur formarũ instrumentis fiunt actiones, de quibus nunc agimus: sed à formis velut principalibus causis. Sic anima cibos coquit, nutritionẽ exercet, aliaq; opera naturalia peragit velut princeps causa: attamẽ omnia hæc intercedẽte calore suis officijs cõueniente perficit. Proinde nõ inficiamur naturam præcipuè mistionem efficere: at qualitatib. tota alterare potentibus eam vti constanter intrepideq; asserimus: quicquid hac de re sentiant Paracelsici. Plus enim

Quæ causa Mistionis præcipua.

nim credimus sensibus nostris, euidētibus rationibus, doctorumq; hominum omnium seculorum & locorū cōsensui, quàm rudissimo, inertissimo, & execrabili Mago diuersum absq; vlla ratione adferenti. In vera mistione diximus, mistum aliud fieri ab illis, ex quibus mistū est. Non potest autem hoc euenire, nisi tota alterentur. Equidem nec prorsus interire, quæ miscentur, oportet (esset enim generatio, non mistio.) nec nihil mutata permanere. Sic .n. non fieret mistio, sed vel confusio, vel compositio, vel coaceruatio, vel tale quippiam aliud. Hactenus igitur mutari oportet, vt ex eis aliud fiat, atq; ipsa potentia insint: & quidem sic insint, vt separabilia sint. Alteratio porrò talis à solis primis qualitatibus, quas effectrices vocant, expectari potest. Misceri ergo hoc pacto illa solum possunt, quæ prædita sunt his qualitatibus. At primò ac propriè eas obtinuerunt elementa. Primò igitur hęc sunt mistionis materia: mista secundo loco, quatenus videlicet participarunt iam dictas qualitates. At calida sunt, frigida, humida, sicca, quatenus ex elementis qualitates hasce primò obtinentibus composita sunt. Quare mistionis quoque materia sunt, quatenus ex elementis conflata sunt. Cæterùm quia difficile est, corpora crassiuscula se tota inter se agendo ac patiendo alterare, facilè diuisibilia esse conuenit, quę misceri citò debent. Promptius igitur parua magnis, & humida siccis, ac non lenta lentis misceri poterunt. Quæ diximus, apertè probant, mistionem esse. Docent eadem quid mistio sit, quę misceātur, quomodo, & à quibus fiat. Qui plura cupit, Aristotelem legat luculentè hac de rescribentem in cap. vlt. lib. 1 de Ortu & interitu. Summa est, propriè illa misceri, quæ & alterare & alterari tota possunt, vt ex ipsis iunctis aliud quiddam fiat. FVRN. Ergo & Cramæ compositio propriè vocabitur mistio. Nam aliud est

Facilè miscibilia.

Crama, quàm aqua & vinum. Et pro diuersa horum proportione differunt etiam inter se huiusce modi mistiones. E R. Tam non est aliud crama à vino & aqua, quàm non est aliud aceruus frumenti & milij, quàm frumentum & milium: nisi quod hæc à se inuicem facilius, illa verò difficilius separantur. Cuius rei causa est, quod hæc superficies suas integras seruant, nec diuiduntur in partes, illæ superficies suas perdunt, & in minutas partes distrahuntur. Equidem in aceruo vnumquodq; granum totum quoddam remanet propria sibi seruata superficie: cum in cramate vinum & aqua inter se continuentur, amissis proprijs superficiebus, ad vnum corpus efficiendum. Quanquam verò mutatur in talibus eorum, quæ miscentur, proportio, nunquam tamen mutatur species & natura. Differt igitur crama vnum ab alio ratione maioris ac minoris: natura & substantia non discriminantur: quomodo os à carne, neruo, cartilagine discrepat. Iam cum alterare atque alterari illa solum tota possint corpora, quæcunque caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, sunt prædita, necessarium est, vt illa corpora prima sint mistorum materia, in quibus qualitates nominatæ, quarum beneficio fit mistio, primò insunt. Etsi namque inter alias etiam qualitates sit contrarietas, vt inter grauitatem & leuitatem, non tamen altera harum corrumpit alteram. Non enim corpus graue iuxta leue positū grauius efficit, cum calidū corpus frigidum tangens, ipsum omnino calefaciat. Cæterùm quatuor p̄dictę qualitates maximè sincerę ac primò reperiūtur in elemētis quatuor, igne, aere, aqua, terra. Hęc igitur prima sunt mistorū materia. Si alia corpora misceri cōtingat, ideo misceri cōtingit, quia & quatenus elemētis ac prędictis qualitatib. dotata sunt. Aliā insuper habet mistio proprietatē, vt sit cōpositio ex talibus,

Cramatis mistio qualis sit.

Differētia Cramatis et Acerui.

Crama à cramate quomodo differat.

Mistionis quædā proprietas.

libus, quæ, priusquam miscerentur, seorsum subsisterent, aut saltem subsistere possent: & postquam mista fuerint, separari iterum valeant: quod Aristoteles his verbis exposuit, φαίνεται δὲ μιγνύμενα πρότερόν τε ἐκ κεχωρισμένων συνιόντα, καὶ δυνάμενα χωρίζεσθαι πάλιν. Quo fit, vt non rectè dicatur sanguis mistus ex pane, carnibus, vino, caseo: cum hæc è sanguine secerni nunquam possint. Quoniam in sanguine talia actu non insunt. Non enim esset sanguis diuersum ab his aliquid. Nec potentia quoq; talia continet sanguis, vt hoc in loco de Potentia loquimur. Non enim potest sanguis in eadem illa corpora vi naturali distingui. Non ergo ex his mistus est sanguis, sed generatus. Ex elementis autem mista omnia conflata sunt: quoniam ex omnibus separari possunt: & actu tamen non sic insunt, quin mistum tota natura ab omnibus diuersum existat. Stanni igitur cum ære aut argenti cum auro compositio, non est vera mistio, neque vini & aquæ confusio. Etsi enim ex his vnum corpus continuatione factum est: non tamen vnum natura est, nec diuersum à componẽtibus est. Actu namq; componentia insunt, quantumuis oculi non videant. Impossibile autem est, vt compositum natura differat à componentibus, cum in compositione naturas suas singula seruant. Adde quòd nõ poterit quælibet pars misti illiusmodi mista censeri. Est enim in cramate aliquid, quod non est aqua: & in auri massa, cui vel argentum, vel aliud metallum permistum fuerit, quod non est aurum. Si hæc noui Reformatores considerassent, ac rectè percipere studuissent, non tantùm Philosophos quosdam ociosis certaminibus se oblectantes, & inutilibus disputationibus veritatem sæpe obscurantes accusarent, sed multò magis se ipsos condemnarent, quòd non magis ipsam veritatẽ inuenire studuerint, quàm altercationes ina-

Vnum continuatione, & natura, differunt.

nes cognoscere. Non enim saxa Sisyphi ab illis ablata recipere ipsi: sed inutilibus relictis vtilia consectari debuissent. Qua etiam ratione nullo negocio ex quæstione illa sese extricauissent, vtrum substantiæ elementorum, an qualitates solùm misceantur totæ totis. Etenim nec Stoicos mutuam corporum penetrationem concedentes probamus; nec Empedoclem, atq; alios pro mistione compositionem supponẽtes laudamus: nec in misto, quæ miscentur, actu comprehendi asserimus: sed potentia inesse tantùm dicimus: & quidẽ hoc modo, vt separabilia sint ex parte misti qualibet. Hac sola via possumus rectè vereq; defendere, nec actu inesse miscibilia, sed ex ijs aliud genitum esse, nec interijsse tamen prorsus, sed seiungi iterum posse: & nec se penetrare corpora, cùm sit impossibile: nec solas tamen qualitates misceri. Non enim aliud fit ex miscibilibus, cùm eorum qualitates solæ confunduntur, non alteratis eorum substantijs. Hæc de mistione referre duntaxat volui, vt quæ putem sufficere instituto nostro. Qui plura desiderat cognoscere, ex Aristotele poterit discere totam hanc materiam dilucidè explanante. Iam quid Paracelsi spiritui visum de hac re sit videamus. FVR. Negat is omnem mistionem ex elementis. Quippe res omnes non ex omnib. aut pluribus elemẽtis, sed ex vnico factas, enutritasq; contendit. Quo posito, non est cur de mistione elementorum solliciti simus.

Substantiæ ne an qualitates elementorum misceantur.

Spiritus Paracelsi quid statuerit de mistione.

» Res quælibet, inquit, in Meteor. suis, vnicum in se
» habet elementum, (vt herba quælibet terram, lapis a-
» quam.) nec plura in se habere potest. In lib. 2. ad Athen.
» Elementa simul esse nequeunt: nec res vlla est compo-
» sita, vel ex quatuor, vel tribus, vel duobus elemẽtis, sed
» constant ex vnico singulæ. Huc pertinet quod suprà citauisti, singula elemẽta suos peculiares producere fructus, qui nihil habeant cum aliorum prolibus commune,

mune. ER. Facit hîc, quod facere vbiq; solitus fuit. Etenim non solùm scribit ex quatuor elementis constare corpora hæc visibilia, verùm etiam inuisibilia. In libro de Podagræ spec. ait: Homo ex quatuor elementis factus est: ideo in his viuit ac moritur. Quoniã ex quo constat, ex eodem viuit, sanus est, ægrotat, moritur. Suprà hæc citauimus: In herba qualibet insunt elementa quatuor duplicata. In 2. Archid. sic quatuor elementa dicit in re qualibet inesse, quomodo acetum atq; vinum insunt in oxycrato: vel acetum & aqua in mulsa. Sanè substãtialiter & essentialiter inesse dicit, vt suprà monui. In Parag. hæc habet: Cur expetit cibum homo? quoniam ex terra est. Cur bibere optat? quia ex aqua cõstat. Cur respirare cupit? propterea quòd ex aere cõpositus est. Cur deniq; calefieri vult? quia ex igne conflatus etiam est. Multæ sunt aliæ sententię similes, quarum aliquas iam antè recensui. Suffecerit autem vna hæc ratio, ad probandum, quòd ex quatuor elementis corpora nostratia componat omnia, quòd nimirum singula dicit, in eadem resolui posse arte Chemica.

FVR. Ad hanc responderi variè posset: sed cupio prius, audire, quomodo inuisibilia corpora ex elementis architectetur. ER. De his ita scribit: Corpora inuisibilia in se habent omnia elementa: & in omnibus operantur. Emittunt ex se ignem & virtutem sui elementi. Etiam aerem instar hominum respirantium. Aquam itẽ more meientium. Terrea quoq; sunt, & de terra sumuntur: quod sic intelligere debes: Terræ liquor continuè ebullit, vaporesq́; subtilissimos tollit in altũ. Ab his nutriũtur inuisibilia vnà cum firmamento, vt quo sine durare nequeant. Nam corporata & incorporata esse ac bibere necessum est. Quæ causa est, vt ex terra oriantur lapides, sed ex congruente spiritu naturæ suæ. Et paulò post: Omnia inuisibilia per uisibilia

Corpora inuisibilia fabricat ex elementis Paracelsus

» foueri, ali, conseruari oportet, cum quibus etiam dis-
» soluentur, finemque consequentur. FVR. Si verum
est pronunciatum Physicum, ex eisdem res quaslibet
ali, quibus constant: atque fumo aluntur cœli, & spiri-
tus incorporei, ex fumo etiam compositi sunt. ER. Res
eisdem constare ac nutriri concedit in plurimis locis
Paracelsus: quoniam negare non posse aduertit. Non
veretur interim contrarium quoque pro more suo as-
serere. Considera hîc obiter, quæso te, quomodo sen-
tentias istas sis conciliaturus. Res ijs aluntur, quibus
constant. Res naturales singulæ ex vno elemento com-
positæ sunt. Vnius elementi fructus nihil egent alijs e-
lementis eorumque fructibus. Cœlum ex igne confe-
ctum est. Res quælibet constat quatuor elementis: in-
que ea dissolui etiam singulæ possunt. Cœlum vapo-
ribus de terra elatis nutritur. Incorporea nutriuntur
fumo ex terra exhalante. Elementa sunt matrices & re-
ceptacula rerum: conferunt eis nihil aliud, prærerquã
quòd hospitium præbent. Dum tu quomodo hæc cõ-
ponas cogitabis, pergam ego. FVR. Clarè iam pridem
video, in nulla omnino sententia constanter eum per-
mansisse: sed in dies, imò in horas opiniones infinities
mutauisse: quod infallibile vel imperitiæ vel insaniæ
argumentum est. Memini iam eum primam rerum v-
niuersarum materiam, ex qua primùm secretæ sint, &
in quã ad extremum dissolui eas oporteat, fumum sta-
tuere insensibilem & intactilẽ: in quem haud aliter sint
» abituræ, ac nix & glacies à calore in aquam vaporém-
» ue soluuntur. Hinc adeo fit, ait, quòd totus mundus in-
» star niuis dissoluatur, & in illã spiritus fumi materiam
» vertetur: seque absque omni sensibili essentia vnient.
» Post hæc iterum generari, quod primò fuit, poterit. Et
» paucis interpositis, sic res quælibet ex inuisibili oritur,
» eoque modo corporea efficitur: & amisso rursus cor-

Cœli & spiritus incorporei constat ex fumo.

Contradictiones aliquot Paracelsi.

Sententia in horas mutare cuius rei signũ sit.

pore iterum inuisibilis redditur. Postmodum denuò « vniuntur, & in primam materiam resoluuntur. Quan « quam verò sic vnitæ sint, nihilominus diuisæ sunt ha- « ctenus, vt vnæ hospitij, alteræ hospitum, & inhabita- « torum vices gerant. Horum ob id nunc mentionem feci: quia absurda, & pietati non vsquequaq; consentanea semper iudicaui. Quamobrem eis relictis ad illud redeo, quod suprà respondere volui, non absurdè à Paracelsicis vtrumque affirmari, & ex vno elemento conflatas esse plantas, exempli causa, & in harum dissolutione quatuor elementa nihilominus demonstrari oculis. Ponunt enim in singulis elementis tria alia cõprehendi, vt in vnoquoque quatuor insint. Quare facilè in plantæ, quæ ex sola terra conflata dicatur, dissolutione, præter terram, aqua, ignis, aer commonstrari poterunt. Illud absurdius est, quòd salem, sulphur, & liquorem illum, materiam facit primam rerum omnium, ex qua elementa & cœlum per secretionem facta sint: cum in libro de Matrice materiam horum trium dicat inuisibilem, & in loco proximè citato, affirmat fumũ quendam insensibilem & incorporeum, (imò qui ne substantia quidem sit) materiam esse illã, ex qua primò prodierint omnia, & in quam vltimò rursus abeant: in Meteoris tribus illis nihil prius esse contendat. Nam ex his omnia facta esse, vt ex materia prima: ipsa autem ex nullis facta alijs asserit. Nisi ergo fumum, ex quo constitisse omnia ait, in tria illa dissolui probetur, non poterunt prima rerum materia censeri. Quomodo autem probetur, corpus ex inuisibilibus tribus corporibus compositum in spiritu quodã insensibili latere? Si ex corporibus sensibilibus est cõpositus, sensibilem confiteri oportet. Si sentiri nequit, ne ex sensibilibus quidem concretit. ER. Si elementa nostra impura, eumque alijs mista dicerent, faciliùs

Quomodo, si ex vnico elemento plantæ concreuerunt, in quatuor dissolui queant.

Materia primatrium elementorum Paracelsi est inuisibilis.

excusarent. Equidem nos quoq; dicimus in terra aerem, ignem & aquam contineri, sinceram terram nullam occurrere: at negamus aerem in terra contentum natura & specie alium esse ab aere vbiuis reperto. Idem de cæteris duobus est iudicium. Cæterùm vel differt aer ille terreus à terra, vel non differt. Si nullum est discrimen, inania verba sunt. Si discrepat, necesse est, vt in terra cogitemus quatuor elementa viribus & naturis, non modò ab alijs elementis distincta, verùm etiam inter se discriminata. Quæri proinde poterit, vtrum verè inter se misceantur elementa terræ in rerum ex terra nascentium productione, (sic inquam, vt à componentibus aliud sit compositum) an solùm ita componantur, quomodo vinum & aqua confunduntur? Qui hoc affirmat, confiteri etiam cogitur, res cunctas ex terra natas non magis differre, quàm vinum & aqua diuersa proportione confusa differunt. At crama quacunq; proportione sit mistum, nil est aliud, quàm aqua & vinum. Omnium ergo vires eædem sunt, tantumq; dissident, secundum magis & minus: quemadmodum crama cramate magis minusq; dilutum sincerúmue existit. Quod quia absurdius est, meo quidem iudicio quàm vt affirmare audeant Paracelsici, misceri dicent, arbitror, elementa singulorum elementorum. Hoc videtur sensisse multis in locis Paracelsus, præsertim cũ metallorum varietatem è varia mistione elementorũ nasci, atq; ob eam species eorum dissimiles esse scribit. Item cùm ex vno elemento calido res omnino dispares, noxias & salutares, calidas & frigidas generari asserit. Idem discipulos credidisse suspicor, cùm beneficio balsami contendunt repugnantia elementa concordi lege ligari. FVR. Non in elementis aut corporibus ex eisdem concretis, insunt rerum vires, sed in Balsamo siue semine radicali cuiusque rei. Corpora namque semper

Nota.

Paracelsus elementa misceri aliquoties concedit.

ſemper & vbique ſunt mortua & ocioſa: nec ſunt aliud quàm tegumenta, & veluti ſiliquæ balſami: quod in quaquè re ineſt, actionumque omnium cauſa, & author exiſtit. ER. Facilis es in affirmando, at ſegnis & tardus in probando. Ego tibi dico, rerum naturalium vires neque exiſtere, neque imaginabiles eſſe abſque ſuis ſubiectis. Sunt enim res inſeparabiles: per ſe inſtar animæ noſtræ, vel ſubſtantiarum ſeparatarum ſubſiſtere nulla ratione poſſunt. Quamobrem neque definiri neque cogitari ſine ſuis ſubiectis queunt. Hoc dicunt Philoſophi, cùm actum proprium in materia propria neceſſariò eſſe aiunt: alibi nuſquam, vel inueniri, vel cogitari poſſe cenſent. Nec hærent in ſuperficie tantùm potentiæ naturales, vt in prima collatione dilucidè expoſitũ nobis memini: ſed per totnm ſubiectũ ſuum diffuſæ porrectæq; ſunt, vt pars nulla quantũuis minima eis careat. Quòd ſi ergo potẽtiæ naturalium rerum neq; eſſe poſſunt, neq; agere ſine ſubiecto ſuo, quomodo non pudet Paracelſicos corpora omnia ponere ocioſa? Profectò id, ſine quo actio naturalis nec eſſe, nec cogitari poteſt, ocioſum dici nõ debet. Ocioſum namq; eſt, quod, cùm præſens eſt, actioni nihil commodat: & ſine quo æquè promptè illa exercetur. Sanè ſi corpora, cùm debent & poſſunt actionem adiuuare, nihil conferant, ocioſa meritò putentur. At conſtat ſine ipſis actiones à rebus naturalibus edi nullas. Quoniam actiones compoſitorum ſunt, non vel ſolius virtutis ſeu formæ, vel materiæ, ſiue ſubiecti tantùm. An tu ſine pedibus ambulare, ſine ore comedere, ſine ventriculo cibos coquere aliquem vidiſti? Non puto. Sed nec Magnetis virtutem abſq; proprio ſubiecto reperiſti: nec caliditatem ſine materia, in qua inhæreret, aliquando inueniſti. Vnde igitur iſthæc naſci potuit in quorũdam animis opinio, vt corporũ alium

Corporum vſus iuxta Paracelſi aſinos.

Corpora non ſunt ocioſa.

Ocioſum quid

vſum nullum cenſerent eſſe, quàm munimenti ſeu tegumenti? Paracelſus negat linguam loqui, ſed hominem, hoc eſt, animam, vel, ſicut ipſe ait, ſpiritum in ipſa exiſtentem putat loqui. Quòd ſi nihil aliud animę pręſtat lingua, quâm vt tegat facultatem loquendi, cur non abſq; lingua loquuntur homines? Conſtat enim de animæ ſuæ ſubſtantia viribusq; nihil deceſſiſſe illis, quibus exectæ caſu aliquo fuerunt linguæ. Eſt ergo lingua inſtrumentum animæ, quo loquitur homo, & quo ſine loqui non poteſt. Cęterùm non eſt inſtrumentum tale, quatenus corpus eſt, (ſic enim aliarum partium opera loqui poſſet.) ſed quatenus tale corpus eſt, temperamento, figura, naturaq; tali præditum. Vt his differt ab alijs partibus, ita differt actio eius ab actione aliarum corporis partium Hæc cauſa eſt, cur oculus videat, non auris: hæc autem ſonos percipiat, non ille. Ratio eadem eſt aliarum omnium. Falſius igitur falſo eſt, quòd corpora inutilia & ocioſa, nulliſq; ornata viribus aſſerunt. Sed eſto, ſint corpora thecæ & ſiliquæ ſolum, in quibus rerum poteſtates aſſeruentur: quid hoc tibi proderit? Equidem ſine his thecis neq; eſſe neque agere aliquid, neq; in ſcenam mundanam procedere poſſunt rerum potentiæ. Non negabunt hoc Paracelſici, quicunq; Radices illas & ſemina rerum in elementorum aby ſſis latere, ac digeſtis temporum periodis in theatrum, quoties à Deo Paracelſi iubentur, prodire dictitant. Dum in profundo inanium elementorum ſepulta iacent, nihil agunt: cùm autem in ſcenam producuntur, tùm demùm, quod agere nata ſunt, agunt. Niſi hoc eſſet, ratio eadem eſſet in ſcenam productorum, & ad ſuas latebras reductorum, inque eis abſtruſorum. Quo poſito, nulla eſſet generatio, nulla corruptio, ſed eſſent figmenta omnia. Iam quòd illa ſemina actu exiſtētia, & corpore ſpoliata, in elementis ocioſè

Lingua quid.

latere

latêre non poſſint, ex eo conſtat, quòd ipſa aiunt corpora habere in æuum duratura, quibus ſpecierum perpetuitatem ab interitu vindicent. Sed hac de re ſuprà ſatis diximus. Illud monuiſſe in præſenti loco ſufficit, ſcenica illa ſemina Paracelſi non poſſe abſq; ſuis thecis & ſiliquis in Comœdia mundana comparere, ac perſonam aliquam repræſentare. Sed nec poſſunt inhiſtrionum quaſlibet ſeu perſonas, ſeu veſtes induere: ſed coguntur ſuis naturis conuenientes aſſumere. Nunquam dicent Paracelſici ſemen aut radicem aſini, exempli cauſa, corpus pulicis, aut canis induxiſſe, (Multò minus fabę aut lentis corticem pro tegumento acceperit.) niſi plus inſanire Pythagora velint. Ipſi certè ſcribunt: ſemen quodlibet elementa & principia corporum aſſumere ſuæ naturæ congruentia, non quomodolibet occurrentia. Quæ cauſa eſt, vt balſamorum & quintarum ab ipſis vocatarum eſſentiarũ non ſit eadem natura & efficientia, ſed planè diuerſiſſimis ſint viribus dotatæ. Hoc autem impoſſibile eſſet, ſi eo duntaxat pacto iungerentur elementa, quomodo aqua cum melle in hydromelite, vel vinum & aqua in cramate confunduntur. Ergo cum hiſtrionalia illa ſemina neque in mundanum hunc ludum abſque habitu ſcenico prodire, neque progreſſa in Theatrum quippiam agere perſona poſita queant, ſiue thecas & vaginas tantùm, ſiue aliud quippiam eſſe corpora, in quibus vires naturales, dicas, hoc ſemper conſequetur neceſſariò, non eſſe ipſa, vel mortua vel inania, vel ſuperuacanea. Quòd ſi qui reperiuntur, qui virtutem ſeu facultatem ſeu formam naturalem, extra animam ratione præditam, ſeparabilem eſſe (aut ſeparatim vel extitiſſe vel exiſtere poſſe) credunt & defendere nituntur: hos ego indignos eſſe cenſeo, contra quos vel vna ſyllaba diſputemus. Sunt enim omnium, qui à creato

Semina non poſſunt quamlibet perſonā aſſumere.

Virtus ac forma naturalis nulla ſeparabilis eſt.

mundo vixerunt, hominum rudissimi & ineptissimi: quod vel ex nuper dictis perspiciatur. FVR. Cùm libros discipulorum Paracelsi lego, sæpenumero mihi occurrunt, quæ suspicari me cogunt, eos tale quippiam somniare: cuius tamen ignorantiæ, quia nimis crassa est, insimulare nondum volo. ER. Non minor est insania, ex incorporeis naturaliter fieri corporea putare & asserere: de quo antea diximus. In præsentiarum clarê satis, vt arbitror, ostendi, fructus elementorum corpora habere natura & viribus plurimùm dissidentia: & proinde non illo modo solùm inter se differre, quo melicratum à melicrato differt maiore minoreque mellis admistione. Quare huc redit res, vt, quamuis Paracelsici ex solo vno elemento res multas gigni dicant, sine mistione tamen nō gigni eas confiteri omnino cogantur. At constat, non posse res duas aut plures inter se confusas amittere proprias naturas, ac aliud à se fieri, si non totis alterentur substantijs. Constat secundò, non posse in re aliqua virtutem nouam creari, quæ à componentium facultatibus alia sit, nisi mutuò agere patique sic possint, vt naturas suas mutent. Constat non minus, nullas esse qualitates alias vicina corpora tota alterantia præter caliditatem, frigiditatem, humiditatem, siccitatem. His igitur qualitatibus distingui oportet Paracelsicorum quoque elementa: cùm harum causa misceri tantùm possint. FVRN. Mistionem non negant Paracelsici. Nam mistionis subiecta ponunt elementa, corporumque principia: & vtraque seorsim atque inter se simul omnia vniri affirmant. Quanquam non communia & peruulgata illa elementa, sed propria & vnicuique radici consentanea commisceri putent. Neque negant interim diuersa esse ac repugnantia, quæ ad mistionem conueniunt: etsi neque mutua corporum apposi-

Insania est dicere ex incorporeis concrescere corpora.

positione fieri dicant, neque qualitatum discordia & inimica contrarietate. Quoniam spiritualia & dimensionum legibus non subiecta opinantur, cum ad mistionem à seminibus postulantur, (Tum autem primum ex incorporeis corpora, sed planè adhuc spiritualia confici, cùm mistio fieri cœpit:) ac proinde veram mistionem à penetrationis dimensionum periculis expeditam constituere asseuerant. Accusant hoc etiam nomine vestram doctrinam, quòd motorem nullum adiungitis. Neque iniuria effectorem quærunt: vt ego quidem iudico. Vix enim dicere audebitis, elementa se ipsa mouere ad mistionem, hoc est, iustis & consentaneis cuique rei ponderibus per se ipsa confluere. Aliquid ergo esse oportet, quod certa mensura proportionéue cogat, coactaque temperet, quò neque redundet neque deficiat aliquid. Platonici nobis animam quandam Mundi propount. Peripateticorum alij nescio quam intelligentiam cuncta moderantem excogitarunt: alij cœlestium orbium rotatores substituerunt. Arabes quidam nescio quam causam aliam confinxerunt. Astrologi stellis hoc munus demandant. Vos autem cui delegabitis? Paracelsici assignant omne hoc officium seminib. seu vitalibus principijs ex Orco seu abysso in lucē prodeuntibus, omni sciētia seu potestate infallibili instructissimis. Hæc processura sibijpsis conuenientia elementa assumere, naturisq; suis congruentia corporum principia constituere: pōderibus iustis permiscere. Fieri hoc, vitalibus tincturis per omnia penetrātibus, omniumq; virtutes secum ducentibus, & validis vinculis sic cōponentib. vt in minima materiæ portione quauis, sensuumq; testimonio planè similari, omnia illa quantūuis diuersa cōprehendātur. ER. Mōstra nobis refers suis authorib. digna. Ostensum est suprà, veram mistionem non fieri, nisi ex

Mistionis effector.

Mistionis modus apud Paracelsicos.

miſcibilibus vnum quiddam fiat diuerſæ naturæ à naturis miſcibilium. Hoc autem impoſſibile eſt, ſi non alterentur mutuò, quæ ad miſtionem conueniunt. Etenim compoſitio eſt, non miſtio, cùm confluentia proprias naturas ac vires retinent: quantumuis ſenſuum teſtimonio iudicentur miſta. Sic argentum cum auro vel ære confuſum nequaquam efficit naturam diſtinctam ab vtriſque iam nominatis metallis: tametſi alterius vires minus ſint manifeſtæ. Idem hoc exemplis cramatis, hydromelitis, poſcæ, & aliorum, perſpicuè declarari poteſt: quemadmodum ſuprà expoſuimus. Declarabo alio nihilominus exemplo, vt ab omnibus omnino poſſit intelligi mediocriter doctis. Vinum album ſumito, eique rubei vini tantùm admiſceto, vt totum rubrum videatur oculorum iudicio. An ex his vinis duobus corpus vnum verè ac propriè miſtum putabis conflatum eſſe: ſic inquam, vt corpus iam ſit tertium quoddam, aliud à duobus illis cõfuſis. FVR. Non arbitror. Etenim guſtus nos docet vtrumq; ſaporem adhuc ſupereſſe. Apertiſſimè cognoſcet, qui vina miſcere volet ſaporibus manifeſtè differentibus prædita. ER. Oculi ergo iudicant nihil relictum eſſe albi vini, ſed permutatum eſſe in rubrum, dum ſolus hic calor illis apparet. At guſtus rectiùs iudicat album vinum non amiſiſſe ſuam naturam: quantumuis color eius à colore alterius ſit tectus, vt ſpecie ſui oculum diſtinctè, ſicut prius, mouere nequeat. Conſentit huic ratio: Quippe fieri non poteſt, vt rubedo (quæ ex certa elementorum, qualitatum, luminis & opacitatis miſtione oritur: atque in illo ſubiecto ſolo ineſt, quod ita miſtum eſt.) aliud ſubiectum, quàm ſuum proprium, occupet. Quare in rubri vini partibus ſolis remanet, in albi partibus non inſidet. Hìc igitur: & in talibus omnibus non eſt miſtio verè & propriè dicta: ſed ad ſenſum

Exemplum vinorum albi & rubri confuſorum.

ſunt tantùm. Ambas Galenus in tertio de Simp. pharm. facultat. capite decimoſeptimo his verbis complexus eſt: ὃ δὴ ἅπαν τὸ μέσον ἐκ τῶν ἐναντίων μικτὸν ἐστιν· ἤτοι δι' ὅλων ἀλλήλοις κεραννυμένον αὐτῶν, ἢ κατὰ σμικρὰ μόρια καὶ τὴν αἴσθησιν ἐκφεύγοντα. Mox quærens vtro modo roſaceum dici debeat miſtum, reſpondet non referre ſua ad id, quod propoſitum ibi habebat, vtrum affirmetur: quia ſcilicet ad vtrunque conſequatur propoſitum. Si autem propriè loquendum ſit, ad ſenſum ſolum miſta videri: οἶδα δέ, inquit, ὅτι τοῖς περὶ τούτων λογισμοῖς ἅπασιν, οἷστε ὁ Θεόφραστος ἔγραψε, καὶ οἷς ἡμεῖς ἐν ὅλῃ τῇδε τῇ πραγματείᾳ λέγομεν, ἐπὶ πλέον ὁμιλήσας εὑρήσεις τὸν δεύτερον τρόπον τῆς μίξεως. Si quæras, cur non verè miſceantur colores iſti: reſpondeo tibi, ideo fieri: quia non ſint qualitates corpora cõtigua per tota alterantes. Deinde quia non poſſint in ſubiecto ſeu materia qualibet ineſſe, ſed in certa ſolummodo: nempe in certo modo miſta. Sed caliditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas, & aptæ ſunt in quauis materia, ſimplici, inquã, & quomodolibet miſta recipi, (Non enim ex miſtione oriuntur, vt prædictæ, ſed in ſimplicibus elementis inhærent, miſtionisque principia & elementa exiſtunt.) & contigua ſeu propinqua corpora alterare tota poſſunt, ſiue ſimplicia ſint ſiue compoſita. Totam namq; creati ſublunaris mundi materiam vnaquæq; harum, depulſa contraria, occupare nata eſt. FVR. Quid ſi quis reſpondeat, in tali confuſione ſubſtãtiarum fieri penetrationem: & proinde album vinum rubrum fieri? ER. Exploditur talia affirmans ab omnibus eruditis. Sed quid hîc eſt opus argumentis, vbi ſenſus nos veritatem docent? Si ſubſtantiarũ penetratio fieret, non plus occuparẽt ſpacij vina ambo miſta, quàm alterum ſolum. At ſenſus nobis contrarium demonſtrant. Suum ergo vtrunque locum occupat. FVR. Quî fit ergo, quòd non

Cur colorata, quoad talia ſunt, non miſceantur verè.

æquè cernitur vtriusque color? ER. Quilibet sensus vna aliqua sensibilium specie magis percellitur occupaturque, quàm alia. Hinc fit, vt hac præsente alias minus percipiat. Cum primùm autem species aliqua sensus instrumentum occupauit, alias deinde non percipit, præsertim minus mouentes. Sic amara pauca magnam dulcium quantitatem eò vsque alterant, vt amara omnia videantur: cum è diuerso dulcia non hebetent tàm facilè amara. FVR. Velim huius causam cognoscere. ER. Nimis longum foret eam hîc explanare: vbi hoc solum fuit propositum ostendere, quæ sic confluant, vt proprias naturas seruent, quantumuis iudicio sensus mista videantur, confusa tamen solum ac non verè proprieque mista esse. Perstat igitur hoc, quod secundo loco diximus, in vera mistione requiri, vt miscibilia se invicem alterent. Tertiò diximus opus esse, vt non quomodolibet se alterēt mutuò, quæ ad mistionem conueniunt, sed vt alteratio sit totam rei substantiam peruadens ac mutans: qualis à Galeno *εἰδοποιὸς* vocatur: Nam quorum superficies tantum alterantur, proprias naturas non mutant: nec vires nouas adipiscũtur. Veruntamen sic alterari ea oportet, vt nō omninò intereant, sed vt separari rursus possint. Quippè si prorsus interierint, generatio est, non mistio. Pulchrè hoc intellexit Hippocrates in loco, de quo suprà egimus, cum sic scribit: *ἐν μέρει δὲ ἐκάτερον κρατέει καὶ κρατέεται ἐς τὸ μήκιστον καὶ ἐλάχιστον, ὡς ἀνυστόν. οὐδέτερον γὰρ παντελῶς κρατῆσαι δύναται. εἰ δέ ποτε κρατηθείη καὶ ὁκότερον, οὐδὲν ἂν εἴη τῶν νῦν ἐόντων ὥσπερ ἔχει νῦν. οὕτω δὲ ἐχόντων αἰεὶ ἔσται τὰ αὐτὰ, καὶ οὐδέτερα, καὶ οὐδὲ ἅμα ἐπιλείψει.* Tam clarè naturam mistionis exposuit his verbis Hippocrates, vt ex eis sua mutuatus videri possit Aristoteles. Ideo autem adduxi, vt antiquissimos eodem modo de mistione semper locutos perspiciatur. Quòd autem sine ope-

Hippocratis de mistione sententia.

ne ope-

ne opera primarum qualitatum alteratio hæc, de qua nunc loquimur, induci nequeat, longè est manifestissimum: & cùm ab alijs omnibus Philosophis ac Medicis, tùm à Galeno luculentè demonstratum fuit. Sed nec indiget ostensione, si modò animaduertere velis. Percurre animo per omnes qualitates, & vide num præter dictas aliqua reperiatur, quæ admota sibi corpora sic alteret. Grauitas & leuitas ex primis sunt qualitatibus, fateor. Imò natura fortasse priores sunt, tametsi ortu sint posteriores. Sed harum causa cum res agere ac pati non dicantur, pro principijs mistorum seu elementorum mistioni destinatorum, numerari non possunt. Graue iuxta leue positum, leue non efficit grauius. Nam si plumbum plumis permisceas, nihilo erunt ablato plumbo grauiores quàm prius fuerunt: siquidem substantiæ plumbi nihil eis adhæserit. Si autem gladium aut ferrum pani admoueas, totum fortè dissecaueris, & per omnes partes traduxeris, at naturam eius non immutaueris. Tam enim panis manet, quod erat, cùm est in micas dissectus, quàm cum partes eius cohærerent. Ratio eadem est aliarum qualitatum. Tenuitas & crassities ad penetrationem facilem aut difficilem plurimum faciunt: alterationis causæ per se non sunt. Sic rubrum corpus, nunquam mutat album in rubrum, nisi substantia rubra cum alba confundatur: velut si vinum rubrum cum albo misceatur. At ignis corpora vicina tota alterat, atque alia efficit, etiamsi nulla substantiæ ignis pars ad illa transeat. Toto igne ablato, qui calefaciebat, nihilominus calida remanent, quæ admota fuerant, non in superficie tantùm, verùm etiam in partibus intimis omnibus. Amara, acria, salsa, acida, acerba, alijsque talibus qualitatibus prædita, nunquam contigua corpora suis i-

Mistio non fit sine opera qualitatũ primarum.

ſtis qualitatibus ſic afficiunt, vt ſuum eis ſaporem communicent. Si ea alterant, quatenus calida ſunt vel frigida id faciunt, non quatenus ſalſa ſunt vel amara. Quoniam hæ qualitates, cum ex certa elemētorum miſtione proueniant, in ſubiecto quolibet ineſſe nulla poſſunt ratione. Etenim τὸ πρῶτον δεκτικὸν habent ſuum & peculiare. Quapropter impoſſibile eſt, vt ſalſus ſapor in corpus introducatur, temperaturam ſortitum à ſalſitate alienam. Sal ergo propinqua & contigua corpora non donant ſalſedinem, niſi aliquid eis ſubſtantiæ ſuæ impertiant. Ratio eſt primarū effectricium qualitatum, quarum ſubiectum non eſt aliquod corpus peculiariter temperatum, ſed vniuerſa huius mundi ſublunaris materia. Primò namq; in elementis inſunt: & quia ex his cætera coaluerunt, in rebus alijs cunctis reperiuntur. Patet ex his omnibus, res quaſlibet eatenus miſceri, quatenus antedictas qualitates primas participant. Quas quia primò poſſederunt elementa, primò & propriè ſunt miſtionis ſubiecta. Salſa igitur, acida & acria, verè non miſcētur, quoad ſunt ſalſa, acida, acria, &c. Non enim quatenus talia ſunt, ſe mutuò tota per tota ſic alterant, vt naturas mutent, ac aliud fiant. Confunduntur ſolùm, integris ſeruatis naturis, ſicut de cramate dictum eſt. Cum verè & propriè miſcentur, quatenus calida, frigida, &c. ſunt, miſcentur, non quatenus ſalſa & amara vel acerba. Quamobrem falſum, abſurdum, inſanum eſt, quòd Paracelſici noui de miſtione inanium elementorum & principiorum corporum nugantur. Nam ſi qualitatibus patibilibus, de quibus nunc diſſerimus, carent, impoſſibile eſt propriè miſceri. Si harum opera miſcentur; improbè dicunt ocioſas, externas, ſteriles, inutiles eſſe. Planè intollerabile eſt, quod nihilò plus conferre ad miſtionem dicunt, quàm ſapores &

Salſa non afficiunt ſalſedine vicina abſque tranſmiſsione ſubſtantiæ.

Salſa, amara, acida, propriè non miſcentur

res & colores. Hi namque cum sint certi temperamenti effectus, non possunt eiusdem illius causa esse. At illæ cum sint causa craseos, vt expositum est, non possunt absque flagitioso errore cum antè dictis comparari. Falsum & illud, qualitatibus carere, quę miscentur. Quòd si elementa miscentur, nō peruulgata nostra, sed Paracelsica, incorporea, & inania, miscentur sine alteratione specifica. Ergo nō fit aliud ex ipsis, sed cōfunduntur solum, easdemq; rerum omnium corpora virtutes obtinent sola maioris minorisq; ratione discrepantes. Quomodo etiam incorporeæ substantiæ cum corporibus miscebuntur? Quis vnquam sub hoc sole tā vecors & amēs fuit, qui animam cum corpore, aut formā cum materia, vel deniq; substantiā corporis expertem cum corporea misceri putaret? Vincere ac vinci omnia oportet, quę miscētur, vt omnes omniū ætatum & regionū homines scientes rectè censuerunt: quemadmodū vel ex vno Hippocrate possit intelligi. Vincere aūt & vinci mutuò nō possunt, q̄ qualitatib. primis carēt. Hę namq; solæ res totas p̄ totas sic alterant, quomodo alterari oportet, ex quibus verè vnum aliquid fieri debet. Cæterùm quis credat, res incorporeas hactenus esse calidas vel frigidas, vt corpora alterare, & ab eis vicissim alterari valeant? Anima certè nostra nullius cibi naturam mutat sine calore. Hoc debilitato & fracto læduntur omnes actiones: eo extincto, in corpore perdurare nequit. Vt nec miscet nec generat anima sine qualitatibus effectricibus, ita ne aliæ quidem substantiæ aliquid horum possunt præstare his instrumentis priuatæ. Ex quibus intelligere potes, non argumentis, sed flagris refutandos Paracelsicos, cùm semina sua fingunt ex Orco in τραγικομῳδίαν huius mundi velut ad triumphum procedere: & in itinere Elementa incorporea, ac nescio quæ phantastica, vel potius tartarea

Corpora solùm ratiōe maioris & minoris inter se differunt, nō naturis, apud Paracel.

Anima nec miscet, nec coquit, nec generat, sine calore.

corporum principia circumamicire: (Pudet enim nuda in conspectum venire hominum) & comites stipatoresq; corporis qualitates primas, odores, sapores, quantitates asciscere: omniaq; inter se miscere. Si extarēt ista semina, quæ in solo Paracel. cerebro vel potius Tartaro habitant, non tamen vel corpora, vel corporum fumosa Paracelsi principia miscere possent absque auxilio & instrumento qualitatum primarum. Quæ namq; substantia absq; his generat vel miscet vera mistione, creatoris munus exequitur, non creaturæ: quæ primarum qualitatum beneficio miscent ac generant: sicut animę exēplo declaraui. Proinde multos imò infinitos nobis creatores fabricātur: plures videlicet, quàm fatuorum fabros in cœlis nobis commentus fuit Paracelsus: vt in prima collatione audiuimus. Inscitum sanè ac rudem, imò simpliciter stolidum fuisse oportet fabrum illum, (iuxta Paracelsi. placita loquor) qui cerebrum Paracelso finxit, tot monstrorum receptaculum. Sed ad nostra.

Faber Paracelsi qualis extiterit.

Res naturales corporatas esse concedunt omnes homines sani. Et corporum alia esse simplicia, alia mista, similiter confitentur. Nos de mistis agimus. Mista porrò corpora sensibilia esse, sensus docent. At mista sensibilia ex sensibilibus confecta demonstrant tum sensus tum ratio. Probant idem Paracelsici, dum se in elementa visibilia resoluere quæuis corpora promittunt. Cæterùm mista luculentè & clarè ostendi discordia seu mutua actione ac passione primarum qualitatum confici: substantiasque incorporeas seu formas hisce destitutas nec miscere nec generare aliquid posse. Quare falsissimè & inscitissimè affirmatur, mistionem nō fieri qualitatum discordia: & nihilominus repugnantia misceri. Quomodo namq; inimicę qualitates vniētur, si non miscebuntur, & in vnam rem ac terminum conspirabunt? Absurdius est, quòd sensibilia corpora ex

ra ex insensibilibus & incorporeis nasci aiunt. Quoniam nec imaginabile est, quomodo corpora gignantur ex incorporeis. Semper enim compositum retinet naturam componentium. At corporeum esse & incorporeum esse, contradictoria sunt: atque ideo simpliciter absoluteque incompatibilia existunt. Quinimò totis differunt generibus Physicis, vt alterum naturaliter nulla vi possit fieri alterum. Quamobrem impossibile est omninò, vt corpus, quoad corpus est, aliquid in se contineat incorporei: siue corpus simul sit & non corpus. Sed scire velim, quò tandem abeant corpora, quæ prodeuntia destinatis temporibus semina ex incorporeis condunt creántue? Nam permanere hucusque non potuerunt. Vix enim, imò ne vix quidem, caperet mundus tot corpora, quot semina post conditum mũdum ad generationem progressa sunt. Equidem infinities fermè prodijssent singula, atq; ob id infinita ꝑpè generauissent corpora. Si resolui iterum putes in nõ corpora, perinde erres, ac si in nihilum labi existimes: quod suprà fieri non posse demonstraui. Certè si potest creata virtus ex corpore non corpus efficere, potest etiam ad nihilum deducere. Dicam vno verbo, impiè mentitur, & quidem sic, vt supplicium quoduis promereri videatur, quisquis pertinaciter contendit, creatam potestatem vel ex non corpore corpus, vel ex corpore non corpus efficere posse. Taceo quòd omnium rectè philosophantium sententiæ contradicit. Quippe vno omnes ore constanter asserunt, corpora generationi & corruptioni obnoxia vel Elementa esse, vel ex peruulgatis Elementis nostris conflari, & in eadem rursus resolui. Elementa in materiam primam ratione duntaxat resoluuntur, re ipsa in eam non similiter corrumpuntur, vt scilicet seorsim subsistat. Hoc enim fieri non posse

Corporeũ & incorporeum cõtradictoria.

Quò abeãt corpora Paracelsica, quæritur.

Neq; corpus ex non corpore, neque nõ corpus ex corpore naturaliter efficitur.

retrò demonstrauimus. Dissoluuntur igitur in se inuicem sicut ex se mutuò etiam generantur. FVR. Non videntur hoc sentire, cum dicunt ex incorporeis fieri corpora, ex omninò non corpore fieri corpus, vt mutatio sit contradictoria, sed per incorporea intelligunt spiritus exiles & tenues adeò, vt sensus nostros effugiant. Ex his coactis & densatis corpora fieri sensibilia. Hoc sensisse videtur Paracelsus, cum ad Athen. corpora omnia ex fumo enata concretaque asserit. Idem existimasse discipuli videntur, cum scribunt, animalia ex subtilissimis spiritibus, non corporibus, ali: ex quibus tamē coagulatione corpora constituantur. ER. Vellem ita me posse excusare. Accidit tibi, quod vsuuenire omnibus solet, quicunque falsæ opinionis defensionem suscipiunt: vt, dum se ex vna difficultate explicare tentant, alia se imprudentes implicent. Non enim verum est animalium corpora subtilissimis duntaxat nutriri spiritibus. Quoniam humoribus nondum hactenus attenuatis, vt spiritus inuisibiles atque incorporei appellari vllo modo possint, aluntur. Tam est hic error crassus, vt ipsi oculi eum redarguant, argumentis aliis nullis refelli opus habeat. Quin etiam Paracelsus in Philosophia Sagaci scribit hoc modo: Quomodo potest spiritus gignere carnem & sanguinem? aut qua ratione hæc gignere possunt spiritum? Si per spiritum intelligit substantiam incorpoream, vera sunt quæ dicit: at discipulos crassi & pudendi erroris coarguunt. Si substantiam sic nominat corpoream, tam delirat quàm delirauit vllus post hominum memoriam alius. An non quotidie videmus corpora in halitus solui? Quid magis confutat horum opinionem, imò potius somnium, qui subtilissimis spiritibus nos solis ali audacter & temerariè affirmant? Hac te falsitate inuoluis, dum ex altera euoluere te niteris. Vehementer interim vereor, ne frustra excusatio-

Res omnes ex fumo coaluerūt.

Corpora animaliū nō aluntur solis tenuiß. spiritibus.

Excusari nō possunt Paracelsici.

nem

nem hanc adferas. Etenim Spiritus mechanicos inter naturam corpoream & incorpoream ambigentes palàm asserunt ex incorporeis corpora producere. Ergo si spiritus isti (qui vix sunt corpora, adeoque vicini sunt incorporeis naturis, vt inter has & illas ambigant.) ex incorporeis rebus corpora producunt, ex re alia fabricant. Ipsi namque effectores sunt, & proinde pars materialis effectus nulla sunt. Sic mistionem asserunt ijdem tum primùm fieri, cum ex incorporeis corpora, sed planè spiritualia, conficiuntur. Si corpora planè spiritualia conficiuntur ex incorporeis, necessarium est, vt incorporea illa minus sint corporea planè spiritualibus corporibus. At planè spiritualia corpora nulla sub se habent corpora subtiliora & spiritualiora. Confici ergo censent ex quibusdam rebus corporeę naturę planè expertibus. Alibi dicunt principia vitalia seu radices ac Rationes rerum paulatim ex incorporeis corporea constituere, ex inuisibilibus visibilia producere, magnitudines & distantias in progressu addere. Quid quod vbiq; contendunt corpora ex eiusmodi incorporeis fieri, quæ à dimensionum legibus prorsus absoluta sint? Huius rei causa veram mistionem à corporum penetrationum periculis expeditam iudicant: quia elementa & corporum principia dimensionum legibus non sint subiecta. Ex spiritibus corporeis si corpora cõficerent, minimè ex rebus dimensione carentibus constitui assererent. Sunt enim Spiritus corporei dimensionum legibus perinde subiecti, atq; alia quæuis corpora. An vnquam isti considerarunt qua vi ex tormentis bellicis globi ferrei eijciantur? Quæ huius impetus causa est, si Spiritus dimensionũ legibus non sunt subiecti? An non ideo vel disrumpi æs, vel globum propelli intelligunt, quia puluis subitò confertimq; accensus & in Spiritum versus spacium expetit amplius? Sed o-

Qua vi globi tormentorum bellicorum eijciantur.

ro te, quibus alijs definietur corpus, quàm latitudine, longitudine, & profunditate? FVR. Spiritus mechanicos confitentur corpora esse spiritualia, media, sicut dixi, inter corpora crassa & substantias incorporeas: & eosdem tamen Spiritus à dimensionibus absolutos putant. Quare non admodum firma est ratiocinatio tua: Dimensione caret, ergo corporeæ naturæ expers est. Verba hæc in 8. cap. habentur. Spiritus mechanici & principia generationum à dimēsionibus & corporum angustijs excipiuntur. ER. Non verbis, sed scutica reprimendi sunt huiuscemodi errores. Certè si inscientes talia affirmant, misericordia sunt digni: si scientes euomunt, aliter quàm verbis & rationibus corrigenda castigandaq; intemperies eorum fuerit. Non enim argumentis conuinci possunt, qui principia negāt omnibus hominibus concessa. Haud scio an post conditum mundum aliquis extiterit, (nisi fortè mentis inops, & asino Cumano rudior) qui corpus dimensionibus carere aliquod existimauerit. Quinimò in vacuo, qui vacuum posuerunt dari, dimensiones finxerunt. Quare ista sinamus, atq; illud eos percunctemur, vtrū corpora fœculenta, rudia, crassa hæc, (sic vocant ipsi.) quæ se resoluere in quatuor vulgaria elementa dictitant, mista concedant. Negare vix audebunt, cum tanta eorum sit diuersitas & virium infinita dissimilitudo. At hæc opera caliditatis frigiditatisq; permutari ac misceri, generari ac corrumpi, oculi nostri vident, ac manus nostræ palpant. Quin ipsi quoq; experiuntur, dum absq; opera caloris vel ignei vel Solaris, vel alius cuiuspiam nec miscere nec segregare quicquam possunt. Idem confitentur, cùm alimento copiosiore attracto continenter mistiones progredi affirmant. Si enim generatio nutritione continuatur, & rectè Hippocrates dixit, ex eisdem nos ali, ex quibus constamus, vt ijdem affirmant:

Vtrū crassa & sensibilia corpora sint mista.

Paracelsici nihil fabricant absq; calore.

affirmant: generatio autem continuata siue nutritio non fit absq; caloris operatione, prorsus est necessariũ, vt etiam prima generatio & mistio caloris ope sit perfecta. Non enim aliam habet exordij sui causam, & aliam continuationis. Sed huius causa est calor: Ergo & illius. Quòd si igitur semen illud in contexenda sibi veste vtitur his instrumentis, ac sine eis nudum & inutile somnium remanet, quomodo ociosæ & steriles fuerint? aut cur hic potius opus eis habet, quàm in constitutione aliorum corporum? Adde quod ostendere non poterunt, vnde agrestia hæc corpora ex quatuor elementis materiam sumpserint: cum ex vnico singula quædam procreata nugentur. Frustra repetetur, quod iam solidè confutatum nouisti, in singulis tria inesse, quæ non videantur. Si enim cerni nequeunt, quomodo in ea retexent, vt seorsim oculis subijciantur? Quod si inæqualibus mensuris insunt, ac miscentur, qualitates easdem adscribere illis cogentur, quas nos eis assignamus. Erunt itaq; eadem illa, quæ nos proponimus. Nam non inficiamur nos, in terra & aqua etiam aerem & ignem contineri, ac sincerum ele mentum hîc nullum esse: si exactè rem examinemus. Corporum principia, quæ delirans ex crapula vanissimus Paracelsus confinxit, quæq; discipuli eius ab elementis vbiq; distinguunt, merum somnium, futileque deliramentum esse luculentè suprà demonstraui. Principia corporum nulla sunt in rerum natura præter materiam & formam: sicut simplicia corpora nulla sunt, exceptis cœlis & quatuor elementis. Quod, quia non tantùm sensuum testimonio & rationis iudicio certũ est, verùm etiam à sacris literis comprobatum reperitur, sine impia temeritate reuocari in dubium non potest. Ineptissimum quoq; est, quòd diuersis seminib. diuersa tum elementa tum corporum principia deberi

Causa ortus & conseruationis eadem.

Corporum principia quæ sint.

In elemento vno nulla est diuersitas.

aiunt:nisi per diuersa intelligant variatam proportionem ad mistionem confluentium elementorum. Quoniam nulla est in vno elemento diuersitas alia, quàm quæ à mistione aliorum prouenit. Quare si alijs & aliter hanc diuersitatem definiunt, tot erunt elementa & totidem rursus corporum distincta principia, quot sunt semina vel vitalia principia. Atqui ex ipsorum sententia in vnoquoq; elemento longè plurima & diuersissima latent semina, quæ ad generationem processura tum elementis tum corporum principijs discrepantissimis se in ipsa progressione vestiunt. Infinita igitur fermè tum elementa tum corporum principia ponere cogentur. Si autem inæqualitate virium & ponderum diuersitatem circumscribunt, quæri potest, qua ratione diuersam in elementis suis proportionem constituant? Nam aut tria illa occulta cum sensibili quarto (Etenim in sensibili quolibet elemento tria alia latere scribunt, vt suprà audiuimus.) æqualiter vbiq; sunt permista, vel inæqualiter. Si illud affirmetur, ratio reddi non poterit, cur alia alibi fœlicius aut infœlicius proueniant, cum vbiq; omnia æquè reperiantur: ideoque nec generationi nec nutritioni materia deesse possit. Si posterius asseratur, probari ratione vel leuiter probabili nulla vnquam poterit. Etenim si hæc est elementi cuiusq; substantia, vt tria alia in se comprehendat inuisibilia, omninò est necessarium, vt in qualibet eius particula, etiã minima, omnia insint. Si enim in aliqua nõ insint, ea non erit elementum, neq; pars dici poterit totius. F V R. Facilè ex hac difficultate se extricauerint, semina dicentes admirabili donorum varietate multiplici potestate, infallibili quiduis agendi scientia donata esse, quibus instructa vbique elementa, corporum principia, qualitates & quantitates suis vsibus accommodatas assumant. E R. Imò intricauerint se potius.

Si namq; elementa vbiq; sunt quadrupla, quouis in loco quælibet sunt parata. Nec errabit semen infallibili notitia ornatum. Quare nec monstra, nec inutila, nec debilitata generabit: nec degenerabunt, seu transplantabuntur (vt ipsi loquuntur) res vllæ. Adde, quòd in omni loco quiduis generari, nutriri, & conseruari poterit. Sed nec discrimẽ vllum erit corporum, dum & scientia infallibili eadem semper eligunt, & suis officijs æquè aptam materiam vbiq; possident. Errarunt itaq; omnes homines, ac decipiuntur sensus nostri, qui nos docent alia alijs in locis magis minusq́; nasci ac vigere. Adest enim causa effectrix validissimis viribus prædita, & infallibili scientia instructa: adest materia congrua: nec deest locus seu matrix. Quibus præsentibus, non poterunt dispariles siderum motus atque externa alia impedire seminum conatum progressumque. Ergo quæ de transplantationibus suis nugantur, cum doctrina & hypothesi eorum pugnãt: & nil aliud sunt, quàm ociosorum & petulantium ingeniorum περτισμάτα, quibus tartareum Deum obleant. Et Nobis, quibus calore, frigore, humiditate, siccitate, velut instrumentis opera naturæ peraguntur, magnum ex his impedimentum affertur. Illis, quibus qualitates istæ sunt ociosæ & steriles, ignaui rerum comites, thesauriq; latentes tantùm obscuræ quædam signaturæ, negociũ facessere nequeunt. Etenim hactenus solũ generationes, nutritiones, conseruationes, accretiones, decretiones rerũ promouent, retardant, impediũt, quatenus calorem, frigus, humorẽ, siccitatem augent vel minuunt. Occultas enim Astrologis & Magis excogitatas influẽtias non tantùm Philosophia, verùm etiã Sacrę literæ prorsus repudiant. De sacris literis cõtrouersia nobis nasci nulla potest. De Philosophia nullus dubitat eruditus. Quippe proptietates mistorũ pendent à mistio-

Transplantatio Paracelsi. cor pugnat cũ eorum hypothesibus.

Motus siderum varij & calor, frigus, &c. impediũt semina Parac.

Proprietates

nis natura & qualitate, non à causa omnibus communi, quale est cœlum. Tam rudis nullus est, qui cœlum infinitæ putet esse virtutis, vt instar Dei æquè possit in omnia agere. Agit igitur in cũcta hæc, vt pati apta sunt. Quocirca quolibet aspectu, vt vocant, & generat & corrumpit, auget ac minuit, denique quiduis agit, prout res patientes hoc vel illo modo pati idoneæ sunt. Poterit exemplo motus, quod dico, perspicuè intelligi. Philosopi omnes putarunt motum cœli causam esse motuum naturalium omnium, præsertim localium, (De alijs enim motibus in præsentia non est opus vt disputemus.) & ita quidem, vt, si cœli motus poneretur cessare, omnia eodẽ puncto temporis necesse foret quiescere. Hunc tamen cœli motum momento quouis non tantum efficere putant vt grauia deorsum, verùm etiam vt leuia sursum moueantur. Si ergo quolibet temporis puncto, grauia deorsum, & leuia sursum mouentur, & vtriusque motus semper causa est cœli motus, mirari nullus debet, quod dicimus cœlos causas esse vniuersales & communes: atque res omnes etiam contrarias ita mouere, vt singulę moueri aptę sunt. Non igitur impedient cœli ac sidera seminum officia & operationes, sed adiuuabũt potius, vt pro insitis viribus singula munere suo perfungantur. Quippe nõ caleficiendo aut frigefaciendo, sed occultiore duntaxat virtute, (Quæ propter sensibiles siue tactiles aeris qualitates nec hebetantur nec acuuntur.) mouent semina, si Paracelsicis fidem habeamus. FVR. Interim opus est motore aliquo, qui certis mensuris ac iustis legibus elementa ad mistionem deducat, terminum ac modum præscribat, vt omnia ritè fiant. Non enim suapte sponte, puto, ad Comitia certis numeris & viribus confluere apta sunt, cum scientia omni careant, corporumque omnium vt simplicissima, ita quoque inertissima

Exemplo motus intelligitur quid agunt Sidera.

Motor & author mistionis quis.

ma ſint. ER. Generatio Philoſophis duplex eſt cognita, vniuoca & æquiuoca. vtraque authorem habet iuſſum diuinum, quo materiæ partibus omnibus imperauit, vt non ſolùm ſic miſceantur, quomodo miſcentur, ſed etiam vt certo modo miſta certos gignerẽt effectus. Hoc autem eſt inter vtranque diſcrimen, quòd in vniuoca generatione ſemper eſt efficiens actu tale, quale id eſt, quod generatur: In æquiuoca verò, vt in illis, ex putredine gignuntur, efficiens ſeu gignens tale extra rem genitam nullum apparet. Quo factum eſt, vt alij cœlo, alij animæ mundi, aliæ intelligenriæ cuidam attribuerent hoc munus. Quancunque cauſam ponerent, ſemper generans potentia ſolum tale eſſe, ſiue potentiam in ſe habere tale generandi, quale id eſt, quod generatur, dixerunt. Nos poteſtatem diuinam, vt iam dicebamus, toti materiæ in creatione rerum à Deo inſitam, cum ſacris literis ponimus authorem & effectorem: In vtraque eſt inſtrumentum calor rei generandæ conueniens: quem in vniuoca, forma generans ſub rectione potentiæ diuinæ, in æquiuoca ſola poteſtas diuina materiæ inſita gubernat ac regit inſtar artificis igne rem certam fabricantis. Præcepit Deus materiæ non ſolùm vt certo modo miſceretur, verùm etiam mandauit, quid quomodolibet miſta generaret. Nec iuſſit ſolum vt ita tum miſceretur, tum miſta operaretur, ſed ſimul etiam poteſtatem largitus eſt hoc ipſum perficiendi, quod perfici voluit. Animalibus, vt homini, exempli gratia, iuſſit, vt hominem generet, non aliud quicquam: & iubendo ſimul quoque facultatem donauit hoc ipſum exequendi. Sic & plantis præcepit vt ſemen gignant, quo ſe ipſas propagent: ac pręcipiendo etiã potentiam impertiuit, qua ſemina talia nũc pariunt, & ad mundi finem vſq; parient. Quocircà non ſolùm veræ philoſo

Poteſtas generationis author.

phiæ sunt iniurij Paracelsici, qui semina ex manibus & vacuis thalamis proserpere fingunt, sed etiam ordinem diuinum sceleratè conspurcant: pœnas sceleris sui à Deo passuri, cùm tempestiuum esse iudicauerit. Etenim vbi Deus apertè iussit creatis rebus, seipsas per semen à se generatum propagare, noui reformatores Dei ac hominum prodeunt dicentes, semina quæuis ab initio creata (si tamen creata semper vel dicunt vel credunt) in abyssis elementorum inanium latere ac dormire, dum digesta tempora hortentur in publicum, larua seu persona prius assumpta, prodire. Studēt nihil aliud impij Tenebriones, quàm vt Deum atque homines rideant, sanè constituta omnia conuellant, suæque ambitioni seruire cuncta cogant. At frustrabuntur spe sua plurimum. Deus enim non semper conniuebit ad impios & profanos eorum conatus. Manifestè hoc agunt, vt Naturæ ordinem, quem in hoc mundo Deus esse voluit ac instituit, infament, conspurcent, euertant. Quis est tam imperitus nostræ Religionis, qui nescias Deum in creatione singulis plantis & animalibus, quæ omnipotente suo verbo terram & aquam proferre iussit, imperauisse, vt per semina à se generata, & ex alimento formata, seipsa multiplicent atque propagent? vbi hîc seminum in abyssis delitescentium mentio? vbi processionis eorum in scenam vestigium in Natura inuenitur? Sensus nostri nos docent, semina non ex inuisibilibus elementis, sed ex animalibus & plantis proficisci. Quæ ex putredine nunc etiam generantur, non aliter nunc generantur, quàm iussa tunc sunt generari, cum subitò existerent: nisi quòd nunc per destinatos motus & præcedentes alterationes materia paulatim præparatur, quæ tùm in non tempore virtute Creatoris apta facta fuit. FVR. Quid si idem hoc per semina intel-

Semina ex animalibus & plantis nascuntur.

intelligere nos velint, quod per iussum Dei seu virtutem diuinam me vis intelligere? Sanè sic aliquando loquuntur, ac si aliquid tale in mentem ipsis venisset. E R. Nemo tam cupit interpretationem inuenire tollerabilem & probabilem, quàm ego. Circumspicio nunc etiam in omnes partes, vt alicubi inueniam, quò tetros, monstrosos, & pestilentes eorum errores excusem. At frustrà passim ferè me excrucio. Etenim hîc quoque consistere nequeo. Nam ponunt semina substantias quasdam esse seorsùm subsistentes, & in elementorum inanitatibus latentes, certis temporum periodis progredi, nauis semper vestibus indutas. Ponunt deinde in quolibet elemento eiuscemodi seminum infinitam propè multitudinem totis naturis à se inuicem discrepantium contineri. Adde quod seminum principia dicunt rerum esse species: quas seorsum subsistere nullus vnquam sanus dixit. Omnia hęc non modò sensibus matris repugnant, verùm etiam cum mandato illo diuino conciliari nulla ratione possunt. Etenim vis illa, qua Deus toti materiæ singulisq; partibus legem imposuit, certos effectus ex se pro diuersitate agentium proferendi, non est à se ipsa distincta in tot species, quot sunt rerum formæ, sed vnica existens in singulis partibus id agit, quod materia parì iussa fuit. Quocircà tantùm ferè est inter hanc virtutem diuinam (quam aliqui Naturam appellarunt) & species rerum (quæ Naturæ illius quædam soboles existunt) differentiæ quantum est inter Deum, & res creatas discriminis. Semen à semine distingui confitentur genere, specie, proprietatibus, officijs, actionibus: adeoque tot esse, quot sunt rerum species. Diuinam autem vim æquè multiplicem pariterque disterminatam esse, is solus cogitabit, qui amente quouis est amentior. F V R. De mistione &

ad mistionem spectantibus satis iam disceptauimus. Itaque tempus iam est, vt de mistis aliquid dicamus. Vehementer enim cupio de generatione pluuiarum, ventorum, metallorum, lapidum, ac similium tuam audire sententiam: de quibus tam scripsit Paracelsus variè, fabulosè, absurdè, ridiculè, vt meo quidem iudicio Luciani veræ narrationes verissimæ: & scitissimæ historiæ censeri possint, si cum hisce comparentur. Sanè quidem multa Paracelsi, Medica præsertim, magni feci: at quæ de prædictorum similiumque ortu & causis refert, indigna semper iudicaui, quæ vel ipse scriberet, vel nos alij legeremus. Nimis enim absurda & ab omni veritate aliena remotaque videntur esse. ERAS. Imò verò dignissima sunt quæ ille scriberet: tametsi indigna sint, quæ à bono viro, cui scilicet temporis iactura dolet, perlegantur. Sed ferri potuisset fortassè, siquidem contra solos Philosophos disputauisset: non etiam contra Deum os impium aperuisset. Veruntamen vnum superest ad mistionem pertinens, consideratione dignum: quod scilicet corporum principia dicunt misceri. Corporum principia ponunt salem, sulfur, hydrargyrum, de quibus suprà abundè egimus. In præsentiarum illud solum quærimus, Vtrum putent qualitatibus tactilibus carere, cum ad mistionem accersuntur à seminibus, an eisdem existiment esse prædita. Si negent habere, corpora quoque esse negabunt. Nam omne corpus naturale sub Luna existens qualitatibus est præditum tactilibus. Adde quod mutabile naturaliter corpus nullum est, si qualitatibus tactus destituatur. Principia igitur sua cum dicant mutabilia esse (Etenim sulfur, exempli causa, dicunt esse inflammabile.) coguntur eis qualitates primas tribuere. Quod si ergo natura ipsis negent inesse, sciscitabimur vnde

Veræ Luciani narrationes verisimiles magis sunt Meteorologia Parac.

Paracelsici dicunt principia corporum misceri.

eas

eas acquirant, Etenim in corporibus mistis insunt non obscurè FVR. Quasi verò non multa insint in mistis, quibus simplicia carent. ER. Verum est: sed ideo insunt, quia ex mutua actione passioneque gignuntur. Quod si agere patique nesciant, quæ miscentur, nihil inuenietur in composito, quod non prius fuerit in componentibus. Sed neque verè miscebuntur, quæ absque actione & passione congrediuntur. Si autem & agunt & patiuntur, qualitatibus ornata sunt agentibus & patientibus. Formas namque sine qualitatibus, alterare non posse, præclarè ostendimus. Quod si ergo qualitates obtinent tactiles, & inter has nullæ sunt aliæ, quæ substantias alterare totas valeant, præter caliditatē, frigiditatem, siccitatem, humiditatem, hisce ornata esse consentaneum est. Paracelsus certè in Meteoris omnia videtur reuocare ad primas effectrices qualitates. Etenim tria illa prima scribit esse calida, frigida, humida, sicca, pinguia, lenta: & pro natura harum qualitatum materias fieri pluuiarum, niuium, grandinum, fulminum, ventorum. &c. Alia namque ex his frigida, alia calida esse contendit: quia ex materia trium primorum his qualitatibus affecta pronata sint. Sic Boream frigidum siccum: Austrum calidum, humidum: Eurum calidum siccum: Zephyrum frigidum humidum effectum esse asserit: quia materia eorum talis fuerit. Quamobrem has in ventis qualitates natura inesse, ab externa re nulla contractas acquisitasq; concludit. Hoc ergo posito, tria scilicet prima illa qualitatib. effectricib. primis instructa esse, non poterunt tria solùm facere principia, vt suprà declaraui. Etenim vnā ex quatuor qualitatibus sine subiecto relinquerēt, siquidē singulis principijs singulas duntaxat adscribere cogitē: quod Magister corū alicubi faciun-

Paracelsus in Meteo. omnia fermè reuocat ad primas qualitates.

dum maximoperè contendit: vt suprà audiuimus. Sin aliter decernant, vel vni duas, cæteris duobus singulas: vel duobus binas, & tertiò vnicam assignare: vel coniugationem quartam in medio relinquere cogentur. (Nisi fortè, vt sunt audaces & impudentes, contrarias vni attribuere velint.) Si enim sulphur ponunt calidum & siccum, salem frigidum & siccum hydrargyrum frigidum & humidum: nullum erit corpus simplex calidum & humidum. Ergo vel fatebuntur qualitatem dari primam absq; proprio subiecto, vel inæqualibus omnino viribus ornabunt sua principia: quæ omnia sunt longè absurdissima. Sed istis missis, ad Meteora accedamus. FVR. Idem cupio ego quoque. De generatione pluuiæ primùm videamus, quàm præclarè Paracelsus philosophetur. Seruabo hîc etiam morem nostrum, vt primùm veram sententiam exponam, & cum ea Paracelsicam deinde conferamus. Omnium philosophorum & eruditorum sententia est, pluuiam generari ex vapore eleuato ab aqua & humiditate partim in terra contenta, partim supra terram hærente vi caloris, tùm in aere tùm in terra existentis. Hic vapor, cùm à calore extollitur, (vnà cum parte aliqua exhalationis calidæ) ad mediam vsque regionem aeris, paulatim calore, quo sustollebatur, & quem calida exhalatio permista conferebat, dum altius illa ascendit, spoliatur, inque nubem à frigiditate loci cogitur. Quæ cum densatur amplius à frigore, coit rursus in aquam, atque huc ad terram grauitate sua delabitur. Quòd enim ex nube in aquam soluta generetur pluuia, satis argumēti hoc est, quòd naturaliter pluuia nulla generata fuit, non præcedēte nube. Nec est necesse, vt, quo in loco in aquam resoluitur, in eodem vapores collecti fuerint. Etenim vēti sæpius ex remotis locis, vbi scilicet aquæ multæ sunt

De pluuiæ generatione.

vapo-

vaporesque plurimi loca sublimiora petunt, nubes adducunt: quæ apud nos in aquam condensatæ decidunt. Iam quod nubes ex vaporibus de terræ & aquæ superficie ascendentibus conglobentur, ne rustici quidem nesciunt, quicunque aduertere animum voluerunt. Vidi ego non semel, idque cum voluptate, ex fluminibus vapores crassos & multos instar densæ nubis tolli in aerem, & cum nubibus ibidem prius existentibus sic coniungi, vt ex vtrisque vna fieret, simulque à vento propulsæ in eandem regionem ferrentur. Poterit, qui de hac re dubitat, eiusque cognoscendi desiderio tenetur, in fluminibus manè obseruare, qui inter altos montes per profundas valles decurrunt. In his namque sæpius & clarius, quàm in alijs, quod dicimus, videbit. Vt notarem agricolæ authores mihi fuerunt. Commemoro hæc non ob aliud, quàm vt incredibilem Paracelsi stupiditatem patefaciam, qui ne illa quidem nouit, quæ rudes agricolæ explorate cognouerunt. Si Philosophos solos allegarem, superbo supercilio testimonium eorum rejceret, seipsum omnibus anteponens. Hos refutare non potest, qui ex alio libro nullo quàm mundi, scientiam suam hauserunt. Sic ergo doctrina Philosophorum hac de re cum experientia consentit, vt certiora nos oculi nostri docere nequeant. Vt autem minus in dubium vocari queant, sacrosanctæ scripturę testimonijs idem manifestissimè comprobabo Regius Propheta Dauid in Psalmo centesimo trigesimoquinto sic scribit: Quicquid ei libet facit Iehoua in cœlis & in terris, in aquis & vndis omnibus. Nebulas siue nubes excit ab extremis terris: fulgura cum pluuia facit: ex suis ventos cellis excitat. Eandem hanc sententiam eisdem propemodum verbis repetiuit Spiritus sanctus bis per os Ieremiæ Prophetæ, capite videlicet decimo, & quinquagesimoprimo: Qui voce, inquit, dat multi-

Sacræ literæ comprobant sententiam nostrā de generatione pluuiarum.

tudinem aquarum in cœlo (id est, in aere) attollitque ab vltimis terris nebulas, fulgura pluuiæ facit, & ex suis ventum cellis educit. Hæc, inquam, verba repetit eisdem fermè syllabis Propheta capite quinquagesimo primo. Sic in secundo capite libri de Creatione descripturus Moses pluuiæ generationem, inquit, Cùm Dominus nondum pluisset in terram, nec quisquam eam coleret, exhalauit è terra vapor, irrigauitque vniuersam eius superficiem. An potest aliquis inueniri ingenij adeo distorti & pertinacis, qui neget idem à Deo in verbo suo doceri de pluuiarum generatione & causa materiali, quæ Philosophi docuerunt? Fieri non potest, vt sanæ mentis quisquam dubitet. Quæ potest autem in re tali maior & illustrior probatio requiri, quàm si cum sacrosancto Dei verbo consentiant, quæ sensibus nostris percipimus, & ratione euidente cognoscimus? Recita nunc Paracelsi portenta: vt quantus fuerit Philosophus innotescat omnibus. FVRN

Tot sunt stellarũ species, quot hìc rerũ aliarum.

Principio ponit tot esse stellarum genera diuersa, quot hìc sunt rerum distinctæ species: atque analogia quadam sibi mutuo respondere. Itaque inter stellas esse, quæ naturaliter seu insita virtute pluuiam faciant: quæ ventos excitent: quæ fulmina cudant: quæ niues pariant: quæ grandinem demittant: quæ rorem & pruinam fabricent: quæ hyemem, æstatem, imò quæ diem noctemque efficiant. Noctem enim & tenebras in eclypsibus Solis negat propter occidentem Solem, aut luminis ipsius priuationē euenire: sed stellas quasdam ait esse, quæ cōgenitis viribus tenebras & noctem inducant. Aestatem quoque non propter accessum & moram Solis contingere, sed propter stellas æstiuas: quæ tamen incrementa virium suarum mutuentur à Sole. Nam augeri eas ac minui, & velut extabescere hyemis tempore. Sic & stellas existere asserit, quæ Ma-

Nox nō cōtingit propter luminis solaris ablationē.

Aestas non fit propter accessũ Solis & morã eius supra terra.

gnetis

gnetis potestate præditæ ferrum ad se attrahant, radant, liquefaciant, ferruginem huc decidere sinant. Quinetiam à stellis & Sole putat ligna putria & res consimiles conteri primùm, mox ad firmamentum, instar aquæ à Sole sursum tractæ, attolli: nec ad terram relabi, sed in sublimi prorsus consumi & ad nihilum redigi. Nec stellarum modo tot ponit discrimina, verùm etiã in firmamento contineri ac viuere animalia tum bruta tum ratione prædita. Sic in secundo ad Athen. scribit, In vnoquoque Elemento nata esse ac viuere animalia tum bruta tum rationalia. Mox confidenter hæc addit. Iam verò fieri aliter non potest, quin in omnibus quatuor viuant homines, sicut in vno, nempe in terra, siue supra terram, viuunt. Et rationales creaturas cœli in Meteoris vocat Superos Pennates, excellenteque sapientia & multiplici rerum omnium scientia instructas pingit. Officium eis assignat fingendi animalia: portenta in aere apparentia, vt cruces & similia: comportandi materiam pro fulminibus: subministrandi ea Christo: dirigendi eadem quò iubeat ac velit: ac huius generis alia exequendi. Quod ad animalia spectat bruta, multa putat in cœlo seu firmamento nasci ac viuere. Abs ranis ibidem agentibus pronatas opinatur illas, quæ nonnunquam cum pluuia decidunt. Non decidere semper, quia locus versus terram ipsis sit sursum. Proinde non descendere, nisi cum à tempestate vi abripiantur. Semen etiam, ex quo ranæ virides, paruulæ, arboribus & folijs insidentes, quas aliqui Rubetas nominant, nascuntur, de cœlestibus illis ranis defluere existimat. Sed nimis procul à proposito abeo. Pluuia, inquit, nil est aliud, quàm sal resolutus, sulphur & Mercurius in naturam pluuialem sub primam separationẽ discreti. (Per separationẽ primam intelligit creationẽ,

Stellæ quædam ferrũ ad se attrahunt eoq; fruuntur.

Pẽnates Superi qui apud Paracelsum.

Ortus ranarũ, quæ cũ pluuia decidunt.

Pluuia quid Paracelso.

quàm in hoc libro & ad Athen. secretionem esse scribit.) Non concedit pluuiam generari per eleuationem aquæ aut vaporum rursus ad terram defluentium: sed à certis stellis ita gigni contendit, quomodo fructus à suis quique arboribus produci cernimus. Harum stellarum infinitam existere multitudinem: ac per omnes regiões distributas esse ait. Generationis modus talis est. Stellæ pluuiæ velut ollæ quædam sunt, continentes in se materiam pluuialem (scilicet salem, sulfur, & hydrargyrum) in creatione mundi (quam separationem ab eo vocari sæpè nobis est dictum) ad hoc destinatam: crudam adhuc, & certis temporum interuallis concoquẽdam: quomodo materia in plantis pro fructuum generatione definito temporis interuallo præparatur & excoquitur. Cùm paroxysmus ætherius, inquit, appropinquat, & autumnus adest, atque matura debet esse pluuia, incipiunt Vulcanus, Iliaster, & Archeus in stella, sicut in ollà materiam præparare ac dispensare. Tempore concoctionis peracto prodeunt primum nubes, sicut in arboribus flores, quæ pro natura stellæ atque materiæ copia augentur citò, tardè, multum, parum. Ante omnia enim prodit fumus ætherius, qui, vt à nostro fumo discernatur, nubes appellatur. Hic fumus aqua existens nondum perfecta cum excessit ex stella, subsidet in aerem terram versus, ibique suspensus hæret, dum instar tartari in humore vel cella subterranea liquefiat ab aere frigidiore. Durant autem pluuiæ hora vna, duabus, pluribus, imò diebus, septimanis, mensibus, pro varietate stellarum, in quibus coquuntur. Sæpè cum pluuia venti erumpunt, cum Vulcanus à sale & hydrargyro per coctionem impetum non abstulit. Vbi materiam omnem effudit, nouæ collectionem expectat. Quòd manè aut vesperi cœlum rubet ex eo nascitur, quod stellæ salem, sulphur, Mercurium, crassiores euomunt

Modus generationis pluuiæ apud Paracelsum.

Nubes quid, unde et quomodo generetur Paracelso.

Causa rubedinis cœli uespertinæ aut matutinæ.

munt instar nubis: tametsi non sit nubes, sed spuma & vapor variè coloratus. Ruber color à sulfure & Mercurio: cæruleus, violaceus, flauus, à sale prouenit. Hæc & his similia de pluuiæ ortu, causis, & natura à Paracelso in suis Meteor. referuntur. E R. Quis ad portentosa ista deliria respondeat? Stellarum diuersitatem, quod ad facultates attinet, multi Philosophi concesserunt, rationibus moti neq; optimis neq; probabilissimis. At nulli desipuerunt hactenus, vt respondere eas putarent oportere naturalium rerũ varietati, quam hîc esse cernimus propter materiæ mutabilitatem. Haud scio an quisquã existimarit in cœlo stellam inueniri, quæ propria quadam virtute ferrum instar Magnetis ad se attraheret: attractum cõminueret seu abraderet: rasum liquefaceret: æruginemq; ab eo seclusam nobis redderet. Quòd animalia dicit in firmamento viuere cum ratione carentia, tum ratione prædita, (Pennates ab eo superi vocata.) quibus munus fabricandi pluuias, ventos, fulmina, fulgura, demandat, non eget refutatione aliqua. Solum dicam, profanum nebulonem eadem ferè pagina dubitare num Christus fulminum varietatem efficiat, an superi illi Pennates, an diabolus. Huc tamen propendere se ait, Christum eiaculari fulmina: sed ea & præparari & dirigi ad certa loca à pennatibus. Ratione mouetur ista, quòd Christus ad iudicium venturus sit instar fulminis. Idem enim putat impius Asinus fulgur & fulmen significare. Negat sidera de terra & aqua attrahere, atque interim asseuerat non tantùm vapores & aquam, verùm etiam ferrum & lapides ab eis sursum tolli. F V R. Verum hoc est: sed descendere iterum negat. Etenim sublatos in cœlum vapores consumi & dissipari putat. E R A S T. Negat virtute tractrice prædita sidera: deinde habere ipsa potestatem hanc concedit: sed ex attractis aquis & vapori-

Incredibilis Paracelsi blasphemia.

Quomodo sibi constet Paracelsi in-

bus pluuiam fieri negat. Errat autem grauius, dum absumi & prorsus consumi, seu ad nihilum reduci affirmat. In lib. quodam de morbo Comitiali, de cæcis tempestatibus loquens ita scribit. Harum materiæ non suscitantur in superiore cœlo: vnde est, quod in eis fumus quidam de terra tollitur, ex quo tempestas postmodum nascitur. Cœlum superius incendit materiã, hanc suppeditat cœlum inferius, siue terra. Commemoro hæc ob id, vt, quamuerè toties dixerim ipsum sibi nunquam cõstare, clarius perspicias. Quam verò est ab omni tum sensu tum ratione alienum, quod sic ait, stellas gignere pluuias, quomodo arbores & plantæ proferunt flores & fructus? Si subtraxeris plantis nutrimentum ex quo transmutato generant semina fructusq; suos, mox videbis, opinor, quamdiu sint parituræ. Qua igitur ex materia generant stellæ pluuias, niues, grandines, fulgura, fulmina, ventos, si non nutriuntur? Quomodo non iam olim in has res absumptæ sunt, si de substantia sua promunt, nec in abeuntium locum aliud reponunt? FVRN. Erras cum sidera non nutriri putas. Etenim Paracelsus in eodem hoc libro nutriri & excrementa generare constanter affirmat. Sic enim capite 10. scribit: Aduertite hoc insuper, stellas se purgare tum æstiuas tum hyemales, non per fulgura, sed per corpora, quæ excernunt: quæ stellas cadentes vocant. Causa est, quod aluntur in firmamento: quod suum est elementum, à quo sustentantur. Nihil enim est creatum, quod non egeat quotidiano cibo, instar hominis. Ex quo consequitur, ea ex elemento suo edere cibumue capere. Iam quod cibo & potu seruatur, excrementa quoq; gignit. Aluntur autem igne solo: sicut homo terra, ex qua natus est. Ex igne igitur essentiam suam extrahunt: sicut homo carnem & sanguinem ex terra sumit. Quod transmu-

Sidera nutriuntur & excremẽta generant.

Quod sit alimentum stellarum.

transſmutari in eſſentiam nequit, excrementum fit. Hæc ille. Fortaſſe ſtellæ quædam ob id ferrum ad ſe pertrahunt, vt ex eo repurgato & colliquato nutriantur. Quo dato, non poterimus non dare alterum quoque, ali ſcilicet aliquas putridis lignis & ſimilibus alijs, quæ ab eis allici aſſerit. Quid ſi ob eam cauſam lucere aliquas putarit, quia ex putridis & ſplendentibus rebus paſtæ ſint? Notandum porrò eſt, quod res omnes creatas nutriri ſcribit. Si de propriè vocata nutritione accipias dictum, non eſt cur refutare coner. ſic enim ſola viuentia nutriri conſtat. Si aliter intelligas, ne ſic quidem aliud pro refellenda ſententia dixero, quàm eum & flagitioſè nominibus abuti, & quod vult non obtinere. Non enim eſt neceſſe, vt quomodolibet nutrita excrementa pariant: quæ ab illis tantùm gignuntur neceſſariò, quæ alimenti ſubſtantiam mutant. Sidera non ali propriè, per ſe notum eſt. Iam ſi nutriuntur Sidera, id eſt, nutrimento reſarciunt quod effluxit, quomodo extabeſcere poſſunt alia hyeme, alia æſtate? Nam inſtar plantarum exareſcere rurſusque vegetiora reddi ſcribit. Niſi ex eo accidat, quod alio tempore largius alio parcius alimentum terra ſuppeditat: nil habeo quod reſpondeam. Sed tædet me ineptias has mouere. Sui ſimilimus eſt, cum hîc aſſerit ſtellas igne ali. Nam alibi fumo quodam, & alio rurſus loco vaporibus de terra ſublatis nutriri ſcribit. Ad illud porrò quid dicemus, quod adeo confidenter aſſerit pluuias ex eleuatis de terra vaporibus non generari? Sufficiunt, arbitror, quæ ſuprà diximus. Vbi ſenſus, ratio, eruditorum conſenſus, Deus ipſe in verbo ſuo, ſimul conſpirant & conſonant, iuſta & facilis eſt aduerſariæ ſententiæ deſpectio. Argumento eſt, incredibilis iſta auda-

Nō omnia creata nutriuntur verè.

Sidera non nutriuntur

cia, humana pariter & diuina hominem hunc impulsore Cacodæmone ridere conuellereque voluisse. Si neque horrendæ blasphemiæ, neque inaudita omnibus seculis intemperies, neque incredibiles Chimæræ, neque spurcissima vita, neque incondita & barbara oratio absterrere Discipulos ab assensu immanium horum mendaciorum potuit, saltem reuocare illud eos debuit, quod nunquam sibi constare, vbique autem veritati & pietati aduersari viderunt. FVR. Confutationem non quæro, vbi sacrarum literarum consensum video. Si libet audire, quæ de ventorum generatione ac fulminis attulit, referam breuiter, vt ad subterranea ex cœlo iterum descendamus. ER. Iam audiuimus quas faciat omnium talium causas. Attamen recita quæ obseruauisti. FVR. Matrices, ventres, & velut cucurbitas seu ollas, in quibus coquuntur, facit certas stellas. Materiam ponit mistionem salis, sulfuris, & hydrargyri ad horum generationem ex tota materia mundi separatam, vt ante fuit expositum. Modum generationis explicat his verbis. Scitote igneum Vulcanum in stellis tria prima suis naturis prædita coquere. Ex his generatur ventus cum suis proprietatibus. Et igneus Vulcanus est ipsemet ventus. Nam in tribus primis consistit. Quod autem ventus hoc modo generetur, probat exemplo bullientium. Si aqua, inquit, bulliat, ventum ex se reddit. Quin ab omnibus, quæ ebulliunt, siue arida sint siue humida ventum expirare cerintis. Aqua ventum exhalat calidum & humidum: ebullitio sicca spiritum siccum parit, vt in Chemia exercitati norunt. Ex his concludit, nullam esse aliam Ventorum originem & causam, quam Vulcanum tria prima ad agendum excitantem. Ventos porrò à locis, per quæ spirant, aliquid acquirere pertinaciter negat: sed calidos esse, frigios, humidos, siccos

Venti ac fulminis generatio iuxta Paracel.

Vulcanus est uentorũ coctor, & est ipsemet uentus.

ex propria natura,& ex materia, ex qua nati ſunt, conditione. Si auſter, inquit, ſiccus eſſet inſtar Boreæ, nulla ei vel ex mari vel ex rebus aliis acquireretur humiditas. Duo ſunt quæ mihi admirationem aliquam pariunt. Vnum eſt, quod probaturus ventum eſſe corpus, hoc vtitur argumento: quod videlicet, omnia à Deo creata, viſibilia & inuiſibilia, corporata ſint. Alterum quòd terræmotum fatetur fieri à vento in terræ meatibus concluſo. Etenim in lib. de morbo Comitiali prorſus contrarium ſeriò affirmat, cumque tota Philoſophia pugnare ait. Eandem huius & fulminis generationem putat, ex pugna ſulfuris & nitri deducens. ER. Ego non miror hoc, cum ſibi fœdè vbiq; contradicere, ſed miror plurimum, quotiens nō in omnibus paginis ſeipſum mendacii accuſat & conuicit. Vtrum Deus tantum res corporeas condiderit, aut incorporeas etiam creauerit, diſputatione indiget nulla. Quippe ne Cacodæmon quidem temerè auſit negare incorporea & inuiſibilia nobis à Deo multa creata fuiſſe. Ipſe namque, cum ſit incorporeus & natura ſua nobis inuiſibilis creatum ſe nunquam dubitauit, arbitror. Sed his miſſis illud notandum eſt, Diſcipulos non omnes opinionem eius de ventorum generatione probare. Et licet minus abſurdam defendant, æquè tamen falſam adferunt. Laudandi in eo nihilominus videntur, quòd à præceptoris ſui placitis recedere auſi ſunt. Chemici (inquit vnus ex diſcipulis) naturalis venti ortum ex eo repererunt, quòd in æneum globum exiguum ſpiraculum habentem aquam infuderunt, ignem ſubiecerunt, & aqua in aerem conuerſa violenter per anguſtum meatum expirare viderunt. Simile quiddam putant hi in terra fieri. Nam aquas ſubterraneas ab igne in vapores conuerſas certis in cauitatibus, quæ orificia anguſta obtinuerint, recipi ar-

Deus non creauit corporea duntaxat.

Paracelſi diſcipulorum de generatione uenti ſententia.

bitrantur, ex quibus deinde cum violentia & impetu in ventum erumpant. Quinimò terræmotum quoque ab eisdem concitari censent, si exitus vaporibus vel nullus vel non satis amplus pateat: id quod exemplis Chemicis rectè iudicant demonstrari posse. Sed vt in hac re sentiunt non malè, ita in ventorum generatione maxima ex parte decipiuntur. Vt enim ventus aliquis in certo loco sic generetur, non tamen poterit is ad regiones plures & distantes exporrigi: nec omnibus ventis hæc accommodari potest ratio. Quippe multi ex mari proficiscuntur: plurimi in aeris parte sublimiore videntur ferri, qui terram non admodum radunt. Summa est, quicquid garriant Paracelsici, ventorum generatio vel non est ab hominibus cognita, vel ita generantur, quomodo à Philosophis declaratum fuit. Horum enim sententiæ consentiunt omnia, quæ in hoc mundo accidere videmus: repugnat nihil. Quod si alijs etiam modis potest flatus aut Spiritus in loco aliquo excitari, non tamen longius extendi potest. Nos autem de ventis nunc loquimur, non vni alicui loco vernaculis, sed longè lateque spirantibus & loca plurima peruadentibus. Omnibus his adde, quod in libro de Præsagio capite quinto scribit. Ventum ex aere calefacto sic generari, quomodo ex aqua in olla, cui subiectus sit ignis, halitus excitari solitus sit. Quæ non ob aliud adduxi, quàm vt videas, quambellè sibi homo vanissimus constet: simulque verum esse perspicias, quod aliquoties iam dixi, nullam ab eo sententiam prolatam esse, quam constanter tenuerit, cuiusque contrariam non aliquando affirmauerit. Quæ præterea de hac re scripsit, non habent opus vel declaratione vel confutatione: cum & à seipsis confutentur, & nec à discipulis omnibus, nec ab alijs vllis recipiantur: imò ab Agri-

Causa terræmotus iuxta quosdam Paracelsicos.

Paracel. in causa ventorum, vt in alijs, incõstans est & varius.

colis

colis peritioribus redarguantur. Quoniam si sensibus nostris fidem habemus, vanitatem Paracelsi facilè deprehendemus. Principium quo vniuersa eius doctrina de Meteoris nititur, præterquam quod impium est, & cum sacris literis palàm pugnat, tam est insulsum, ineptum, stultum, fatuum, absurdum, ridiculum, falsum, vt sine metu alicuius infamiæ vix aliquis ausit recitare: nedum de eiusdem refutatione coràm doctis agere. Iam enim est dictum valde dubitatum esse à sapientibus, vtrum non sit pro stulto habendus, qui absurda dogmata solicitè confutare conatur. Quocirca relictis Meteoris ad subterraneorum generationem descendemus. FVR. Patere me, quæso te, vel animi causa recitare, quæ de fulminis ortu causisque attulit. Sunt enim quædam, quæ vel maximè seueris & tristibus risum mouere possint. Nec mirari debes me sensim alium fieri. Tot enim monstra sententiarum nunc videre incipio, quot animo comprehendere nunquam potui antea. Quamobrem ridere Magistrum meum vnà tecum cogor. ER. Ideo te audiam patientius fabulas illas narrantem, quia earum in sequente collatione facienda erit mentio. Deinde, vt, qui Paracelsica phantasmata cognoscere cupient, planius perspiciant, quomodo rorem, pruinam, niuem, grandinem, pluuiam, & cætera meteora dixerit fructus esse elementi ignis siue cœli. FVR. Primum dicit fulmina clarè demonstrare, Deum in firmamento posuisse salē, sulfur, & Mercuriū: ex quibus omnia fiant. Deinde stellarum æstiuarum 32. ordines facit: & in postremo, id est, in summo collocat fulminum effectores. Materiā facit sulfur subtilissimū & lentissimū, seu maximè coherēs. Nitrū pinguissimū, Mercuriū vtrisq; inimicissimū. Modus generationis hic est. Superi magistri (quos Pēnates vocauit.) hāc materiā comportāt in suā

Paracelsi phantasma de Meteorum generatione absq; metu infamiæ vix potest recitari.

Pēnates architecti sunt fulminum.

stellam: & in ea deinde sulfur primum liquant: mox nitrum leuiter calefactum permiscent: ad extremum hydragyrum cum ambobus confundunt. Ex hac materia primum calor exoritur: deinde effundit eam stella in aerem. Sic oritur ante alia nubes: quæ propter loci altitudinem & subtilitatem materiæ vix cerni potest, priusquam descēderit propius. In aere postea densatur & pficitur, (quod in stella fieri nequit.) hoc modo. Postquā inter se pugnare inceperunt, ebullit nitrū, & in sulfure manere recusat. Iam augentur gradus ignis in aere, pro vt nitrū magis ac magis intumescit. Quoties inflatur, massam concutit, aperitur nubes (Quæ nil aliud est, quàm fumus ex illa materia exiens.) & exilit fulgur, radius videlicet ignis ex massa emicans. Aucto calore mercurius tandem & ipse suscitatur. Hoc irritato cōfestim flamma ex massa per omnē nubem perrumpit: ac sequitur continuò tonitru: cuius generatio hæc est. Ex contrarietate & mutuo impulsu triū prędictorū oritur fragor seu strepitus (ac si hydrargyrū infundatur argento;) qui est tonitru. Ad extremū vniuntur in massam vnā, quæ obducitur putamine seu cortice instar oui. Hic cortex, quantò ad maturitatem accedit massa propius, clauditur firmius. Interim nubes resoluuntur in aquā: quæ cum attingit massam in suo cortice conclusam simile quid accidit, ac si frigida infundatur æri liquefacto. Rumpitur enim actutum massa & dissilit in omnes partes. Quo frusta abscedunt, totidem tonitrua fiunt: massa autem excusso igne versus terram impetu fertur. Est itaq; fulmen corpus, nil aliud existēs, quàm ignis in massam paruam coactus. ER. Vellem, si possem, quædā ad sensum reuocare tollerabilem. Quod de testa dicit, ferri posset, si densam vellet eos intelligere nubē. Et si, qd de inclusa refert massa, nos pateretur accipe de spiritu calido, tenui, & sulfureo. Accenditur hic Spiritus à motu

Nubes quid apud Paracelsum.

Generatio tonitru apud Paracelsum.

Fulmē quid

à motu & fuga contrarij,tantoque fertur impetu deorsum. Hanc rem si exprimere voluit aquæ contactu,non pessimè sensisse,at pessimè locutum esse dicemus. Placet hoc etiam,quod fulmen dicit ignem esse, vel spiritum accensum ex nube eiaculatũ asserit. Quanquã hîc, vt in alijs locis,nõ sibi satis constat. Etenim fulmen scribit inueniri frigidum : cuius massa in lapidem concrescat ex sale: principiumque siue semen habeat frigidũ. Quomodo ignem esse defendet? Aut quomodo huius testa ab infusa frigida disrumpetur? Coagulari lapidem hunc salis dicit modo à se ipso,modo à spiritu salis cœlestis. Nam in lib. de Tartareo lapides ait ex vapore in in aerem sublato,& à spiritibus cœli condensato generari. Et hos aliquando in aere dicit concrescere,vt in loco iam citato,aliquando in ipsis stellis compingi ac perfici,vt in Meteoris. Similia scribit in lib. de Podagr. non de terra sublata in altũ fuisse lapides & ferrũ,q̃ nonnunquã decidisse legimus. Quanquã verò idem in Meteor. bis affirmauit,non tamen pro more suo,non etiã cõtrarium in eodem asseuerantissimè scripsit: scilicet tam non posse fieri vt in cœlo generentur lapides,quàm impossibile sit in terra cudi fulmina. Scio enim fatale ei fuisse, vt in vera sententia nunquam persisteret. Sic non pudet eum in vno versu contraria scribere. Grando, inquit, non est nix, sed aqua congelata : & nunquam tamen fuit aqua. Quomodo potuit aqua, quæ nunquam fuit, congelari? Displicet maximè, quod nec sensus nec rationis,nec Sacrarum literarum testimonia tanti facit, quanti suos æstimat impetus, vel potius Cacodæmonis afflatus. Non obscurè ex citatis ex verbo Dei sententijs colligimus, Deum omnipotente virtute sua in creatione sic disposuisse,vt ex halitibus de terræ superficie in altum sublatis variæ & admirandæ illæ tot meteorum species orirentur. Docent

Fulmen inuenitur frigidũ : quod est lapis.

Generatio lapidum.

Paracels. non pudet in uno uersu contraria dict. scribere.

idem nos ratio ſenſusq; noſtri. Etenim pars maxima eõrum fiunt in nubibus & ex nubibus, aut non ſine nubibus: quas de terræ ſuperficie in altum aſcẽdere ſcriptura tã explicatè teſtatur, vt ſine impietate dubitare nullus poſſit. Quòd ſi aliqua fiunt nullis apparentibus in aere nubibus, ex eo euenire intelligimus, quòd vapores elati pauciores & rariores ſeu magis diſperſi ſunt, quã vt perſpici à nobis ſic valeant, quomodo in nubem coactos cernimus. Quæ cum ſic habeant, quid de diſcipulis ſentiendum ſit, vides, qui puerilem errorem eſſe aiunt talia vaporibus & exhalationibus aſcribere. Sanè qui eiuſcemodi auſu nefario ſcribere non eſt veritus, dignus eſt, qui Paracelſi vocetur & exiſtimetur diſcipulus: κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν. Tantò fuiſſet authori obtabilius ac melius puerum hac in parte nobiſcum videri potius, quàm Paracelſi ſpiritu agi, quantò præſtabilius eſt verum mendacio. Videat ne pro ſenſu puerili animum ipſe barbarum & impium oſtentet. Quid verò? An puerilis error eſt, cum id aſſerimus, quod & verum eſt, & Deus affirmauit, atque omnes omnium ſeculorum docti homines certiſſimis rationibus perſuaſi crediderunt? Nunc reliqua examinanda forent monſtroſi hominis monſtroſa placita de Meteoris: quę ob id perſequi non eſt animus, quod ex his, quæ exempli gratia propoſuimus, perfacilè vnuſquiſque de reſtantibus iudicium facturus ſit. FVR. De ſubterraneis reſtant quædam explicatione indigentia. Sunt enim in generatione metallorum & ſimilium quædam obſcura admodum, & non leuiter controuerſa, de quibus tuam audire ſententiam vehementer aueo. ERA. Scripſerunt de ſubterraneorum ortu & cauſis poſt veteres, cum alij quidã, tum nouiſſimè Georgius Agricola eruditè & perſpicuè. Horum commentarios vt euoluas iubeo: vtque Aurifabricatoribus iſtis, qui ſe Philoſophos nomi-

Non eſt error puerilis, pluuiam vaporibus aſcribere.

Georgius Agricola.

nominant, non temerè fidem habeas moneo. Quod vt rectius possis facere, legam tibi, quę ante aliquot annos de hac re meditatus fui. Etsi autem, quæ tum agebam, huc omnia non pertinent, non sunt tamē ab instituto nostro prorsus aliena. FVR. Oro te plurimum, vt mihi ea recites: sed vt lectione hac ad finem collationis huius reiecta, nunc pergas ad reliqua. ER. Sic faciam. FVR. Ergo de lapidum generatiōe quid sentis? ER. Quòd docti omnes sentiunt. Cū Paracelso ideo non facio, quod nec veri aliquid de hac re attulit, nec sententiam vllam constanter tenuit. In hoc maximè constās fuit, ut daret operam, ne vsquam sibi constaret. Cæterùm cum in disputatione de lapidibus nulla sit vel difficultas vel obscuritas, Paracelsi opiniones pugnantes paucis perstringam. In lib. cui titulum fecit, Vexationum, scribit Metalla sub terra delitescentia in naturales & veros lapides permutari. In eodem ait: Lapides terrenos à sideribus originem ducere, quod eorū sint carbones, cineres, excrementa, & purgamenta: imò globum terrę totum nil aliud esse, quàm excretam, fractam, collapsam, tritā, iterumq; colliquatam massam lapideā in hoc mediū proiectā. Item, Gemmæ ab hominibus in rudi terra vel saxo inueniūtur, vnde vulgus, qui de omnib. falsas habet opiniones, putat ibi natas esse, vbi & quomodo inueniuntur, cum è sideribus deriuatæ sint. Idem ferè in Meteor. dixit his verbis. Lapidum (qui cum fulmine deijciūtur) horum generatio est in stellis. Fulmen enim frigidum nihil est aliud, quàm durum sabulum instar lapidum aliorum. Iam si cœli natura in fulmine frigido lapidem generat, fieri etiam potest, vt sine fulmine tales lapides decidant in terram. Hæc sub finem eius libri, cum non multò prius expressè cōtrariū scripsisset, sicut paulò antè, cū ne frigido fulmine ageremus, monui: in quo loco q̄dam alia ad lapidum generatiōem spectātia diximus.

De lapidū generatiōe.

Metalla permutātur in lapides.

Lapides sūt excremēta siderum.

Gemmæ è cœlo delabuntur.

In lib. de Podagr. ex Solis lumine concrescere ait. Aqua,
» inquit, est aqua, nec habet corpus aliud, sicut nec plu-
» uia. At ex Elemento, quod in ea inest, fit corpus: metal-
» lum, lapis. Sic etiam in astro ignis. Sol præter splendo-
» rem siccum nihil habet, qui nō est corpus: nec in se cor
» pus habet à nobis perceptibile: licet ex eo corpus videa
» mus nasci. Vnde lapides ex cœlo cadentes? Non tollun-
» tur sanè de terra, vt in cœlo perficiantur. Quicquid hoc
» est, nihil est. Mare & terra sua seruant generata: nec ex
» his aliud fit, quàm quod illa ex eis faciunt. Si decidant
» lapides, ferrum, &c. vel ex Sole, vel ex Planeta decident,
» qui in se generat: in quo etiam insunt, vt eorū proprie-
» tas declarat. Primùm dicit metalla & lapides ex aqua gi
gni: mox ex Solis lumine nasci ait. Quid ad hęc monstra
» dicemus? Ad Athen. Lapides, inquit, quos nos habemus
» perinde reperiuntur in alijs Elemētis atque hîc: tamet-
» si non sunt lapides nostris forma similes, sed suam ob-
» tinuerūt formam. FVR. Si, quos nos habemus, ij etiam
in alijs Elementis inueniuntur, quomodo formis diffe
runt? Nisi per formam intelligat figuram, a t simile ali
quod accidēs, nunquam ijdem fuerint cum apidibus,
quos nos habemus. ERA. Ego contradictionibus sic
me assuefeci, vt ab eis non multum commouear. Hanc
ob causam non semper indico. In primo ad Athen, text.
15. manifestè affirmat ex terra generatos esse lapides, me
talla, metallica, ligna, & huius farinæ alia. Idem in fine
horum librorum affirmat his verbis. (Quæ non multò
Corporea et incorporea edere ac bibere oportet. antè citauimus.) Propter hanc causam, quia scilicet res
corporeas & incorporeas edere bibereq; opus habēt,
lapides ex terra oriuntur: sed ex suæ naturę familiari ha
bitu. Tale quid in secundo Archid. affirmat, dicens. Ele-
menta corporum multitudinem & paucitatem sumūt
ex substantia: sicut lignum plus in se habet ignis, quàm
plantę. Sic lapides amplius in se habēt siccitatis & terrę,
quàm

quàm resina. Si ergo plus est in lapidibus terrę, quàm in resinis ex arboribus exsudantibus (quas ex terra nasci confitetur) non minus terræ suam originem acceptam ferent lapides. Hoc apud Paracelsum eiusq; discipulos, qui sibi videntur plus alijs in doctrina Magistri profecisse, axiomatis loco habetur: Res quaslibet ex vnico Elemento tum generari tum conseruari. In 3. ad Athen. fabricat lapides ex fumo quodā, quē ipse appellauit enur. Vbiq; aliâs constanter affirmat, Lapides & metalla ex aqua cōfieri. Et quanquā aliquando scribit elemētū vnum egere aliorum opera ad sui fructumq; suorū sustentationem, frequenter tamen cōtrarium quoq; pro more suo affirmat: Vnumquodq; elementū sibi sufficere: opeq; aliena minimè indigere. Quę hîc verborū, sententiarū ac rerū pugna? Pugnant aduersus hæc omnia quidam ex discipulis, lapides obscuros ex vapore aquæ & terrę impuriore fabricantibus: quorum sententia minus abest à veritate, quàm Paracelsi. Sanè audet is scribere, quālibet rem per corruptionē in elemētum illud resolui, ex quo compacta fuerit prius. Cogitur ergo cōfiteri, si tueri constanter hypothesim volet, saxa & lapides in aquam conuerti. At hoc tam est falsum & ab omni veritate remotum, quàm illa sunt, quod videlicet in stellis, vt in ollis, coquantur pluuiæ, niues, grandines, aliaq; talia: & quod lapides atq; ferrum ex Solis lumine concrescāt. Non vereor inertissimos & imperitissimos appellare, quicunq; talibus nugis fidē habēt. Quis porrò nescit saxa plurima ab igne nullo eliquari, sed in puluerem & cineres tantūmodo dissolui? Quod quidam lapides fundi ab igne possint, nō nescimus. In quibus si dicat plusculum aquæ cōtineri, quàm pro partium cohęsione opus fuerat, eiusq; ratione instar metallorū liquari, non repudiabimus eum. Si in aquā dissolui asseueret, aut plus in se aquæ quam terræ continere con-

Lapides ex fumo Enur.

Saxa in aquā naturaliter solui oportet, si ex aqua cōcreuerunt.

Lapides multi ab ignē nō funduntur.

tendat, meritò ipsum explodemus ore, manibus & pedibus. Si idem de illis etiam, qui fundi ab igne nunquam possunt, sed in puluerem duntaxat ab eo resoluuntur, affirmet, indignum esse iudicabimus, quo cum de his rebus disseramus: vt quorum principia nec dum comprehensa teneat. Quid enim aliud isti sunt lapides, quàm corpora terrea, eousque compacta & indurata, vt nec ab humore solui, nec à calore liquari & emolliri queant? Etenim humidi in eis nihil est relictum, nisi quantum ad partium continuationem necessarium fuit. Quod cum sit tenax & lentum, cum terra probè mistum, ab igne consumi potest: (Hoc facto conuertuntur partes terreæ in puluerem.) fluidum effici propter paucitatem, tenacitatem, & mistionem cum terra crassa & sicca non potest. Sed quid ago? Præter animi sententiam decretumque ad confutationem ineptiarum Paracelsi fermè prouectus fuissem. At non est necesse: cum ipse tot absurdis & vix vlli credibilibus contradictionibus plus nimio semetipsum refutet. Non enim fieri potest, vt is de sententia rei alicuius certus sit, quisquis de eadem pugnantes opiniones cum in diuersis tum in eisdem locis tradit. Quomodo enim non idem semper affirmet, qui veritatem firmè cognouit? Nullus dicit plumbum esse, quod argẽtum esse certò nouit. Si non pugnantia tantum, verùm etiam contradictoria, & ab omni hominum sensu atq; opinione remota de re vna eademq; asserat, ne pro sano quidem haberi poterit, quisquis ista facit. At facere id Paracelsum, nullus posthac, spero, dubitabit: dummodo examinare placita eius in animum induxerit. Lapides in aqua generari quosdam nõ negamus. At ex sola aqua, tanquam ex materia, in quam iterum solui possint, concretos esse, ab id constanter negamus, quod sensus, ratio omniumq; eruditorum consensus

Qui de re eadem pugnantia affirmat, nõ est certus de sententia.

sensus falsum & ementitum demõstrauerint. Demiror non quidem Paracelsum, quem à Cacodæmone demẽtatum & impulsum talia scripsisse nimis cõstat; sed discipulos, quòd videlicet non animaduerterũt præaltas illas rupes & immania altissimorum mõtium saxa nulla prorsus verisimilitudine ex aqua fabricari. Et cum ignem experiantur aquam, & ex aqua conflata cuncta consumere, inq; spiritum cõuertere, lapides autem ab eodem quotidiè videant in cinerẽ & calcem, hoc est, in terram & puluerem dissolui, in halitum conuertere nunquam posse, quis non miretur eos talia laudare & probare? Scio ex veteribus quosdam putauisse metalla ex aqua maxima sui parte constare, quia ab igne funduntur: at ex sola aqua concreta esse nunquã putauerunt. Multo crediderunt minus lapides, quos ignis fundere nequit, aquæ sobolem esse. FVR. Paracelsus quoque terræ in se aliquid retinere non inficiatur, opinor. ER. Si seruare vult hypothesim suam, res quaslibet ex vnico Elemento natas esse, aliorum non egere, velut materia, non poterit se hac ratione extricare. In libro 2. ad Athen: quem discipuli mirificè cõmendant, (& tantùm nõ sacris literis æquant) sic scribit: Nõ possunt coniunctim manere elementa. Etenim res nulla composita est, vel ex quatuor, vel ex tribus, vel ex duobus elementis, sed ex vnico res creatæ omnes constant: quæ verba suprà quoq; recitauimus. Eandem sententiam repetit in eodem lib: textu 4. & 13. atque alibi sexcẽties. FVR. At in compluribus locis illud etiã affirmat, quod dixi. ER. Hoc ipsum est, quod toties dico, cum sibi nunquam & nusquã constare. Quare lapides sunt, quicunq; credũt vera esse, quæ de lapidib. Protheo quouis mutabilior, & pluuia quauis leuior protulit. Veram de lapidum natura, differẽtijs ac speciebus, singulorũ causis, ac generatiõis modo, sententiã, poteris legere apud

veteres & recẽtiores. Scripſerũt poſt Albertũ elegãter, doctè, copioſè, de hac materia Georgius Agricola, Andreas Mathiolus, & nouiſſimè Gabriel Fallopius. Horũ diſputationib. cum neq; addere aliquid neq; lucẽ maiorẽ adferre poſſim, ad ipſos te allegabo. Facilè pro tuo iudicio intelliges, quid in ſingulis tanquã verùm amplectendũ, aut velut falſum prętereundũ ſit. FVR. Pręclarè nunc video incredibiliter abſurdã eſſe Paracelſi & Sequacium ipſius ſententiã, qua ſingulis elementis ſuos peculiares fructus aſſignant. Etenim res mundanas oẽs in quatuor claſſes diſtribuunt, atq; ſingulas ſingulis elementis tribuunt. Singula namq; ex ſe parere cõtendũt fructus ſuos, vt ab alijs nihil mutuenẽ materię. Sic ignis ſiue cœli fructus ex ſolo igne, vt ex materia naſci aiunt: idemq; de cęteris affirmant. Non indigent (inqt ad Athen.) mutua opera: niſi quatenus vnũ cõtinet, alia cõtinentur. Quòd ſi hęc eſt mens & ſententia eorum, ambigi nõ poteſt, quin ita falſa ſit, vt falſius nihil facilè poſſit excogitari. Quoniã firmiſſimè huc vſq; demonſtratum perſpicio, non modo cum ſenſibus noſtris, cum ratione, cumq; eruditorũ omniũ ſentẽtia, ſed cum ipſa etiam pietate pugnare quod aſſerũt. Quomodo namq; potuiſſent nix, grando, pluuia, & res aliæ huius generis, ex igne vel cœlo, vt ex materia, concreſcere: cum vix aliud igni ſit inimicius? Quòd ſi ex ſe cœlum tales fructus gigneret, nutriri quoque oporteret. Iam enim dudum generandis tot pluuijs alijsque talibus abſumptum fuiſſet: niſi in abeuntis materiæ locum alia ſubinde ſucceſſiſſet. Miror plurimum, quoties rem expendo diligentius, cur, cum rorem, pruinam, mannam, aeris partus ponant, pluuias, niues, grandines, & ſimilia pronaſci velint ex igne potius, quàm ex aere? Sanè quomodo excuſem eorum inſaniam non reperio, niſi fortè hoc voluerint dicere ab igne & cœlo

Georgius Agricola. Andr. Mathiolus. Gabr. Fallopius.

Cœlum fructus inſtar arborũ non fert, cũ non nutriatur.

hæc

hæc excitari, vt à causa effectrice: quod Aristoteles quoque probauit ER. Nō potes hac ratione excusare. Quā enim clarè scribit Paracelsus hęc in ipsis generari stellis, & ex eis tanquam ex olla in aerem effundi terram versus? Nec aliter intellexerunt Discipuli, dum sic scribunt. Et tamē mirabuntur plurimi sidera cœlestia grauida esse, pluuias, vētos, tonitrua, grādines, niues, illinc ad nos demittere: puritate & incorruptibilitate firmamenti persuasi. Et mox rationem reddituri cur à corpore puro tam impuri generētur fructus, ideo fieri putant, quia non respondeant suis exordijs: & quia in peregrinis matricibus deponantur. Idem hoc Paracelsus explicatè sæpius affirmauit: & obscurius tunc indicauit, cum in stellis perfici posse meteora negauit, Aerē veluti cellam & officinam statuit, in qua talia absoluātur. Quam scitè verò sibi constet, frequenter satis audimus. In Meteoris aliquoties affirmat ex fructibus cognosci quid & quale id sit, quod eos protulit: & hoc argumento, quod corpus aliquod produxit, corpus esse probat. Item, Omnes fructus, inquit, corpore & Spiritu similes sunt elemēti, ex quo pronati sunt. Statim ab initio ait, Quale hoc est, quod ab alio gignitur, tale quoq; gignens esse oportet: quemadmodū ex flāmula fit flāmula, & ex solano generetur solanū. Quo pacto igitur ex igne vel cœlo, (quod in lib. ad Athen: nil aliud esse dicit, quam exhalationem seu fumū adeo calidū, vt verbis exprimi nullis possit) procreabuntur res adeo inimicę igni? An aqua, nix, grando, in igne inest? Sanè inesse oportet, si ex eo generantur. Quippe in libro de Morb: inuisibil. hoc argumento constanter, imò pertinaciter, contendit ex humoribus neq; calculos, neq; sabulum, arenasuè gigni, quia in humoribus non insint. Nihil autem, inquit, ex aliquo fit, nisi prius in eodem illo insit. Ex elemento ignis, inquit alicubi, calor &

Ex quo gignitur aliquid simile oportet esse genito.

Cœlum nil est aliud quā fumus feruens.

frigus, calida & nix prodeũt. Et ad Athen: Non quia res quæpiam frigida est, à frigido ortum habuit: cum ab igne frigida complura originem traxerint. Quicquid enim crescit ab ignis Elemẽto nascitur. Rationem si postules, hanc tibi reddet, elementa plurimas in se multiplicesq; habere qualitates. Sed ne hîc quidẽ sui dissimilis est. Nam aliquando ignem vel cœlũ calidum & siccum duntaxat esse ait. Huc illud etiam pertinet, quod constare vnumquodq; ijs asserunt, in quæ dissolui potest. Iam pollicentur nobis rerum quarumlibet in quatuor distincta elementa solutionem. Non igitur ex vnico facta res vlla fuit. Ceterùm quia ineptire cœpi incredibiles ineptias recitando, locum ex 2. ad Athen: totum adscribam. Haud ita est, ideo rem quampiã, quia frigida est, à frigidis elementis natam, sed à calidis: & ex ignis elemẽto hîc multæ existũt res frigidæ. Quicquid enim crescit, ex igne est, in alia tamen forma. Quod fixum seu concretum est, ex elemento terræ est: & quod nutrit ex elemento aeris: quod aũt corrumpitur, ex aqua conflatum est. Nam crescere ad solum ignem pertinet: qui cum desit res crescit nulla. Quod si terræ elementum non esset, nullus esset incrementi finis. Quippe figit, hoc est, terminat ignem. Sic etiam nutriri nulla res potest deficiente aere: cum ex aere solo res cunctæ alantur. Sed nec rumperetur (aut corrumperetur) aliquid, si aquæ deficeret elementum. Quoniam aquæ causa siue per aquam extinguuntur inque nihilum reducuntur vniuersa. (Simile quiddam in libro de Insania videtur dicere voluisse, cum rationis nostræ corruptorem facit solum ignem: & quod corrumpitur solam aquam esse ait. Nam intellectum nostrum aquam dicit esse volatilem subtilissimam instar extenuati vaporis. (Postmodum text. decimo. Quanquam verum est, inquit, reliqua tria elementa nobis

Paracelsi verba de elementorũ officijs plus quam monstrosa.

seruire

seruire pro alimento. Semper enim tria seruiunt quarto,& habitantibus in eo. Si vera sunt hæc, imposibile est alterum illud, nempe, res omnes ex vnico constitutas esse elemento. Etenim viuentia omnia crescunt:& proinde ignem in se habent:nutriuntur, ideoque aerem continent: desinunt augeri ac terminatam habent magnitudinem, atque ob id terram obtinent:corrumpuntur deniq;,eaq; de causa aquam insuper sortita sunt. Et cum Paracelso viuant & edant omnia etiam elementa(tametsi alibi corpora visibilia mortua & ociosa ponat cum suo grege, vt perpetuò à se ipso dissideat.) omnia vnà cum elementis composita fuerint ex quatuor elementis. Circa fin.lib. ad Athen.ipsum crescere tribuit fumo ex ebullitione terrę eleuato. Fumus, inquit, semper ascendit ac tumefacit seu distendit. Quādiu res bullit, tamdiu etiam crescit, cū desijt ebullire, cessat etiam fumare: quo tempore finitur coagulatio & crementum. Hic cessationis incrementi causam facit ebullitionis cessationem, cum paulò ante terram hoc rebus præstare statuisset. Ad extremum illud etiam hîc referam, quod in Astron. magna res ex nullis elementis creat: quam eius fatuam opinionem Ideæ author præ cæteris arripuit, amplificauit, ornauit, inculcauit. Omnia seorsum creata sunt, inquit, qualia esse debent. Id si est, quid mater eis vel dare vel adimere potest? Nihil. Infans nec ex matre nec ex patre est, sed ex semine creatus: etsi iuxta naturæ ordinem concipi ac generari necesse habeat. Hac ratione ex terra plurima nascuntur temperamento & qualitatibus dissimilia: vnumquodque è suo semine, à quo proprietatem suam accipit, non à matre. Hoc tantùm à matre habent, quòd terra sunt,& in terram iterum soluuntur: pręterea de terra nihil obtinent. Sic quę ex aqua cō crescunt, nihil aquæ retinent, præter quàm quod tandē

Ipsius crementi rerū causa quæ sit iuxta Paracelsum.

Res ex nullis elementis fiunt.

aqua rursus fiunt, sicut prius fuerant. In his verbis contendit res neq; ex vno neq; ex pluribus elementis fieri, sed de priucipio creatas esse tales, quales existunt. Et vix dixit ex matre nihil eas accipere, cum ex semine conflari enasciq; mox affirmat. Quis semen ex sanguine animalis gigni nescit? Neq; multò post è terra accipere ait res de terra natas, vt in terrã iterum soluantur. Quæ monstra sunt hęc plus quam Turcicam spirantia impietatem? Non sunt de principio creata indiuidua, quæ nunc nascuntur. Nec minus vertuntur in terram semina tum animalium tum plantarum, quàm animalia & plãtæ. Terra igitur constant ipsa quoq;. Quis post natos homines portentosiores sententias & contradictiones monstrosiores vel vidit vel audiuit? FVR. Satis, imò nimis multa de his strumis dicta sunt. Illud nunc breuiter consideremus, quod elementa, lapides, metalla, (paulò post, puto pluuias, niues atq; alia talia coniũgent.) viuere non minus dicunt, quàm plantas atque animalia. Riderem hoc, nisi alios etiam talia defendere animaduertissem. De recentioribus loquor, vt Cardano. Democriti namq; & sequacium opinio vnà cum hypothesibus suis iam olim explosa fuit. Posuit enim hic omnem motum ab anima esse: hancque ignem & calorem putauit siue atomos rotundas. Idem de Empedoclis, Thaletis, Diogenis, Heracliti, quorum in 1. de Anima meminit Aristot. sententia iudicãdum est. In eodem censu Hippocrates collocãdus, cũ aliud nihil esse animã dixit, quã cœleste calidũ: de qua re suprà multis egimus. Horũ dico meritò ridemus opiniões, qa rationes sentẽtiæ suæ vel nullas, vel friuolas & putidulas habuêre. At Cardanus visus est qbusdã partes suas nõ cõtẽnendis argumẽtis tueri: quę mihi à te dissolui velim. ER. Petis à me frustra. Nolo te hîc detinere lõgius, ꝓpterea quod ijs, quę aduersus stolidũ Cardani somniũ attulêre

De uita lapidũ & metallorum.

dere Iul. Cæsar Scaliger, Exercit. 101 & 102. & Gabriel Fallopius in tractatu de Metal. & fossilibus, nihil admodum addere possum. FVR. Ergo ne ad Paracelsi quidem eiusque discipulorum argumenta, quibus animam & vitam dant lapidibus ac metallis, respondebis? ERAST. Si respondendum putas, recita. FVR. Illud omitto volens & sciens, quod ad Athen. ait, Elemẽtum nil aliud esse, quàm animam: quodq; anima elemẽti vita sit omnium creaturarum. Quippe dicit solùm, rationem adducit nullam. Adde quod paulò prius dixerat, primam elementorum materiã vitam esse omniũ creaturarum: vt vel animam & materiam pudendo errore putarit idẽ aliquid esse, vel amens fuerit, ac quid scriberet planè nesciuerit. In lib. de Med. cœlesti (rectius dixero, Tartarea.) hæc legi: Nullus ostendere valet metalla vita destitui, cum ipsorũ oleum, sal, sulfur, Quinta essentia, remedia sint præ alijs ad instaurãdas vires præstantissima. Nisi viuerent, quo pacto morbos depellerent? De Caduco matricis videtur corpora omnia mortalia facere: ex quo sequitur omnia viuere. Solis lumen inquit, est corpus: lux quoq; est corpus. At corpora hæc non sunt tactilia, & tamen sunt corporata. Nihil enim est corruptioni subiectum vel mortale, quod corpore caret. Quoniam in solo corpore mors inest. Lumen & lucẽ, (quæ ratio in alijs etiam qualitatibus locũ habet) ideo corrumpi existimat, quia corpora sint. Nam quod corpus nõ sit, ne corruptibile quidẽ opinatur. Cũ ergo corpora omnia videamus corrũpi, quod ipse vocat mori, omnia quoq; viuere oportet. In quo enim mors est, in eodẽ vitam fuisse certũ est. Quanquã alibi corpora semper vbiq; & omnia statuit mortua. In lib. de Modo pharmacãdi, Lapides, inquit, edunt ac viuunt. Excremẽtum eorum est muscus. Ventriculũ suum habent extra se. Adamas aere sicco alitur: excrementumq; eius aeriũ

Elementum est anima, & vita rerum.

Prima elementorum materia est vita.

Rationes probantes Metalla & lapides viuere.

Mirabilia de vita lapidum.

est:quemadmodum aliorum quorundam. Item cibos omnes viuere asserit,hoc argumento,quòd non fœteant. Quod ergo non viuit,fœtet. Et quicquid grauiter olet ac fœtidum est,vita caret. His igitur argumentis subnixus(cætera iam non occurrunt) affirmāt lapides aliaque corpora viuere. Quæ præbent ex se oleum, salem,sulfur,Quintam essentiam, pro debellandis morbis in instaurandis viribus efficacia,viuunt. Item,quæ moriuntur seu intereunt,viuunt.Item,Quæ edunt siue aluntur,viuunt.At lapides edunt,& excrementa sua excernunt. Item, Quæ fœtore carent alimenta viuunt.

Cibi omnes uiuunt.

" ER. Addam ego his,quæ discipuli adferunt.Quod à vi
" uente producitur, scribit quidam, viuit. At quicquid
" fit,à vita mundi producitur.Nihil enim generat, nisi vi
" uens animamque habens, tametsi aliud sit vita, & a-
" liud sit anima. Est autem vita, ignis in humido
" suo radicali motum naturalem excitans: quem ali
" oportet, ne dissipetur. Sicut vita sine alimento per-
" durare nequit,ita nec anima sine aere:cum ex his vtra
" que naturaliter sustentetur. Qui elementa vitam ani-
" mamq;habere inficiatur, generationē rerū tollere co-
" natur Nisi enim materia & forma viuerent, incassum
" laboraret natura (quæ non alibi, quam in elementis
" tum superioribus tū inferioribus reperitur.) cui simul
" cum illis data est à Deo vita,separatim nulli. Hic sic positis,lapides & metalla viuere probant.Magnetis actio, est actio vitæ.In cote & ferro ignis est: cū absq; illis vix ignem haberemus.Ignis autē est vita.Hematites sanguinem sistit.Carbunculus noctu lucet: Gagates attrahit paleas:eiusq; oleum,& fumus Dæmones fugant: Ergo viuunt.Elementa viuunt,ergo & ex his cōposita.Ex metallicis aquæ parantur metalla & lapides in aquam resoluentia:Ergo viuunt.Cœlum viuit:nec præter vitam aliud reb. infundit.Quod agit,viuit.Breuiter,Quæcūq; naturaliter

Omnis actio à uita. Ignis est uita.

naturaliter habent,viuunt:quæ aũt contra naturã affe
cta sunt,mortua sunt:vt partes de suo toto auulsæ. Sed
audi quæso alios illos, qui impudenti animo & planè
barbaro supercilio omnes omniũ ætatũ doctos homi-
nes præ se contẽnere, & velut ex alto despicere audẽt.
His ego, (qui sibi mirificè placere ferũtur,ꝙ ante annũ
ætatis trigesimũ talia fuerint ausi,)opto,vt cũ ętate pu
dẽtiores fiãt,cũ impudẽtiores effici nequeãt.Mineralia
viuere hi dicũt,ꝗuis corporũ compedib.implicata,vita
les actiones deꝓmere nõ possint,priusquã in actũ redu
cantur.Vitę interim manifesta indicia fossorib.sępè de
monstrauisse aiũt:& quę ea sint explicãt his verbis.Cre-
scunt enim,maturitatis tempora habẽt,nutriuntur,ex-
crementa pariunt: quæ potẽtibus paroxysmis sæpe re-
ijciunt,magno metallicorum pauore: alia paulatim in
superficie relinquũt. Et quid verbis opus est? Quæcũq;
saporum & odorum valida facultate prædita sunt, ea
quis mortua pronunciabit? Vitarũ discrimina sunt &
gradus:nec omnia manifestè viuunt. Quòd si Philoso-
phis credimus,quæ manifesta vita fruuntur,ex eis com
poni videbimus,quæ occultè quondã vixerunt. Itẽ,fru
ctuũ digestiões,maturitates,partus,ortuũ & occasuum
testes, vitæq; sunt munera. Quæ cum Sidera demon-
strent,non sunt mortua corpora,vt vulgus arbitratur.
Etenim pluuijs,ventis,niuibus,grandine grauida sunt,
easq; fruges nobis de cœlo demittũt. Eadem verbis to-
tidem fermè repetita inuenies cap. 8. Cum crescentia
& ad maturitatem quandã certis temporũ interuallis
tendentia,orientia,occidẽtia, fructus suos producẽtia,
alimentũ transmutantia, excrementaq; reijcientia vi-
uere ait. Idem dicit cũ illis, quæ in 2. & 3. argumento
Paracelsus attulit.Sic quando viuere scribit,quæ ex oc-
cultè viuentibus conflata sunt,cum altero illo ex eodẽ
grege consentit.Quando saporũ & odorũ valida facul

Vitæ manifesta indicia in metallis, quæ sint.

Sidera viuunt.

rate prædita mortua negat: id affirmat, quod in primo argumento Paracelsus, & alter ille fermè in omnibus asseruit. Omnia enim hac ratiocinatione nituntur: Omnis actio à vita proficiscitur. Ergo quæcunq; manifesta virtute agendi ornata sunt, vita instructa sunt. Ventos, pluuias, niues, grandines, &c. non ex stellis enasci, sed ex halationum de terra & aqua ascendentium partus atque soboles esse abundè suprà demonstratum, diuinoque testimonio comprobatum fuit. Nec absq; immani scelere contradicere veritati ac sententiæ à nobis expositæ quisquam poterit. Etsi igitur cœlestia sidera, vt efficientes causæ ad horum generationem concurrũt, non tamen huiusmodi ex se pariunt. Quamobrem puerile, putidum, falsum, adeoq; impium est hoc argumentum: pluuiæ, niues, & tempestates certis definitis temporibus in cœlo & stellis generantur, coquuntur, maturantur, effundũtur: Ergo sidera viuunt. Planè mentita sunt omnia. Sidera (in primis Solem atq; Lunam) creata scimus à Deo, vt diẽ, noctem, estatem, hyemẽ, aliaque tẽpora distinguant, aeris mutationes, quas experimur, adferãt, & hac ratione rerum omniũ ortus, incremẽta, alterationes, coctiones, maturationes, decremẽta, & interit moderẽtur: animata ob id esse Spiritus Paracelsi nunquã probabit. Perit simul, instar fumi in aerẽ dispersi, argumentũ, quo monstrare se putãt vitã inesse rebus omnibus, quæcunq; ordinatè fiunt & intereũt. Etenim ordinatè fiunt, q̃ tũ ab animatis, tũ ab inanimatis reb. proficiscũtur, quæ ob id vita prædita nõ sunt. Quis negat vrinas, stercora, sudores, muccos, saliuã, certis statisque tẽporib. generari, maturari, corrũpi? Atq animata qui hæc putat, anima ipse caret. Nõ igitur anima præditа esse oportet omnia, quęcũq; ab animata re ꝑfecta generatauè sunt. Sed nec ab inanimatis orta necesse est animata esse, quæcũq; ordine certo fiunt, augẽtur, intererunt.

Siderum officia quæ sint.

Nec ab animatis nec ab inanimatis ordinatè producta necesse est viuere.

reunt. An non ſtatis temporibus dies, nox, hyems, æſtas, redeunt & abeunt? Animata porrò hæc tēpora eſſe ſoli illi fortaſſè opinabuntur, qui qualitates & lumina corpora eſſe ſtolidè credunt, & improbè ſcribunt. Vix puto hactenus eos inſanire, vt etiã pluuiæ, rori, grandini, ventis, nubibus, vitam largiantur. At hæc digeſtis quibuſdã temporib. generantur, augentur, maturantur, perficiuntur, iterumq; diſſoluuntur. Non ergo ex eo, quod aliqd ordinatè fit, oſtendi poteſt, vitam ineſſe, vel ei quod fit, vel ei à quo efficitur. Quęnam iſta eſt hominum demētia, vt res animatas ſolas ordinatè fieri & interire arbitrentur, inanimatas iuſſui diuino minus obtemperare putent? Non minus (imò fortaſſè magis,) hæ quàm illæ ordinatæ ſunt. Si animæ ordinis in hoc mundo cauſæ duntaxat eſſent, atque ab eis omnis ordo manaret, tantùm in animatis ordo quærendus eſſet. Iam cum rebus omnibus ordinem præfixerit Deus, atque animatæ eandem ob cauſam ordinatè agãt, propter quam inanimata debito ſibi tempore oriuntur & occidũt, nempe propter iuſſum Dei, & vim à Creatore inſitam, perperam ex his vita & anima inducitur. Et non leuis eſt impietas, putare, Deum non voluiſſe res inanimatas ortus, augmenti, ſtatus, declinationis, maturitatis, ſenij, corruptionis, certa tēpora, loca, cauſas habere. Et quid aliud eſt Natura, quàm iuſſus Dei, quo rerum ſeries, effectiones, coniunctiones, ſeparationes, mutationes aliæ omnes, ritè atque ordine perficiuntur? An in ſolis inanimatis rebus eſt Natura? Nullus tam fuit amens & vecors, qui non aliud animam putauerit eſſe à Natura. Qua igitur ratione profani iſti ex ordinato rerum ortu, incremento, interitu, animam ineſſe omnibus concludere audent? Illud autem quis non rideat in tantis Philoſophis, quod valida odoris ac ſaporis facultate prædita mortua negant? Non intelligunt, puto, quàm

Nõ ſolæ res animatæ ordinatè agũt & fiunt.

Impium eſt rebus inanimatis ordinē negare

Natura quid.

Anima & natura differunt.

putidè veritati contradicant: imò quàm ineptè Præceptorem atque alterum illum condiscipulum suum oppugnent. Sanè in stercoribus, rebus putrefactis plurimis, herbisque aridis quibúsdam, radicibus, lignis, seminibus, quæ isti viuere nequaquam concedunt, odorum & saporum valida est facultas: imò sæpenumero vtraque hæc validiora sunt in his, quàm in viuentibus & virescentibus ad'huc'plantis. Quis nescit res multas vstas & assatas, aut aliter vi ignis permutatas sapores atque odores validissimos acquirere, quales illis naturaliter habentib. non insunt? At talia qui mortua vitæq; expertia negat, etiam calcem & cineres viuere concedet. Vitarum ponunt gradus. At vita, vel Paracelso teste, nõ est absq; anima. Quare animarum plures cogimur statuere species, quàm vlli homines tot iam seculis statuerint. Etenim prẹter Vegetatricem, Sentientem, Mouentem, & Rationalem nullam agnoscunt eruditi animæ gradũ seu speciem naturalem. At noui Aristarchi ordinem earum liberaliter amplificauerint, speciesq;, quot libido iusserit, addiderint. Vitã nutritione propriè dicta definierunt oẽs. Est autem hẹc suffectio partiũ deperditarum: siue alimenti transmutati vnio naturalis. Quẹ ergo verè nutriuntur, alimentũ ad se attrahũt, intra se cõcoquunt, concoctum distributumq; particulẹ singulẹ, etiã minimẹ, trãsmutant, ac deinde vniunt, vt idem fiat cum eo, cui additum fuit. Hæc est vera nutritionis natura, & nominis huius significatio. Sed noua nunc nobis addiscendam video grammaticam. Quippe vna est (iuxta Paracelsum) in illis etiam, quæ verè non nutriuntur. FVR. Non negant Elementa, Metalla, Succos cõcretos, Lapides, nutriri. ER. Scio, sed quàm inscitè nutritionem in his quærant, notum est. Lapidum partes certò certius est, non verè nutriri: quod ex augmento eorum clarè perspicitur. Quoniam partibus accrescunt partes & super-

Animarum species augent Paracelsici.

Nutritio quid.

Viuunt etiã quæ non nutriũtur corpora naturalia.

superadduntur: non autem quæ prius erant, in omnes partes extenduntur propter nutrimentũ subingressum & assimilatũ. Si nutrirẽtur verè, excrementũ generarẽt necessariò: & quidẽ crassum rudeq́;. Quàm verò ridiculum est, quòd muscum putant excrementũ alimenti lapidum? In loco sicco non contrahunt muscum, nec rugosiores tamẽ fiunt: quod ꝑpter abitũ substantiæ vsu-venire oporteret. Quæcunq; enim nutriuntur, ideo nutriuntur, vt, quod dissoluitur ab interno calido, reparetur. Hic calor cum cõtinuè partes aliquas attenuet ac discutiat, mirũ si lapides in sicco positi, vbi nutrimentũ nullũ præstò est, non aliquando rugosi fiant. Non restituitur autem per nutritionẽ, quod expirauit, quia muscum, id est, excrementũ nullũ procreant: sine quo vera nutritio esse nequit. Adde quòd calx quoq; musco obducitur. An hæc etiam viuit? Non arbitror: cum ab igne ex occiso lapide calcario generata sit. Sic & putria ligna, stercora, excrementa alia, quę viuere negat Paracelsus, muscum contrahunt. Sed non est opus, vt in hoc & alijs argumentis talibus refutandis laboremus. Quoniam scitissimè, firmissimè, præclarissimeque confutata iam prius sunt à viris excellentissima doctrina instructissimis, Scaligero & Fallopio aduersus Cardanum disputantibus. Argumenta Cardani hæc sunt. Anima sola miscet ac generat, inquit: Ergo generata & mista animata sunt omnia. Itẽ calor cœlestis vnus idemq́; omnibus rebus dat vitã. Ergo oẽs animatę sunt: tametsi aliæ propius, aliæ longius ab Elementis absint. Idem ferè nostri dicũt, cum vel ignem, vel nescio quem spiritũ in res oẽs diffusum animam esse aiunt. Tertium est: Ani 3 mata grauiora fiunt, cum mortua sunt. Idem metallis contingit. Quartum, Metalla truncos, ramos, venas, flo 4 res, instar plantarũ habent. Ergo similiter viuunt. Quin 5 tum, Acerbitas, coctio, maturitas, senium, morbi, mors,

Muscus nõ est excremẽtum lapidũ

Argumẽta Cardani de uita metallorum.

6 accidit omnibus. Ergo viuunt. Sextum, operatio seu actio omnis est ab anima. Lapides ergo, cum mirifica o-
7 perentur, viuunt. Septimum, Excisi lapides, nedum in matrice sua hærentes, crescunt & reparantur, vt plantarum partes, chelæ cancrorum, caudæ lacertorum. Er-
8 go similiter animati. Postremum, Nisi viuerent lapides, gemmæ possent arte fieri. Hæc, inquam, cum eruditè, verè, firmè, perspicuè à prædictis viris demonstrentur, insulsa, falsa, impossibilia non debent à me pluribus hîc dilui. Quæ ad institutum nostrum propius spectant, breuiter attingam. Quomodo remedia mortua morbos depellant, cum quærit Paracelsus, clarè demonstrat, se omnis medicinæ quouis asino imperitiorem esse. Etenim non sic profligant pharmaca morbos, quomodo hostẽ suum eijcit homo: sed instrumenta sunt animæ seu Naturæ: quæ morborum est medicatrix. Quocirca tam non est opus pharmacum viuere, quàm non est necessarium malleum aut securim vita præditam esse, vt eis artifex ritè vtatur, vt hîc sufficit artificem rectè habere, ita ibi satis est, Naturam officiũ facere. Taceo quòd pharmacis raro vtimur, priusquã sint trita, cocta, vsta, mista, tusa, exuccata, in pollinem redacta, abluta, distillata, macerata, & denique variè occisa, vt sic loquar. Ad quod illud etiam pertinet, quod, quæ intra corpus sumuntur, raro agunt, priusquam à calore ventriculi sint alterata, diuisa, soluta, mutata, concocta, & permutata, hoc est, omninò mortua. Cùm deinde insanus Tenebrio sola corpora corrumpi ait, vel morbis cõfitebitur corpora, vel à pharmacis debellari negabit. Vtrunq; absurdè affirmabitur: quãquã alterum facilius sit admissurus. Et si solum hoc corrũpitur, quod vitę particeps fuit, necesse est morbos etiã viuere atq; animatos esse. His similia (& absurdiora etiã) plura consequentur ex monstrosa illa hypothesi. Quid verò

Quomodo medicamina pellant morbos.

verò facies, cum lapides edere ac ventriculum extra se habere ait? Vbi ergo os habent, si concoctionis locus est extra ipsos? Aut per quos meatus cibus concoctus penetrat ad intimam substantiæ ita duræ & solidæ? Profectò indigna sunt hæc responsione, indicanda nihilominus videntur, vt incredibilis horum hominum ruditas notior fiat. Nec minus desipit, cum ideo viuere cibos dicit, quia non fœtent. Multa namq; viuentia grauissimè olent. Et non pauca putrefacta odorem neque grauem neque iucundum exspirant. Quædam mortua & putrefacta suauius olent, ac sapiunt melius. Etenim edendæ nō sunt res aliquæ priusquam cœperint putrefieri. Adde his, quòd plurimi cibi post coctionem ab igne peractam suauitatem odoris acquirunt. Quæ cùm mortua esse ipse quoque Paracelsus asserat, quo pacto suis principijs consentaneum defendetur sententia, de qua agimus? Quis ignorat cibos propè omnes tum demùm cibos effici conuenientes, postquam per concoctionem, elixationem, assationem, triturationem occisi fuerunt, vt sic loquar? At hi mortui cum sint, minimè fœtent: falsum igitur est, non fœtentes cibos vita præditos esse. Alterius illius argumenta misericordia quàm responsione digniora sunt. Nec meliora sunt turgiduli illius reformatoris. Contenduntomnes cum Magistro, operationes ab anima cunctas prouenire: corpora autem animæ expertia, ociosa, sterilia, mortua esse: & nihilominus spiritus seu animæ operationes à corporibus tanquam compedibus vinciri & impediri scribunt. An vincire & impedire non est agere? Quàm futile est, quod uitæ argumentum in metallis ponit fœtidi ac sępè venenati halitus expiratione: quam in aliquibus metallis fossores experti nōnunquam fuerūt? Quasi verò crepitus emittant aut ructus euomant propter cibum nimium ingestum, & non probè confe-

Cibi non ideò viuunt, quia non fœterint.

ctum. FVR. Legam de his rebus authores à te laudatos nec plura hîc requiram. Quare ad generationem progrediaris licet. Quanquam, si verum fateri me oportet, perpauca hîc sint, quæ suspensum teneant. Etenim veluti per nebulā veritatem eminùs prospicere, nugasq; Paracelsi nefandam tegentes impietatē fastidire incipio. Generationem tùm ipse tū discipuli eius putāt nil aliud esse, quàm latentis formæ in materia quapiā manifestationem: vel corporū renouationem, vel nouorū indiuiduorum suffectionem: vel seminum in elementorum abyssis latentiū fluxus & refluxus, seu progressus & regressus. Summa est, (si te modò hæc tractantē rectè percepi) quòd omnia putāt, quæ indies noua fieri nobis videntur, in seminib. anteà delituisse. Et cum in seminibus istis suis vitā, potestates alias, essentiam, scientias, status, dona omnia contineri ac vigere opinentur, absurdum esse censent generationem definire mutatione nō entis in ens. Quippè in indiuiduis seu rebus sensibilibus, quas generari & corrūpi putamus, & dicimus, mortes, infirmitates, defectus, distantias, imaginationes, opiniones, motus, turbulentas confusiones: deniq; affectiones omnes nō entis deprehendi: contrà verò in seminibus entis proprietates o nes inueniri. Quocircà corruptionē à nobis vocatā reditum quendam esse ad ens: generationem aūt ab ente, quandam discessionem. Etenim dona naturæ omnia, vitā, & scientiam omnem, in latentibus seminibus immortalia esse ac seruari, in progredientib. ad corruptionē accedere. Itaq; inuerti naturæ ordinem, cum generatio dicitur à non ente ad ens processionem esse. Formam cuiusq; rei nō ex materiæ potentia educi, sed αὐτοφυῶ in seminibus occultari. Hæc est Paracelsi & discipulorum eius de generatione, quantū cognoscere potui, sententia. ER. Rectè percepisti, quæ de hac re somniarunt. Quā

porrò

porrò imperitè loquantur de rerum generatione vnusquisq; in Philosophia vel intra modum versatus intelligit. Generationem rerum sic describit Paracelsi grex, ac si rerum omnium species aut formæ actu existerent, certisq; temporum interuallis ex obscuro in lucem, ex orco ad superos procederent. atq; in itinere corpora sibi velut comites asciscerent. Generatur ergo res nulla, sed ex latente, fit manifesta: ex nuda vestita: ex incorporea corporea: ex non personata personata. Generat ipsis res quælibet se ipsam. At Philosophis hoc iudicatur impossibile. Quoniam videmus omnia simile sibi, non autem semet ipsa generare: semperq; in generatione vniuoca generans & generatū duo esse in numero, & vnū in specie cernimus. Inscitissimè carpunt Aristotelem alicubi generationem mutationem à non ente in ens definientem: quod in 5. Phys. cap. 1. & in 2. de Animal. gen. cap. 4. atq; alibi, legimus. Si Aristot. viderunt non ens vocare, non id quod simpliciter non est, sed quod non est illud, quod per generationem oritur, iniquissimè ipsum accusant. Si non viderunt, asinis imperitiores censendi sunt. Quis nescit idiota, ouum non esse pullum, atque ideo pullum ex quodam non ente factum esse ens quoddam? Generatio itaq; est totius subiecti alicuius transmutatio in totum subiectū aliud: sic inquam, vt prioris subiecti nihil remaneat sensu perceptibile. Materiam enim permanere eandem oportet, vt quæ nec generabilis sit nec corruptirilis. At hæc non cōprehenditur sensibus, sed sola mente concipitur. Etsi ergo in generato aliquo reperitur qualitas, quæ in corrupto quoque fuerat, nihilominus generatio vera est, siquidem subiecti seu substantiæ prioris facta sit transmutatio. Equidē in substantiali ac vera generatione, quod generatur, nomē & definitionē acquirit nouā. Sic ex cibis frigidis generatus di-

citur ſanguis,cùm ſubſtantiæ ciborum, vt cucurbitæ, pars nulla remanet ſenſibilis: tametſi ſanguis ex hac hac generatus non perindè calidus ſit,ac is eſt,qui ex pipere,allijs,cæpis,alijſque acribus genitus eſt. FVR. At non mutatur totus cibus in ſanguinem. Etenim in tranſmutationibus ſubſtantiarum neceſſariò excrementum gigni cenſent: cui ſententiæ experientia atque rerum euidentia aſtipulatur. ER. Cùm totum tranſmutari dicimus ſubiectum in totum, non illud volumus, nullas à ſubiecto quod mutatur partes ſepari,(Hoc enim in tranſmutatione naturali impoſſibile eſt, vt alibi dicetur.)ſed in generato dicimus ſubiecti prioris nihil ineſſe ſenſibile.Ideo quodā in loco ſcribit Ariſtoteles: οὐδὲν ἐκ παντὸς γίνεται, καθάπερ οὐδ' ἐν τοῖς ὑπὸ τῆς τέχνης δημιουργουμένοις. οὐδὲν γὰρ ἂν ἔδει ποιεῖν. νῦν δὲ τὸ μὲν ἡ τέχνη τῶν ἀχρήστων ἀφαιρεῖ, τὸ δὲ ἡ φύσις. FVR. Ex his illud etiā perſpicio,quomodo generatum ſit nobilius eo, ex quo eſt ortum : & quo pacto accipiendum ſit,quod dicitur, generationem nobilioris, corruptionem verò ignobilioris eſſe productionem.Dubitaui enim aliquando,an non eſſet caro nobilior vermibus ex ea in corpore humano generatis. ER. De hac re legi Ariſtotelem in 1. de Ortu & Interitu cap.3. Hoc loco & tempore ſufficit indicauiſſe, quàm à veritate diſcedāt procul Paracelſici, cùm generationem opinantur nil eſſe aliud, quàm ſeminis cuiuſpiam in obſcuro latentis progreſſionem in Comœdiam mundanam : quod ſemen ſuæ naturæ ſuiſq; vſibus accommodata corpora,& conuenientes qualitates haud aliter ex diuite cella aſſumat,ac ſi hiſtrio in theatrum proditurus ex multiplici veſtium numero perſonę ſuæ,quam acturus eſt, aptam aliquam ſeligat. FVR. Manifeſtè huc vſq; vidi Paracelſum Philoſophiæ ignarum & inſcium fuiſſe: ac quicquid in mentem ei quouis tempore,ſobrio & e-

brio,

brio, veniret, effutiuisse. Generationem in recta veraq; Philosophia solam materiam præsupponere, puer adhuc didici. Nam si forma etiam existit, generatio nulla est: sed sunt res antequam generentur: nec acquirunt Esse per generationem. Hoc autem perindè est, ac si esse dicas antequam sint: quod nil est aliud, quàm contradictoria affirmare. Quamobrem detinere te longius nunc nequaquam volo: nisi fortasse hoc mihi explicare velis, quomodo & cur homo vocatus sit ac vocari possit microcosmus. Hoc enim veluti principio, basi, & fundamento vtuntur Paracelsica turba firmissimo ad euertendam artem Medicam veterem, & stabiliendam nouam à Paracelso excogitatam. De hac re, cùm nihil adhuc dictum nobis meminerim, vehemẽter aueo tuam audire sententiam. ER. Non ad præsentem disputationem huius rei expositio: sed ad sequentem velitationem pertinet. Ad quam vt magis appropinquemus, paucula de hominis compositione hîc ex Paracelsi thesauris proferam: quæ videlicet ad hunc locum spectant: & extra fines medicæ artis extenduntur. FVR. Non cupio plura audire, præsertim cum ex appendice primæ collationis intellexerim, ex quot partibus conflet hominẽ. Satietas, imò fastidium me cæpit audiendi portenta eiuscemodi: quę non modo cum ratione pugnare, verùm etiam pietati & sacris literis ex diametro aduersari perspexi. Sanè Philosophos inter se dissidẽtes & digladiantes æquo animo fero, præsertim cum de rebus illiusmodi inter se dimicant, vt absq; vllius pernicie aut conscientiæ læsione quam velis partẽ sequi & probare possis. At de rebus, quas sacræ literæ approbarunt, aut quæ cũ pernicie hominum nouãtur, dissẽsiones laudare bonus & pius nullus debet. Tantò igitur auidius expecto te de rebus Medicis dissertantẽ, quantò in his error est, quàm in Philosophicis, pestilẽ-

tior. Quinetiam persuasus sum, plerosq; medicos, non tam cupiuisse hanc partē audire, quàm desiderant tertiam disceptationē cognoscere. ER. Quæ in prima collatione disseruimus, sic omnium sunt communia. vt omnium intersit ea cognoscere, non piorum duntaxat, verùm etiam pietatē negligentium. Quoniam disputauimus ibi de rebus illis, quas omnes tractant, credunt, probāt, vel omnino, vel ex parte aliqua. Pertinēt quoq; ad omnes, qui & corpore & animo salui esse volunt.

Qualia pars prima disputationum contineat.

Pars hæc secūda illis solis ferè prodest, qui fundamēta rerum percipere auent: ac Philosophiæ gustum aliquē perceperunt. Medicis sanè cognitio eius est non vtilis solùm, sed etiam propè necessaria. Continet enim fundamenta totius doctrinæ Paracelsicæ, atq; eorundem constantē confutationem. Tertia tàm erit medicis necessaria omnibus veritatē perspicere cupientibus, quā quodmaximè. Hac de causa breuiter, quę verbosius tractare ab initio institueram, percurram. Quippe mihi quoq; nauseam & stomachum mouent nefanda & inaudita istorum deliramenta. Hominem sæpe ex duob. duntaxat, aliquando ex tribus, nonnunquā ex quatuor elementis compositum scribit. Interdum ex quintis elementorum quatuor essentijs eundem concinnatū ponit. Quin & duo ei corpora tribuit, elementale, siderale: de qua re iam anteà multa egimus. Corpus & sanguis, inquit, ex quatuor elementorū corpore sumpta, & ex horum substantia in hominis substantiā transformata sic sunt, ac si rem albā aliquis nigram, vel rubrā, vel viridem efficeret. Corpus alterum, siderale scilicet, dicit esset rationem, intellectum, mentem, & sensus. Alibi ex visibili & inuisibili constare hominem dicit. Est vbi ex fumo quodam concretum asserat. In hac tamen videtur sententia acquieuisse, quòd nimirum concretum quiddam sit homo ex omnib. totius mundi rebus

Contenta in secunda collatione quæ & qualia sint.

Homo ex quot partibus componatur à Paracelso.

omni-

omniumq; naturas & proprietates actu in se cōtineat. Si quæras qua id ratione sit defensurus, cum Scriptura dicat, hominem à Deo ex puluere, seu luto, seu terra, seu limo, cōformatum, respondet, Deum in separatione confusorum (Iam enim ostendi, ipsum creationem nil aliud esse putauisse quàm cōfusorū secretionē) vires, naturas & ꝓprietates in vnam massam coegisse, & ex hac hominē fabricasse. Hanc porrò massam limum terrę in Scriptura nominari: quam ipse variè quidē appellat, sæpiusculè tamē Limbum nuncupat. Et quoniā massa hęc partē pręstantissimā elementorū tenuit, necesse est, vt in homine eadē insint. De quatuor elemētis exposui sententiā eius in superioribus. Quia cœlum in horum numero, ignis loco collocat. Quantis semet ipsum hîc quoq; difficultatibus implicet: quam ridiculè sibi contradicat, piget me referre. Hoc est visu dignissimum, quòd de cœlo manare dicit rationem & scientiam: cum profiteatur artem hominis corpus in quatuor distincta elemēta soluendi. Tunc igitur cœlū & sidera nobis monstrabit, imò rationem, sensus & artes nobis se ipsis subsistentes & corporatas cōmonstrabit. Quod minus mirabitur, qui in nocturno spectro, quod Euestrū aliquando, sępenumero corpus. Siderale appellat, hæc prius vidit. Fidem omnem superat, quod frequenter solum hominem microcosmum facit, & nihilominus multas esse plātas scribit, quę omnes omnium totius mundi rerū vires & potestates actu cōprehensas in se teneant. Quî enim aliter hominem, qui ex omnibus est quiddā concretū, cōseruarent, debilitatas vires insitūq; calorē collapsum instaurarēt ac erigerēt? Sanè unumquodq; seruatur & reparatur eisdē illis ex quibus constitutū fuit. Sed præstat hîc finem facere: & quæ cōsequētia sunt ad tertiam disputationē reijcere.

Cœlū est Mēs atq; ratio Paracelso.

Microcosmi multi & uarij.

FVR. Vnum superest, cuius mihi hoc loco potesta-

Cabalæ partes duæ principales.

tem fecisti ampliorem petendi declarationem. Cabalæ dicebas esse duas partes principes. Harum vnam occupatam esse aiebas in explanandis sacris literis per ἀναγογὴν seu ἀλληγορίαν: alterã mirabilia quedã conari: & præscientiam futurorum suis possessoribus aut cultoribus promittere. Hæc mihi velim fusius aliquãtò exponi: cum à nullo plura edoctus sim, quàm Cabalam esse artem licitam, admirabilem, planè diuinam, & qua nihil à Deo sit homini præstabilius concessum: tametsi eâdem Iudæorum aliqui turpiter & flagitiosè abusi fuerint. ER. Cabalæ nomen aiunt significare receptionem: & proindè doctrinam Cabalæ doctrinam esse, quæ nec ex propria inuentione & meditatione inueniatur, nec ex libris aut scriptis aliorum hauriatur, sed sola institutione veluti per manus tradita acquiratur. Esse autem dicunt nihil aliud, quàm Theologiam symbolicam, in qua non tantùm literæ ac nomina signa sint rerum, vt in alijs artibus, sed etiam res rerum notæ & simulachra existant. Quod vt rectius intelligas, scire hoc debes, interpretationem aliam vocari literalem & historicam: aliam verò spiritualem & mysticam seu ænigmaticam. Prior consistit in vocum propria intelligentia. Altera non per voces, sed per res à vocibus designatas significatur. Res porrò tales referuntur ad res alias similitudinem, aut proportionem aliquam inter se habentes: cuius ratione vna ab alia significari queat: vt cùm puellam vocamus, quæ tametsi maritata sit, casta tamẽ & pudica instar virginis sit. Hęc expositio Allegorica vocatur. Si res per nomen significatæ rem aliam indicet, vel fugiendam vel persequendam, nominatur interpretatio talis tropologica. Sin autem ad res sperandas & intelligibiles, extra hunc mundum positas, rectè cognoscendas aptentur, explanatio appellatur Anagogica.

Quid significet Cabala,

Quid sit Cabala.

Interpretationum alia historica, alia mystica.

Expositio allegorica.

Exposit. tropologica.

Expositio Anagogica.

Etenim

Etenim anagogica institutio apud Theologos dicitur, quæ ab his terrenis cogitationes nostras subuehit ad cœlestium contemplationem. Quocirca non est aliud Cabala, quàm Theologia quædam sublimior & diuinior, quæ res verbis significatas docet aliud quiddam significare. Exemplum esto, quòd Deus promittens Israelitis libertatem in terra Cananæa, simul voluit docere suos ex hac Aegypto liberatos in cœlos esse deducendos: vbi in pace & tranquillitate cum Deo semper sint victuri. Et de hac Cabala nulla est cõtrouersia: quatenus cum fidei analogia & Scripturæ sensu non pugnat. Veruntamen interpretatio hæc veteris legis & ceremoniarum à Christo & Apostolis nobis ita perfectè exposita est, vt nulla præterea Cabala alia egeamus. Cæterùm Cabalæi nostri non permanent intra hos limites. Etenim artem dicunt esse, quæ non tantùm scripturæ sacræ sensum mysticum scrutetur, verùm etiam rationem ac modum tradat, quo characteribus, sigillis, figuris, verbis, carminibus cultores eius admirãda & impossibilia alijs visa perficiant. Summa est, artem faciũt à Magia scelesta nihil differentem. FVR. Qua ratione ab arte interpretãdi Scripturas delabuntur ad impias istas nugas? ER. Nescio. nisi quòd sui obliti ab hypothesi deflectunt ad res alienissimas. Quid enim commune habent mystica Scripturę interpretatio, & miraculorũ per figuras, numeros, voces, characteres, effectio, futurorumq; præsensio? FVR. Quem faciunt authorem huius artis? ER. Deum alij: Angelos alij quidam. Etenim dicunt Deum in monte Sinai, cum Mosi legem tradidisset, eidem secretiorem legis interpretationem concredidisse: atq; simul pręcepisse, vt legem quidem cunctis proponeret, interpretationem autem abstrusiorẽ illam soli Iosuæ aperiret: hoc addito mandato, vt, & ipse paucis quibusdam, eisq; sapientibus manifestaret: atq;

Cabala est Theologia Anagogica

Quid pars altera Cabalæ tradat

Author Cabalæ.

illi alijs intelligentibus cōmunicarent: & hi rursus successoribus suis clàm traderent. Factum id vsq; ad Esdrā scribunt. Hunc enim primum fuisse, qui 70. libris comprehensam doctrinam ad posteros transmiserit: sic tamen vt paucis, & ŋs non ante quadragesimū ætatis annum, liceret legere. Fecisse eum hoc, conuocatis ad id seniorib. omnibus: ac de singulis excepisse, quod à maioribus suis acceperāt. Cabalę porrò finitima est doctrina Talmudica vocata. Discrimen esse aiunt, quòd hæc intra sensibilem mūdum maneat, illa ex sensibili ad intelligibilem subinde subuolet. Videntur Talmudici actiuam, Cabalæi contemplatricem vitam magis amare. Vtrique tamen maiorum traditionibus fidem habent, licet nullam protulerint rationem: nec in superiorum placita temerè inquirunt. Vtrique etiam, præsertim Cabalæi, mirabilia pollicentur. Versatur studium eorum magna ex parte in eruendo sensu mystico ex literarum numeris, ex earundem figuris: quas ex transpositione, coniunctione, separatione, directione, inflexione seu curuatura, abundantia, defectu, paruitate, magnitudine, ordine, alŋsque talibus emergere nasciq́ue contingit. Partes alŋ quinque, plerique tres faciunt, verbis illis Prouerbiorum vigesimi secundi capitis innixi. Non scripsi tibi ter, in consilio & sententia? Quippe vel dictionem pro dictione sumunt, vel literam pro dictione, vel literam pro litera: & his transpositis & variatis, ac numeris supputatis mirabilia in officina sua cudunt somnia. Fabricant ex certis quibusdam characteribus, literis, figuris, sigilla & vanitates alias consimiles: quibus se putant non tantùm naturæ cursum sistere mutareq́ue, sed Deum etiam flectere, tantumq́ue non cogere ad id perficiendum, quod insana libido eis dictauit. Sanè Salòmonem beneficio huius artis per expositiones oc-

Doctrina Talmudica quid differat à Cabala.

Sigilla Cabalæorum.

Salomon ope Cabalæ sapiens est factus.

cultas & ſubtilitates grammaticas non verentur deplorati Nebulones affirmare ſapientiam conſecutum fuiſſe, quam Scriptura ei à Deo donatam infuſamque teſtatur. Semel dicam, meræ, putidæ, impiæ nugæ ſunt, artem Lullianam redolentes, & Magicam impietatem olentes. FVR. Audiui te patienter quidem, ſed abſque aſſenſu. Non enim nulla mouentur ratione, qui duplicem putant Moſi contraditam legem: vnam quam proponeret publicè omnibus: alteram occultiorem ſolis ſapientibus communicandam. Nam hoc in 4. Eſdræ, capite decimoquarto ſcriptũ eſt. Idem Origenes fertur crediſſe cum Hilario. Ioannes Picus hoſce libros ſe legiſſe ſcribit, & in eis digniſſima lectu de Trinitate, peccato originali, Verbi incarnatione, caſu Dæmonum, Purgatorio, inferorũ pœnis, alijsque talibus, reperiſſe. ER. Ego verò multò habeo ſententiæ meæ grauiores cauſas. Prima eſt, quod valdè ſcriptores de hac re inter ſe pugnant. Quippe aliqui Moſi à Deo reuelatam dicunt: mandato addito, vt ſoli Ioſuæ patefaceret. Iidem veluti ſui obliti mox præceptum aiunt eidem Moſi, vt ſeptuaginta illis, qui Numeri vndecimo leguntur electi, quò in gubernationis onere eum adiuuarent, contraderet. Hæc ſimul conſiſtere nullo pacto queunt. Alij quidam authores faciunt Angelos: & Adamo Razielem, Semo Iophielem, Abrahamo Zadkielem, Iſaaco Raphaelem, Iacobo Pelielem, alijs alios artem hanc aut artis partes inſtillauiſſe. Secunda eſt, quòd nullum Scripturæ verbum producere poſſunt, quo ſuam opinionem probent. Equidem nullus extat apex in totis Biblijs, qui aliquid tale Moſi mandatum innuat. Cum ad probationes deuentum eſt, citant nobis Rabinos, Eleazarum, Moſen Aegyptium, Simonem Benlagis, Iſmaelem, Lodam, &

Ars Lullia.

Oppugnatur Cabala.

Cabalæ authores Angeli.

huius farinæ homines: quibus de his rebus nihilo magis credendum censeo, quam vel Mahometo vel Paracelso, vel (si quis fuit aut esse poterit) nequiori heretico. Sacræ literæ docent, Mosen iussum à Deo fuisse populo proponere, quæ ab eodem accepisset. Nulla fit secretioris expositionis mentio, quàm celare alios debuerit. Proinde fabulæ sunt Iudaicæ, quæ de hisce commenti sunt homines fanatici. Iosuam cohortatus est Moses, vt animo forti & intrepido munus à Deo sibi impositum susciperet, nec de euentu dubitaret: quod eundem habiturus esset Deum auxiliatorem, cuius potentiam & clementiam in tot ac tam stupendis miraculis experti fuissent, Deuter. 1. & 3. & 31. An verba hæc, Esto fortis & constans: tu enim cum hoc populo vades in terram, quam Iehoua maioribus eorum sese ei daturum promisit, eiusq; possessionem eis assignabis. Iehoua autem ipse tibi præibit, tibi aderit, te nunquam destituet aut deseret: noli timere aut pauescere. Hæc, inquam, verba Mosis ad Iosuam, an idem significant, quod hæc notāt: Doctrinam secretiorem, quam tibi concredidi, populo ne patefacito, sed paucis quibusdam duntaxat aperito? Non arbitror. Septuaginta quoq; delectis viris mittit Deus spiritum Mosis, nempe gubernationis & prudentiæ: non autem iubet Mosi, vt nescio quæ arcana illis seorsum tradat. Sanè Deus ipse promittit, se eos spiritu Mosis donaturum: non præcipit Mosi, vt tale quid ipse faciat. Cogeremur igitur dicere, hanc doctrinam non soli Mosi à Deo reuelatam, vt illi asserunt, verùm etiam illis Septuaginta Consiliarijs socijs & adiutoribus Mosis manifestatam fuisse: cuius rei Scriptura nullo verbulo meminit. Meræ igitur & putidulæ sunt Iudæorum quorundam fabulæ, quæ de secreta Cabala per Mosen propagata legimus. Profectò Moses palàm fatetur in suis libris nihil se ad institutionem spectans acce-

Spirit⁹ Mosis & Septuaginta Senatorum

accepiſſe à Deo, quod non ſumma fide omnes docue-rit. Quinimò Deut. 4. & 12. explicatè aſſerit à Deo præcep-tum fuiſſe omnibus, ne vel addere aliquid vel detra-here à ſe traditis quiſquam conaretur. Ergo vel diuer-ſa erant, quæ clàm alijs inſtillabat, ab illis quæ palàm docuerat & ſcripſerat: vel eadem. Si alia fuiſſe putes, trangreſſorem eum facis legis à Deo per ipſum latæ: quod ſine ſcelere non feceris. Si conſentanea fuiſſe cō-cedas, illud quæram, vtrum ad conſequendam ſalutem neceſſaria fuerit talium noticia, an non fuerit. Neceſſa-ria fuiſſe abſq; impietate cogitare non poſſumus. Nam conſequeretur neceſſariò, Deum populo ſuo abſcon-diſſe aliquid eorum, ſine quibus ſalui eſſe non potuiſ-ſent. Quis autem non videt falſum hoc & impium eſ-ſe? Paſsim namq; teſtatur ſcriptura, omnes illos ſaluan-dos, qui, quæ tradita ipſis fuerant, quæq; publicè doce-bantur, ritè ſeruauiſſent. Moſes certè in 30. Deut. ait, Cœlos hodiè vobis terraſq; conteſtor, me vobis vitam mortemq; proponere, felicitatem & infelicitatem, bo-num & malum. Quinetiam addit ibidem doctrinam, quam ipſis tradiderit, in qua vitam & felicitatem inuē-turi ſint, neq; occultam eſſe neque longè poſitam, ſed proximè ipſos in ore cordeq; eorum exiſtere. Non eſt, inquit, in cœlo, vt dicatis, Quis in cœlum aſcenſurus eſt, vt eam nobis inde adferat? Nec eſt vltra mare, vt co-gitetis, Quis eam nobis traiecto mari petet? Nemo tam eſt ſtupidus, quin ex his verbis intelligat doctrinam pu-blicè omnibus traditam & in omnium ore poſitam ſuffeciſſe ad nanciſcendum vitam, bonum, & felicita-tem: nec opus ipſis fuiſſe alia quadam ocultiore inter-pretatione: ad quam nullo ipſos loco adhortatur. Cap. 6. & 11. Deut. atq; alibi aſſiduos eſſe in meditatione le-gis iubet, eamque alijs exponere domi, foris, in agro, in via, in lecto, inſcribere veſtibus, parietibus, po-

Moſis doctrina publica continebat omnia Iudæis ad ſalutem neceſſaria.

ſtibus ædium:obſcuræ illius nuſquam & nũquam meminit. Quocirca nec ad vitam ſempiternam conſequẽdam, nec ad felicitatem mundanam acquirendam, vtilis aut neceſſaria fuit. Cur ergo de cognoſcenda ea ſolicitè laboremus? Viderint interim Cabalæ iſtius laudatores, quomodo defenſuri ſint, quod dicunt, eam ſecretiorem quãdam Legis diuinæ explanationem, & expreſſiorem diuinæ voluntatis declarationem continuiſſe. Picũ dicis in Eſdræ libris præclara inueniſſe de Verbi incarnatione, aduẽtu Meſſiæ, peccato originali, eiuſdem per Chriſtum expiatione, pœnis inferorum, aliaq; hui⁹ generis plura. Quòd ſi hęc vel ſola vel præcipuè in libris illis ab Eſdra conſcriptis cõprehenduntur, omnium intererat nouiſſe. An pauci quidam ſolummodo Deum agnoſcere, Verbi incarnationem videre, Meſſiæ diuinitatem intelligere, & alia ſalutis noſtræ myſteria percipere debuerunt? Plus quàm impia eſt hæc cogitatio. Apertè igitur conſtat nefanda eſſe deliria, quæ de Cabala commenti ſunt Iudęi, & credunt hodie quidam in hac re parum cauti. Veteres certè Theologi vnà cum recentioribus prudentiores fuerunt, quàm vt inſanis iſtis nugis animum atque aures accomodarent. Quò fit, vt ne quidem meminiſſe alicubi auſi fuerint. Quæ ex origine adferuntur, mox diluemus. Adde his illud inſuper, quòd peritiores Iudæi, qualis Ioſephus fuit, (qui tamen nihil vſquam omiſit, quod ad amplificandum nomen & gloriam Iudæorum conducere exiſtimaret) abſtruſæ huius & paucis creditæ legis expoſitionis mentionem nullam fecerunt. Idem tamen ne illa quidem tacuit de Moſe, quæ ſanctæ literæ nuſquam referunt. Si quid tale à Deo tacitæ Moſis fidei commiſſum nouiſſet, nunquam ſilentio præteriuiſſet: vt qui & Moſen & Salomonem Magos, aut Magiæ peritos & ſtudioſos fuiſſe, tum Dæmones

Omniũ intererat Cabalam nouiſſe.

Veteres Theologi deſpexerunt Cabalam.

mones eiecisse nefariè & mendacissimè scribat. Cabalam dicunt virtute characterum, imaginum, figurarum, ex literarum & dictionum transpositione, coniunctione, separatione, &c. fabricatarum mirabilia efficere. An taciturus hanc artem fuisset Iosephus, si in Mose, Salomone, alijs sanctis & electis Dei organis, cognouisset? Saltem in historia Eleazari, quē præsente Vespasiano Dæmonem scribit eiecisse potestate radicis cuiuspiam, præclarissimæ huius artis meminisset. Quid opus fuit peculiari Spiritus sancti afflatu Prophetis, si arte hac potuerunt mirabilia efficere, ac futura presentire? Qua ratione, quæso te, distinguebant inter miracula vera, & ab arte hac profecta? Velim illud etiam scire, quo in loco scriptum inueniatur præceptū hoc, quòd scilicet ex transpositione literarū, nominū, numerorū, ex characterum figura, magnitudine, paruitate, cōiunctione, separatione, atq; alijs talibus res occultę sint inuestigādę, aut miracula facienda? Exemplū esto nomē hoc, Roma. Transpositione & inuersione literarum fiet, Mora, Arom, Ramo, Amor, & Orma: quod aliquis Græcū esse putet, ac Doricum ὁρμά. An quia hoc facere mihi licet, statim significabit dictio Roma, tantundem atq; aliæ illę, nempe Mora, Arom, Ramo, Amor, Orma, significant? Quis me sanus talia proferentem non putet insanire? Quippe literæ formandis vocibus seruiunt duntaxat: voces autem ex conuento & constituto hominum significant, non ex sua natura: sicut in prima parte nobis demonstratum recordor. Tacebo iam, quòd pro diuersa transpositione ac numerorum subductione vnusquisq; diuersissima operabitur vnius eiusdemq; verbi virtute. De numeris res est obscurior apud Latinos: apud quos nō omnes literæ numerationi seruiunt. Apud Græcos & Hebręos aliter habet. Repertus tamē apud nos quoq; est homo profanus, qui

Literarum vsus quis sit

diabolo suasore primum singulis literis singulos numeros attribuit: & deinde ex numeris ex cuiusque Nominis proprij literis collectis de moribus, vita, morte, fortuna, liberis, alijsq; omnibus ad diuinationem attinentibus, pronunciare & prænunciare docuit: eamque impietatem Onomantiam nominauit. Sed ad institutum redeo. Esto igitur, fuerit aliquibus priuatim commendata legis diuinæ mystica seu anagogica interpretatio: quid hoc Paracelsum eiusq; pecora iuuerit? An continuò sequetur hanc declarationem continere doctrinam ordinandi literas, transponendi dictiones, variandi numeros, vt sic & incredibilia operemur, & futura præuideamus? Apage cum sceleratis istis nugis.

Onomantiæ faber.

Deus solus miracula facit.

Etenim Deus non docet aliud palam & aliud clam iubet. Docuit autem apertè se solum esse, qui & miracula edat & futura prænunciet. Quo pacto igitur piè dici possit, cum artem clandestinam Mosen aliosq; docuisse, qua similia quædam perficiantur? Vix puto aliquid alienius à pietate veritateq; proditum esse à viris neq; malis neq; indoctis. FVR. Fermè persuasisti attentissimè auscultanti. Sed ad obiectiones meas quid adfers?

Testimonium Esdræ ex lib. 4. vanum est.

ER. Dico Esdræ librum quartum ab eisdem aut similibus conscriptum esse, à quibus aut qualibus impiæ illæ nugæ de Cabala confictæ sunt. Etenim Satan mille artifex facilè prospexit plus authoritatis & fidei habitura nefaria & impia commenta, si sanctitate celebris vir quispiam comprobasse crederetur. Itaq; suasit, vt sub Esdræ nomine talia diuulgarent: atq; vt fucus minus appareret veri aliquid ac boni permiscerent. Neq; mirabitur hoc factum, quisquis apud se cogitat, similes libros sub nomine Salomonis, Eliæ, Enochi, & aliorum circumferri nunc etiam: & Iosephi ætate apud Iudæos Salomonis titulo venditas fuisse tales fabulas. Aurifusores & decoctores simile facinus ausi sunt: Dũ enim libros

libros suos mēdaciorum plenos vendibiles alia ratione vix potuerūt efficere, Mosis nomen, Mariæ sororis eius, (Aliqui etiam virginis Deiparæ) Salomonis, præstantissimorum Philosophorum omnium inscripserunt. Hoc constat, Esdræ librum illum apocryphum esse, atque in nullo apud Priscos Iudęos censu fuisse. Quin ipsa rei narratio de tot libris quadraginta dierum spacio à quinq; scriptis testatur somnium esse. Quinq; scribæ dicuntur scripsisse 204. libros. Scripserunt igitur singuli plus singulis libris singulis diebus. Quare non valde magnos extitisse oportet. Auget difficultatem, quòd vnus Esdras omnibus quinq; Scribis dictare coactus est. Vicit ergo multis modis Cæsarē tribus eodem tēpore diuersas epistolas dictantē. At verò cētum quadraginta quatuor illi libri, quos publicari iussus scribitur, nullibi sunt inuēti. Et quid continuisse eos putabimus? Si eadem illa tradebant, quæ Moses & Prophetæ tradiderant, ociosi erāt. Si alia, negligendi & damnandi fuerant. Si expositionem comprehendebant biblicorū librorū, mirum est nulla huius rei vestigia ad posteros peruenisse. Quid verò ad id dicemus, quòd narratio Cabalæorū ex diametro pugnet cum 14. cap. lib. 4. Esdræ? Nam Esdras ille scribit se in campo & ab hominibus remoto loco potione hausta edoctum ab altissimo libros Cabalæ dictauisse. Cabalæi autem referunt Esdram conuocatis senioribus ex singulis didicisse, quæ traditione à maioribus acceperāt: eaq; in libros digessisse. Non desunt etiam, qui nomina illorum, qui in concilio illo præsentes fuerint, sigillatim recitent: & quomodo gesta omnia sint speciatim recenseant. Quæ cu sic habeant, quis nō clarè videat, vana somnia & fictas fabulas nobis venditari? Origeni summa fit iniuria, si non fallor. Etenim verba Apost. ad Roman. 3. Credita eis sunt eloquia Dei, exponens, scribit hoc modo. Considerandum est, quòd non dixit literas, sed elo-

Liber Esdræ 4. apocryphus.

Narratio Cabalæorū pugnat cum loco 4 lib. Esdræ.

Origenes excusatur.

quia Dei ipsis credita fuisse. Ex his concludunt Origenem censuisse Iudæis præter legem scriptam, aliam datam fuisse: quod rectè intellectum libenter cōcedimus. At Cabalam recta & scripturæ cōsentanea interpretatio nihil iuuabit. Ad Hilarium dico, eum hac in parte cum alijs hallucinatum: vel aliter sensisse, quàm verba sonare videntur. Ioannē Picum constanter aio permulta in thesibus suis adolescentem affirmauisse, quæ postea mutauit: quod & propria ipsius scripta, & Iohannis Francisci nepotis testimonia firmissimè ꝓbant. Notandū obiter & illud est, quod de Purgatorio docere Cabalam scribit: quod Scripturæ sanctæ non agnoscunt. Summatim dicam: Si Cabala nil fuit aliud quàm Theologia mystica, & legis interpretatio anagogica, non habemus ea nunc opus. Quippe nouum Testamentū nostra sic fuerit Cabala: quod præclarissimè nos docet spiritualiter esse intelligenda, quæ veteres Iudæi carnaliter acceperunt. Si aliud fuisse Cabala putetur, nempe ars quædam mirabilia faciendi, vt somniāt eius laudatores, tātum abesse dico, vt à Deo vel Mosi vel alijs fuerit commendata, vt ab hoste Dei diabolo incunctanter asseram confictam & excogitatam. Qui argumenta desiderat, illa relegat, quæ in prima parte disputationum nostrarum in medium protulimus. Si de Cabala vniuersa plura cupis cognoscere, legito tres de ea libros à Reuchlino conscriptos: quem ego virum de bonis literis, maximè verò de lingua Hebraica, præclarissimè meritum valdè miror tantum profanis nugis tribuisse. Nobis hoc loco & tempore sufficit ostendisse Cabalam Paracelsicorum, (cuius beneficio ex Carbonarijs repentè in summos Medicos se euasisse gloriabundi iactitant.) non ex cœlo, sed ex imo Tartaro prorepsisse. FVR. Nondum te dimitto, priusquam mihi dixeris, quid Philosophia illa adepta sit, quam discipuli sic iudicant, non vtilem tantùm,

Hilarius.

Iohannes Picus.

Cabala approbat purgatorium.

Libri tres de Cabala à Reuchlino scripti.

Cabala Paracelsic. ex Tartaro porrepsit.

tùm, ſed etiam neceſſariam, vt ſine eius poſſeſſione nulli debeant ſperare Medicinæ aliquam præcipuam cognitionem. ERAST. Paucis me expediam. Apud Paracelſum video illum pro adepto Philoſopho haberi, qui norit, quid in his ſublunaribus inſit cœleſte. Putat enim omnia hæc, quæ corporaliter hic fiunt ab artificibus, vt ſunt claues, arma, gladij, à ſideribus etiam procudi: ſed modo infinitè perfectiore. Nam ſicut artifex gladium fabricat acutum, ita putat Sidera gladios cudere, quibus incudes & metalla quælibet inſtar ceræ & aquæ diſſecentur. Eodem modo claues fabricari exiſtimat Sidera inuiſibiles, quibus ſeram quamlibet reſeraueris. Denique quicquid hîc rebus ſeu inſtrumentis corporeis efficimus, hoc opinatur rerum quarundam occultis viribus perfici poſſe: quæ ipſis de Sideribus demiſſæ donatæque fuerint. Qui ergo nouit, cui rei Sidera ſuas vires aſperſerint, is Philoſophus adeptus fuerit: ac mirabilia prorſus egerit. Quocirca totam hanc rem verbis eius ex magna Aſtronom. citatis concludere poſſumus. Philoſophia adepta, inquit, à corpore Siderati hominis ſolo ſuſcipitur ſeu percipitur: ab aſtris tribuitur: ac docet omnia arcana Naturæ. Ex his intelligis illud etiam quid ſit Medicina adepta: nempe noticia Medicarum virium, quas rebus ſingulis aſtra impreſſerunt. Quod Paracelſus dicere voluit, cum Medicinam Adeptam eſſe dixit artem Medicam è Sideribus ortam. Qui huius poſſidet cognitionē, miraculoſè morbos curabit aliàs incurabiles: modò Paracelſus non ſit mendax. Non opus habent futiles & impiæ iſtæ nugæ confutatione. Sufficit monuiſſe, quod nemo neſcit, mera eſſe figmenta & ſomnia: adeoq; Magica deliria. Cætera ſuo loco referemus. In præſente diſputatione perſpicuè, arbitror, cum humanis tum diuinis rationibus demōſtrauimus,

Philoſophia adepta Paracelſi quid.

Medicina Adepta apud Parac. quid.

Conclusio huius disputationis. non esse vlla corpora ante quatuor Elementa cum Cœlo creata: sed hæc, cum nihil esset hic mundus, ante omnia alia simul facta fuisse. Quòd ex Elementis deinde res aliæ natæ concretæq; sint naturales, ex solo libro Creationis, si destitueremur alijs argumētis, ita solidè luculēteq; potest ostendi, vt, qui dubitat, meritò sit pro belua potius quàm pro homine reputandus. Prima ergo corporum principia siue elementa, non sunt sal, sulfur, mercurius, sed vulgaria hæc nostra quatuor elementa. *Sal, mercurius, sulfur, nō sunt prima corpora.* Hoc principio posito, quod sacrosancti verbi Dei aperto nititur testimonio, necessarium est semel collabi vniuersam Paracelsi philosophiam. Etenim exterminatis principijs, quî possint ex eis procreata existere? Vanissimum igitur est, quicquid de suis Elementis & principijs somniauit homo vanissimus & inertissimus: sicut mendacia & futilitatis plena esse necessum est, quæcunq; huic doctrinæ, vt Fundamento, superstruxit. Sed de his suprà fuse satis actum. Nunc Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi seriò comprecabimur, vt propter vnigenitū æternumq; filium suū Mediatorem nostrū Spiritu sancto suo nos regere & dirigere omnes velit, vt cōsilia, cogitationes, conatus, studia omnia huc conferamus, quò sanctum eius nomen glorificetur, veritas illustretur, mendacium deprimatur, salus proximi & Reipubl. procuretur: Amen. Die 12. Nouemb. anno 1571.

FINIS.

EXPLICATIO

QVAESTIONIS FAMOSAE ILLIVS, VTRVM EX METALLIS IGNOBILIBVS AVRVM VErum & naturale arte conflari poſſit.

AVTHORE

*THOMA ERASTO, MEDICI*næ in Schola Heidelbergenſi Profeſſore.

Declarantur in hac quæſtione omnia fermè, quæ ad naturam, ortum, generationis modum, ſpecies, & materiam Metallorum pertinent.



Cum Gratia & Priuilegio Cæſareo.

M. .D. LXXII.

INCLYTO AC GENEROSO SAC. ROM. IMP. COMITI D. GASPARO VLRICO, COMITI Reinsteini, Domino Blanckenburgi, &c. Domino suo obseruandissimo.



RActatum seu disceptationem de Metallis, quam sub idem fermè tempus commentari cœpi, quo Amplitudo tua, illustris ac generose D. Comes, morbi grauissimi causa hîc apud nos commorata est, sub inclyto ac generoso nomine tuo publicè omnibus legẽdam nunc exhibeo. Cum enim amici quidam vehementer, non tantùm precibus à me peterent, verùm etiam argumentis multis flagitarent, & tantùm non cogerent, vt famosæ illius Quæstionis de Artificiosa Metallorum viliorum in nobiliora transmutatione enodationem conscriberem, facilius petitioni eorum locum dedi, quòd in animo meo tuæ præstantiæ, quicquid futurum esset, destinauissem. Rem igitur aggressus sum: at seriùs multò, quàm volebam, absolui: partim negocijs impeditus, partim quæstionis difficultate retardatus. Etenim præclarè videbam ad rei adeò intricatæ exactam declarationẽ, facilioremq; perceptionẽ præcognosci quædã oportere: scilicet quid metallum sit, vnicam ne an plures habeat species, quo modo generentur, quo loco, & ex qua materia singula à Natura fabricentur, & huius generis alia. Itaq; prædicta prius exposui: ac tum demum ad principalem quæstionem descendi. Antequam finem disquisitioni imposuissem, tu iam sanatus ad tuos redieras. Nunc ve-

rò cum in secunda parte disputationum nostrarum aduersus Paracelsum de metallorum ortu & causis quædam essent disputanda, placuit eorum loco hanc tractationẽ subycere, duab. maximè de causis. Prior et princeps est, quod rectè vtiliterq; compluribus viris bonis, qui partim propter inscitiam naturalis Philosophiæ, partim propter ingenij naturæq; probitatem & nimiam credulitatem, partim propter diuites & speciosas impostorum pollicitationes deceptos se nondum plenè vident, consulturum speraui. Vt enim non reuocentur ab errore, in quo mersi hærẽt, omnes, (quod ne optare quidem audeo: propterea quòd in hoc luto hærere summa est aliquibus voluptas) aliquos tamen cognita rei impoßibilitate, vt sic loquar, et impietate, cautiores et prudẽtiores porrò futuros cõfido. Qui in hunc Labyrinthũ, (ex quo minimè facilis est reditus, propter Syrenum cantus mira suauitate amplißimisq; promißis aures demulcentes) ingreßi nondum sunt, facilius sibi cauebunt, opinor, ne imprudẽter prolabantur. Altera est, quòd huius quæstionis explanatio cognata & affinis est disputationi de Mistis imperfectis: in qua me non omnia quidẽ, at plurima tamen repetere oportebat eorum, quæ hîc mihi enucleata memineram. Causas editionis attigi: nunc cur sub illustri & clarißimo nomine tuo, comes generosißime, apparere voluerim, dicam. Atque vna quidẽ dicta iam antè fuit: quod scilicet in animo meo tunc tibi destinarim, cum scribere incepissem. Vt igitur animum me eundem retinere Amplit. tua perspiciat, quod tunc volui facere, nũc re ipsa præsto. Vt autem & tunc vellem, et nunc præstem,

nobi-

nobilissimæ & præstātissimæ ingenij atque animi tui virtutes perfecerunt: quibus ita me tibi interim, dum salutis tuæ curam mihi credidisti, arctè deuinxisti, vt nunquam postea cogitare desierim, quomodo animi mei obseruantiam tibi testatam facerem. Altera causa est, quòd ex principibus viris excelsoq; loco natis & constitutis non multos noui, qui de his rebus, de quibus in præsente tractatu disserimus, te melius ac rectius iudicare possint. Etenim sic cum iuris scientia naturalium rerum speculationem aptè coniunxisti, vt inter dissidentes sententias præclarè arbitrari noris ac possis. Gratius tibi ob id quoq; futurum factum hoc meum spero, quod in memoriã reuocabit, in quãtum vitæ periculum à Paracelsi discipulis quibusdam abreptus fueris. Sed hæc alius sunt loci & temporis. Hoc in præsentia monere volo, si quis ex huius libri lectione fructus ad homines redeat: atque alij cautiores facti sumtib. ac laboribus inutilibus parcere discant, gratiam illos Amplitud. tuæ omnem debere: cuius virtute & gloria non minimum est factum, vt & scripserim & publicauerim. Tu ergo, inclyte & Generose comes, quem in noui anni huius initio (quem tibi cum multis deinceps alijs felicissimum et gloria plenum comprecor) libellum tibi ceu strenam offero, constantis meæ erga Amplitud. tuam obseruantiæ testimonium extare patere. Heidelbergæ. 3. Non. Ian. anno M. D. LXXII.

Amplitud. ac Generos. tuæ obseruantiss.
Thomas Erastus, Medicus.

EXPLICATIO QVAESTIONIS, QVA QVAERITVR: *Vtrum ex* METALLIS *ignobilib. arte conflari* AVRVM *posit verum & naturale. In qua, quæ ad Metallorum generationem & causas spectant, dilucidè omnia exponuntur.*



QVAEritur hodie à compluribus (& quæsitum olim fuit à non paucioribus) Vtrum ex argento viuo, aut ignobilioribus metallis transmutatis, verum, legitimum, naturale, sincerum, aurum, argentúmue, arte confici possit. Qui Chemici vocãtur: artem se tenere gloriantur, qua hoc ipsum assequantur. Alij propè omnes, quicunque iudicio eruditioneque præstant, constanter negant. Vtri certioribus nitantur rationibus & firmamentis, ex illis quæ dicentur, intelligetur.

Quod vt fiat rectius, ante omnia, quomodo, ex quibus, quo loco, quibus instrumentis Natura metalla generet, explicabo. I. *Propositio.*

Deinde vtrum sit vnica tantùm eorum species, an verò plures distinctæ perfectæque existant, inuestigabo. II.

Post hæc quid de metallorum materia, ortu & speciebus Chemici senserint, exponam. III.

Demùm, de ipsa arte, quid sperandum sit, pariter indicabo. IIII.

Anteà verò quàm ad rem accedam, monendus est Lector, me nequaquam illorum artem reprehendere, qui separationes ac fusiones metallorũ: & ex his atq; alijs mineralibus, animalibus, plantis, seminibus, aquarum & oleorum extractiones profitentur. Etenim nõ

modo vtilis hæc ars existit, sed propè necessaria: vt sine qua longè incommodius vitam acturi simus. Quantũ vel in sola arte Medica (vt de alijs rebus sileam.) vsum habeat, ne vulgus quidem ignorat: qui sibi aquas domi varias parat hac arte. Equidem vix absoluta est ars nostra sine distillatoria. Quòd cum dico, illorum studium non approbo, qui violentis ex metallicis rebus pharmacis nunc passim certa multorum pernicie vtuntur. Quocircà laude omni dignissimam eam esse iudico: nec ab vllo sanæ mentis vituperatam scio. Illos hoc loco solos oppugno, qui Codro pauperiores sæpe cum sint, non desinunt alijs diuitias Crœsi polliceri. Dicam apertius: illorum conatus reprehendo, qui se metalla viliora in argentum vel aurũ purum transmutare posse dictitant. Sanè inter hos multi reperiuntur insignes impostores. Inueniuntur etiam viri non mali aliquot: qui vel per ignorantiam vel ruditatem Philosophiæ naturalis in hunc errorem prolapsi sunt. Qui vt imprudentiæ suæ excusationem inueniant, inuenisse sese dicunt, quod inueniri non posse præclarè cognouerunt. Sed his omissis, rem ipsam tractemus.

Qui non oppugnentur in hoc libro.

De Metallorum materia.

Oriuntur Metalla ex Aristotelis omniũq; rectè philosophantium sentẽtia hoc modo: Calor in terra latens visceribus, duplicẽ excitat exhalationẽ expirationémue, (Græci vtranq; solent ἀναθυμίασιν vocare.) aqueam scil. quam & ἀτμὶν & ἀτμὸν nuncupant, & terreã, quam Aristot· ἀναθυμίασιν (nomine generis alterã exprimens speciẽ.) interdum etiã καπνὸν appellat. Priorẽ nos vaporem: posteriorẽ verò halitum plerũq; nominabimus. Cęterũ quòd dico, nõ sic debet accipi, ac si vel vapor sine halitu, vel halitus sine vapore metalla ac fossilia cætera generet. Semper. n. alter alteri est permistus. Appel

Metalla ex halitu generantur.

latur autem vapor eiuſcemodi exhalatio, vel halitus, prout humida vel ſicca expiratio ſuperat. Hinc Ariſtoteles illum aliquando non vaporem ſiue ἀτμὶν, ſed ἀτμιδώδη ἀναθυμίασιν nominat: quemadmodum halitum quoque ſæpenumero καπνώδη ἀναθυμίασιν vocat. Vtriuſque exhalationis, humidæ ſcilicet & ſiccæ tot ſunt ſpecies, quot ſunt res, quæ ex ipſis naſcũtur: imò quot ſunt terrarum aquarumq; differentię, ex quibus exſpirant. Et in ſingulis etiam ſpeciebus gradus miſtionis multi reperiuntur: qui faciunt, vt vnius ſpecie metalli indiuidua plurimum ſæpe inter ſe differant.

Quid metallum ſit.

Ex hac duplici exhalatione oriuntur Metalla & foſſilia vniuerſa. Et de alijs foſſilibus in præſentia nihil dicam: de Metallis ſic propriè nominatis (quantum præſens cauſa poſtulare videbitur) nunc ſolummodo diſſeram. Ac ne in nomine erretur, cum Chemicis peritioribus metallum dicimus eſſe, corpus foſſile, durum, quod ab igne liqueſcere, & à malleo dilatari poſſit: ſiquidem naturam ſuam ſeruet. Sic ferè Chemici, (vt Gebrus in Summæ lib. 1. cap. 31. Itemque Petrus Bonus.) Metalla nobis deſcribunt, non malè. Quippe non Ariſtotelis modò ſententiæ, verùm etiam rei naturæ conſentanea eſt hæc deſcriptio. Quicquid enim ab igne liqueſcit, atque ἐλατὸν eſt, cum ex terra eruitur, & ab eadem repurgatum fuerit, hoc & metallum ab omnibus omnium ſeculorum doctis appellatum fuit: ſicut contrà, quicquid metallum eſſe putauerunt, hoc ἐλατὸν ſiue ductile quoque eſt. Ἐλατὰ definit Ariſtoteles libro quarto Meteorologicorum his verbis: ὅσα τῇ αὐτῇ πληγῇ δύναται ἅμα καὶ εἰς πλάτος, καὶ εἰς βάθος τὸ ἐπίπεδον μεθίστασθαι κατὰ μέρος. Breuius dicimus nos ἐλατὰ eſſe, quæcunque à malleo dilatari in latum &

Metalli definitio.

profundum poſſunt. Nec refert quòd non omne ferrũ liquari ſemper poteſt. Satis eſt, quod initiò, cum primũ ex terra erutum eſt, ipſum quoque χυτὸν ſit. De his ergo foſſilibus nunc loquemur, & quomodo generentur oſtendemus.

Quomodo metalla generentur.

Ergo vapor ex certa materia à calore ſubterraneo excitatus, atque in rimas ſaxorum terrarumq; receptus, cum à frigiditate eorundem ſpiſſatur, exiccatur, induratur, in Metallum tandem tranſit. Atque in hoc vel illud metallum denſatur, pro vt ex hac vel illa materia ſublatus, & hoc aliquo vel alio modo cum halitu miſtus eſt. Etenim ex alio vapore aurum: & ex alio argentum: atque ex alijs rurſum alia metalla, vnumquodque ſcilicet ex ſuo quodam vapore cogitur. Argumẽto vel hoc eſſe poſſit, quòd metallicarum venarum ſaxa cum primum mutantur, metallum nullum amplius proferunt tale, quale iam antea effodiebatur. Quamobrem metallorum ſingulorum materia eſt vapor certus. Hunc ex materia certa & conueniente calor ſubterraneus exprimit, miſcet, concoquit: quem deinde frigus, & ſiccitas terræ, vel lapidum, in metallum cogit. Forma ea eſt, quã diximus: vt nimirum corpus ſit ὀρυκτὸν, σκληρὸν, τηκτὸν, ἢ χυτὸν, ἢ ἐλατὸν, foſſile, durum, fuſile, aut malleo ductile. Finis is eſt, cuius cauſa Natura ſingula procreauit, (quę fruſtrà agere nihil ſolet) nemini non cognitus. Generãtur proinde metalla ex ſententia Ariſtotelis, ac veterũ & eruditorum Philoſophorum omnium, non ex aqua vel ſucco, vt putauit Georgius Agricola vir doctiſſimus (& quo de his rebus nemo plura & accuratiora ſcripſiſſe ſcitur) ſed ex vapore antequam in aquam coeat. Ros, inquit, Ariſtoteles, & pruina ex vapore ſupra terrã coacto & denſato gignuntur, poſtquam ſecretus eſt ab halitu ſiue arida & calida exhalatione. Metalla autem ex

Metallorũ materia eſt ſuus cuique halitus certus.

Metalla nõ generantur ex aqua uel ſucco.

eo generantur ſub terra ante ſecretionẽ. Propterea partim ex aqua conſtare ea dicimus, partim negamus: vtrunque rectè ac verè. Quoniam materia eorum erat aqua potentia, antequam in Metallum conuerteretur: actu nõ erat. Nec ex aqua per effectionem ſeu perpeſſionem, vt ſapores, conflata ſunt, οὐ γὰρ οὕτω γίνεται τὸ μὲν χαλκὸς, τὸ δὲ χρυσὸς, ἀλλὰ πρὶν γενέσθαι παγείσης τῆς ἀναθυμιάσεως, ἕκαστα τούτων ἐστί. διὸ καὶ πυροῦται πάντα καὶ γῆν ἔχει. ξηρὰν γὰρ ἔχει ἀναθυμίασιν. Conſtant ergo Metalla non ex aqua & terra miſta (ſiue ex ſucco) ſed ex vapore, qui à frigore lapidum in Metallum denſatur ante ſecretionem aridæ expirationis. Sanè ſi ex aqua perpeſſa conſtarent, vt ſapores, non ignirentur, ſed diſſiparentur potius, inque fumum ab igne diſſoluerentur. Nec diuerſum Plato ſenſit, quamuis minus propriè locutus videri poſſit, cum ex aqua orta Metalla dixit.

Mens Ariſtotelis declaratur.

Videtur itaque hic eſſe verborum Ariſtotelis ſenſus. Metalla in ignem iniecta igniuntur, funduntur, nec diſſipantur in halitum. Porrò quæ liquantur in igne, aquea ſunt: & quæ igniuntur, nec in fumum aut vaporem abeunt, terrea ſunt. Terra enim maximè igni reſiſtit. Non poſſunt autem ex aqua concreta, ſiue ex aqua actu conflata poni, quoniam talis aqua, quantumlibet benè cum terra miſta ſit, ſemper in igne conſumetur, propterea quod non eſt ad minima diuiſa. Terra quoque actu cum aqua actu permiſta, poſt aquæ diſſipationem in cinerem reſoluitur. Metalla autem non ſic ab igne conſumuntur: aut ſi quæ ex eis corrumpuntur ab igne tandem, tardè admodum id patiuntur. Quocirca neceſſe eſt omninò, terram cum aqua exactiſſimè, & per prorſus minimas particulas miſtam eſſe, vt quæuis aquæ pars terram contineat, qua ab ignis vi & potentia defendatur: & pars terræ quælibet aquam ita ſibi habeat permiſtam, vt fluere poſſit. Ta-

lis autem mistio cogitari non potest facta fuisse,nisi cogitemus tunc fuisse factam,cum nec vapor in aquam, nec halitus in terram coacti adhuc fuissent.Impossibile namque est, vel aquam vel terram ita minutim diuidi,nisi in exhalationem soluantur.Nulla enim terra minor,aut ęquè tenuis esse potest, atque halitus : nec vlla aqua sic potest ad minima diuidi, dum actu aqua existit, vt vapor diuisus est.Sic alia facilius, alia difficilius ab igne patiuntur, prout ex vaporibus constant tenuioribus aut crassioribus. Et quo tenuiores sunt, tanto etiam puriores & purgatiores eos esse necessarium est.

Defensio Aristotelis aduersus Georgium Agricolam.

Proinde non rectè Georgius Agricola reprehendisse mihi Aristotelem videtur, quasi nullam suæ sententiæ rationem attulerit. Equidem tam non fuit ea res Aristoteli tunc dubia visa,vt probatione eam opus habere nulla putarit.Certè duobus,vt dicitur,verbis indicare satis habuit,quæ plurib. nunc exposui.Adde quod hac sententia posita,longè facilius & melius ratio reddi omnium proprietatũ potest,quæ in Metallis insunt, quàm si Georgij opinio approbetur:quam tamen veritati propiorẽ esse certũ est,quã aliã quãuis ab Aristotelis mente discrepantẽ.Videntur etiam nõ habitura tantam soliditatẽ fuisse, siquidẽ ex succo orta fuissent: id quod à quouis perspici potest.Taceo quod filamẽta,& quasi capilli quidam tenuissimi ac longi,aurei & argẽtei,in Metallis aurarijs argentarijsq; reperti,hoc ipsum satis euidenter probãt atq; declarãt. Habeo talia apud me filamenta complura,quę negare nullus facilè ausit, ex vapore potius, quàm ex succo in rimis lapidum concreuisse. Tale quippiã quoq; Iul. Cęsar Scalig.Exercit. contra Cardanũ 102.(vt cum alios, tum Georgiũ Agricolam.

colam præteream)in Hungaria conſpici ſcribit:nempe aurum ibi exire è terræ ſolo,quaſi germinans,filamenti ſpecie,longitudine quaternum circiter digitorum, aliquando etiam denum.Vtrum ſuccus hoc pacto aſcendat potius,an vapor,etiam Idiotæ intelligunt. Quòd ſi verum eſt,quod ab Auicenna dictum eſt,ferrum in aere & nubibus concreſcere, minus dubitari de veritate Ariſtoteleæ ſentẽtiæ poterit.Quippe non aliter in nubibus concreſcet,quàm ex vaporibus nondum ſegregatis.Ac quod tale ferrum ſiue æs fundi nequeat.(Nam & hoc ſcribitur)ſed in fumum abeat & cineres,nemo mirabitur,qui ſuprà dicta intellexit.

Ferrum in nubibus cõcretum.

Defenderunt aliqui hoc etiam argumento Ariſtotelem,quòd ſuccos ferè ſemper ſtiriarum inſtar, aut forma triangulari, quadrangulari, aut alia ſimili concreſcere videmus. Sic Cryſtallus, ſic Irides aliqui, ſic alij quidam ſucci ſemper inueniuntur,(aut certè plerunq;) denſati.Verùm non ſatis firmum eſt,quod dicitur.Non enim video quid vetet,Metalla etiam interdum hoc modo cõcreſcere,pro locorum,in quibus dẽſantur,varia figura. Sanè habeo lapides apud me ex fodina ſtanni(quæ eſt apud Slaccoualdium in ſylua Bohemiæ)excisos:qui ſtannum in ſe concretum nigro colore fulgidũ continent variè figuratum. Habeo etiam argentum rubri & cerulei coloris, ferè inſtar iridis angulos habens, aut Chryſtalli.In ære & ferro rarius hoc,puto,cernitur, propterea quòd plus terræ continent. In ſtanno & argento, quæ plus aquæ in ſe habent, facilius contingit. Nec dubium eſt apud me, quin vapores iſti,ex quibus Metalla fiunt, interdum à concreto ſucco, antequam congelentur,parum abſint.Nos autem non quid in aliquibus aliquando acciderit vel accidere poſſit,ſpectamus, ſed quid in omnibus & plerunque eueniat, conſideramus.

Metalla inſtar ſuccorũ aliquando cõcreſcunt.

Nec

Nec illud nos vel nimium mouet, quod fornaculatũ Chemicarum inflatores quidam obijciunt, non posse naturam ex spiritu seu vapore molli durissimum creare Metallum, vt non prius corpus generet medium. Neque enim ab extremo vno transilit ad alterum, dum hoc facit. Quippe in Spiritu illo insunt corpuscula minutissima terrea & dura, quę minus propter raritatem fortasse percipiantur à nobis, siquidem tangere ea nobis liceret: at cõdensata iam & vnà cum aqueo vapore consolidata, congelataq; à vehementi frigore, non mirum est, si facilius percipiatur eorũ durities. Aqua quoque, quam minimè duram esse scimus, cum in glaciem à frigore permutata est, admodũ fit dura. Nullus, puto, non aut vidit aut audiuit Chrystallum durum esse, qui tamen ex omnium sentẽtia propê ex sola aqua coaluit. Vana igitur est hæc obiectio. Tot nobis de Metallorum ortu in præsentiarum dicta sunto.

De Metallorum Speciebus.

Cæterùm species Metallorum quot & quæ sint, etsi non est prorsus facilè iudicare, tamen ex illis, quæ dicta nobis huc vsq; sunt, non prorsus impossibile est cognoscere. Alij plures alij pauciores enumerant. Etenim aliqui recensent hæc: Aurum, Argentum, Aes album, Ferrum, Chalybem, Orichalcum fossile, (quod in Funduribus, qui tractus est inter Mexicum & Darien effodi scribit Scaliger Exerc. cõtrà Cardan. 88.) Rusma Turcicum, Plumbũ album, Nigrum, Cinereum. Addũt aliqui electrũ, quod tamen compositũ potius est, quàm simplex Metallũ, teste Pausania. Nõ desunt qui species Metallorũ aliquas interijsse opinentur: aliasq; fortasse adhuc ignotas orituras. Sed hæc incerta sunt. Plerique Chemicorũ vnà cum Astrologis, (quib. aliâs magna adeoque tãta est cum Carbonarijs istis amicitia, vt rarò inueniatur aliquis alterã vanitatẽ solã, nõ simul vtrãq; probans.)

Astrologi & Chemici magna amicitia iuncti sunt.

probans.)ſeptẽ ſpecies ponunt,pro Planetarũ numero: Aurũ Soli,Argentũ Lunæ,Plumbũ Saturno, Stannum Ioui,Ferrum Marti,Aes Veneri, Hydrargyrũ Mercurio attribuentes:& horũ nominib.ea plerunq; nominãtes.

Non hoc iam diſputo, quam recte ſingula enumerata Metalla ſingulis Planetis dedicarint,præſertim cum hîc etiam, vt in pleriſq; alijs,parum inter ſe conſentiãt. Sunt enim qui pro argento viuo electrum Mercurio apſcripſerint. Author quoq; eſt Scaliger Exercit. citati nuper operis 106. Chaldæos Orichalcum Ioui:Marti vero æs:ac deniq; ſtannum Veneri aſſignauiſſe. Nec illud etiam in præſentia diſputo, an ſex tantùm ſpecies ſint Metallorum,vt cum alij complures Chemici,tum princeps eorum Gebrus, (quem Magiſtrum magiſtrorum appellant. cenſuit.Fateor tamen huius ſententiam anteferendam eſſe opinioni aliorũ omnium,qui argentũ viuum inter Metalla connumerant. Propior enim eſt veritati:& magis cõſona ſententiæ Veterũ. Quomodo namq; Metallum eſſe putetur,quod Metallorum vix vllas obtinuit proprietates? Sanè durũ nõ eſt:nec liquari poteſt:multò minus ἐλατὸν dici poterit Ariſtot. & veteres Græci inter excrementa potius & venena repoſuerunt,quàm inter Metalla. Gebrus atq; alij quidam auri coctores, non Metallum, ſed principium & materiam Metallorum aſſeruerunt,vt mox audiemus. *Hydrargyrum nõ eſt Metallum*

Ad rem quod pertinet propoſitam, ſi rectè metallum definiuimus, quotcunque metalli ſpecies ponantur, non poterit argentum viuum pro certa metallorum ſpecie haberi. Scio ferrum inueniri, quod liqueſcere poſt primam fuſionẽ amplius nequeat. Scio Scaligerum ſcribere,Orichalcum repertũ, quod nullo hactenus igni liquefieri potuiſſet. Neq; hoc etiã neſcio,Ariſtot ſic locutũ eſſe,vt credi poſſit ſenſiſſe, metalla nõ poſſe liqueſcere. Non.n.ait metalla eſſe χυτὰ καὶ ἐλατὰ,ſed

esse ea ἢ χυτὰ, ἢ ἐλατὰ. Et ductilia esse omnia nullus dubitauit doctus. Memini præterea illius, quòd fusores isti de ære ferróue in nubibus generato ex Auicenna citant, fusile nõ esse scribentes. At de talibus Metallis nobis sermo non est: sed de illis, quæ in terra vel sub terra sic nata sunt, quemadmodum nasci plęraq; & plęrunq; secundum naturam solent. Habeo quoq; ferri lapides duos, alterũ ferrei, alterũ corticis castaneæ maturæ coloris, planè molles & pingues, qui instar butyri teri digitis possunt, ex quibus nihilominus ferrũ ab igne extrahitur durum atq; optimum, vt nihil in eo desiderare possis, (vt mihi vir clariss. D. Ortolphus Marolt Illustriss. Princip. Hennenbergensium Medicus prudentiss. & mihi amicissimus testatus est: à quo eosdem lapides accepi.) Quæ ideò commemoro, vt, quod multi Chemici peritiores scripserunt, intelligatur, hoc saltẽ omni Metallo à nobis adhuc cognito adesse, vt ἐλατὸν sit: ideoq; argentũ viuum perperàm inter Metalla reponi. Cum iisdem nunc in eo etiã consentimus, sex esse Metallorum simplicium species. Quanquam non negem plures res fortè inuentas iam, aut inueniri deinceps posse: quibus definitio horum sex, quæ nouimus, congruat.

Ferri lapides molles & pingues

D. Ortolphus Marolt, Med. Hennenberg.

Species Metallorũ sunt sex.

An Plumbum, æs, ferrum, &c. perfectæ sint Metallorum species.

Argentum viuum Metalli speciem non esse, quia satis ostensum est, restat nunc illud videndum, vtrum plũbum, stannum, æs, ferrum, argentũ, veræ perfectæq; species sint, an verò rudimenta solummodo quædã auri, & impęrfectũ inchoatũq; aurũ: quod aliqui solum perfectum esse Metallum contendunt quidẽ, argumento autẽ probãt nullo. Quicquid enim hîc proferũt, inane, falsum, & lubricum est. Ac nihilominus hoc pro fundamẽto artis suæ certissimo sic posuerũt, vt eo labante & cõmoto, necesse sit totã simul χρυσοποιητρίαν collabi &

euaneſcere. Proinde coniecturas eorum primo loco inſpiciendas proponam. Deinde quàm euanidæ ſint, mõſtrabo. Natura, inquiunt, tranſmutat Metalla ignobiliora vniuerſa temporis progreſſu in aurum: Ergo ſunt quaſi aurum imperfectum, & nondum integrè excoctum repurgatumque. Ex quo conficitur, ea non poſſe pro perfectis haberi ſpeciebus. Porrò conſueuiſſe naturam ea tranſmutare in argentum & aurum, ex eo liquet, quod in fodinis ſtanni & plumbi aliquando repertum fuit argentum: in Metallis autem ærarijs & ferrarijs, (quanquam in his propter impuritatem rarius cõſpiciatur) inuentum eſt aurum: ſicut etiam in argentarijs. Quinetiam in Germania alicubi effoſſum eſt argentum incoctum & imperfectum adhuc, quod ſpatio 30. annorum perfici potuiſſe iudicarunt periti harum rerum. Addunt & hoc: Metallorum omnium materia propinqua eadem eſt, puritate & impuritate, coctione & cruditate differens. Iam quæ hoc pacto ſolum differunt, non differunt ſpecie. Eſt ergo vna Metallorum omnium ſpecies perfecta, non plures.

Argumenta probantia ſolum aurũ eſſe perfectum Metallum.

Argentum ſemimaturum.

Hęc argumenta ex libris eorum cognoſcere potui. Si quę alia ſunt, aut abſolutè & palàm abſurda ſunt, aut in idem cum prędictis recidunt. Nunc quàm falſa ſit eorũ hypotheſis videamus. Principiò conſtat, omnes Philoſophos eruditos, quinetiam peritiores Chemicos conſtanter aſſeruiſſe, ſub genere Metalli plures diſtinctas perfectasq; ſpecies contineri. Semper enim Metallorũ genus non aliter in ſuas ſpecies diuiſerunt, quàm vel lapidis, vel animalis, vel aliud quoduis genus in proprias ſuas ſpecies diſtraxerunt. Quocirca neceſſe eſt, vt hiſce iudicib. omnino delirare cõuincantur, quicũq; ea rudimẽta ſolũmodo auri eſſe, ac non ſpecie, ſed qualitatib. qbuſdã ſolis ab auro differre cẽſent. Nõ video etiã, qua in parte metalli definitio min⁹ æri aut plũbo cõueniat,

Metallum eſt genus, ſpecies ſub ſe diſtinctas habens.

quàm auro & argento. Proinde si rectè metallum definierunt, necesse est, vt perfectum sit metallum, cuicunque definitio metalli congruit. Hoc quanquam satis esset argumentum validum ad ostēdendam positionis falsitatem, declarabo tamen eam argumentis alijs certius.

Quæ sic existunt, vt efficiente causa præsente non mutentur amplius, finem atque terminum motus seu mutationis, hoc est, formam suam propriam, vltra quā Natura nihil in ea specie meditatur amplius, adepta iam sunt. At verò æs, ferrum, aliaque Metalla in suis venis ita existunt, sicut diximus. Obtinuit ergo vnumquodque suam speciem atque formam. Sanè non prius quiescit Natura non impedita, quàm propositum sibi attigerit scopum. Nec desinit res moueri ac mutari, priusquā id sit facta, quod fieri debuit ac potuit. Porrò non esse hoc Naturæ propositum, vt viliora metalla in nobiliora transmutet, ex eo primum clarè perspicitur, quòd perfectorum specie nulla est permutatio in speciem aliam sub proximo & vno genere contentam. Deinde quod eiuscemodi metalla, plumbum scilicet, æs, ferrum, in suis venis, (præsente adhuc effectrice causa, ac subinde alia eiusdem speciei & perfectionis generante) formam & essentiam non magis mutant, quàm aurum sincerissimum & perfectissimum: quantumuis multis seculis in ijsdem maneant coquanturque. Et quæ à Natura subinde generantur noua, cum primum eandem illam consecuta sunt speciem atque perfectionem, similiter quiescunt, mouerique desinunt. Quod si meditaretur Natura hîc amplius, certè partes aliquas elaboraret diligentius, si omnes non posset: atque vestigium aliquod ipsis formæ futuræ, auri videlicet argentiuè, ipsis imprimeret.

Perfecta unius generis proximi species non in se permutantur.

Neque excusabis, si dixeris non satis longo tempore ibidem

ibidem relicta fuisse. Quippe figmentum est, quod Gebrum atq; Rasim secuti omnes ferè sufflatores isti affirmant, mille tantùm annis, nō citius aurum perfici. Aetas nostra facilè eos mendacij coarguet. Vidi ego argētum purissimum in valle Ioachimica, in arbore siue trabe cuniculi cuiusdam concretum, quae vix ante annos 25. aut 30. ad sustinendum cuniculum ibi collocata fuerat. Cum haec computruisset, atq; in eius locum alia, ne cuniculus rueret, reponeretur, adhaerere argentum putrido ligno conspectū est. Non habuisse eam argētum, cum in eum locum poneretur, certum est. Vtrum autē primo mox decennio, aut secundo, aut tertio ibidem generatum fuerit, certò cognoscere tunc non potui.

Quod de coctione metallorum in suis venis nugantur, aequè fatuum est. Cum primum enim in metallum à frigore densata est materia, frustrà expectatur coctio. Non enim à calore subterraneo deinceps soluuntur, atque perfectius coquūtur. Coquit, miscet, & perficit materiam metallorum Natura tunc, cum ex subiecta sua materia halitus & vapores elicit: & deinde etiam priusquam à frigore congelati indurētur. quo facto, coctio desinit. Delirant ergo plurimum, qui temporis successu perfectiorem quasi maturationem expectant. Nihilo firmius illud est, quòd Naturam impediri in ijs locis existimant, quo minus ex aere vel ferro aurum argentūuè perfecerit. Equidem somnium est, si quis cogitet Naturam in tam multis locis, in quibus planè incredibilem aeris, ferri, argentique (quod ab auri perfectione minimum abesse confitentur) copiam generat, sic impediri posse, vt nulla in parte finē suū cōsequat. Si nō potuit centesima, saltem millesima potuit materiae particula apta esse, quae tot annis imò seculis in aurū verteretur.

Quādo metalla coquātur à calore.

Natura in paucioribus impeditur.

Dicam, quod res est, insania est adeoq; insignis vel ruditas, vel impietas, Naturam: quae aliud nihil

Natura quid.

eſt,quàm poteſtas ordinaria à Deo cunctis rebus inſita,ita elumbem & imbecillã fingere,vt propoſitũ ſcopum in tot millibus particulis nunquam attingere potuerit. Generatio naturæ opus eſt,non artis: vt omnes omnium ætatum homines intelligentes & ſcientes iudicauerunt:& rectè quidem. Si enim Ars quoq; generationis author & effector ponatur,nullam inter hanc & naturam diſcrimen erit. Error naturæ,ò decoctores auri,rarò & in paucis cernitur,finem plerunq; aſſequitur:vt omnes omnium ætatum rectè ſentientes homines,ab ipſa rerum euidẽtia docti,confeſſi ſunt. Ex quo conſequitur,naturam aliud tunc non voluiſſe pariter ac potuiſſe generare,cum æs,ferrum,plumbum, argentum,&c.genuit,multisq́; annis immutatũ cõſeruauit, inq́; aurum neque partem aliquam,neq; totum tranſmutauit. Etenim cum velit in genere quolibet præſtãtiſſimum & perfectiſſimum: in metallorum autem genere,auro nihil ſit præſtantius:vbiq; aurum generaret, ſi non niſi vnica auri ſpecies perfectum eſſet metallũ: cætera omnia infra metalli perfectionem ſubſtitiſſent, Quod imperfectum inchoatumq́; ſolum eſt, in ſpecie nulla reponitur. Quare perrarò creauit natura metallum,rudimenta, & initia quædam frequentiſſimè, ſi Chemicis credemus.

Imperfectũ in nulla ſpecie ponitur

Deinde certum quoq; eſt,naturam propter fines vſusq́; certos ſpecies producere omnes. Quæcunq; ergo res à natura ſæpè multisq́; in locis productæ inueniuntur,quarum vſus certus imò neceſſarius eſt hominibus,& ex mutatiõe hũc vſum amittũt,eas certò certius eſt,propter illum vſum creatus fuiſſe: certamq́; & perfectam ſpeciem ſuam ſingulas obtinuiſſe. Iam verò conſtat,ferri (exempli cauſa) vſum talem eſſe,vt ſine eo homines rectè commodeq́; viuere vix queant. Conſtat non minus hoc,vſum ſuum perditurũ eſſe,ſi vel in

Ferri vſus.

aurum vel in argentum permutetur. Proinde propter eum vsum creatum est perfectum in sua specie. Profectò æris vsus, quod tamē Chemici ferro perfectius, hoc est, ad auri speciem accessisse propius existimant, longè minor minusque necessarius est vsu ferri. Si alterutro carendum sit nobis, quis dubitet facilius nos ære quàm ferro carere posse? Quòd si ergo Natura ferrum in aurum transmutauisset, neque peculiarem & perfectam Metalli speciem fecisset, quomodo quæso dura corpora, quæ ferro cedunt, auro non cedunt, secauissemus? Perfectum ergo quiddam est inter Metalla ferrū: propter suos vsus ita generatum, vt propter suos aurum est ab eadem productum. Mollius enim aurum esse ferro, ne ipsi quidem Chemici negauerint.

Addatur hoc etiam, quod Natura in specie qualibet non multiplicat indiuidua durabilia, nisi species ea perfecta sit species, cui addi nihil debeat: & quæ perfectior fieri, nisi in genus proximum aliud transeat, non possit. Atqui videmus eam ferrum, æs, plumbum, stannum, plurimum multiplicare, atque durabilissima facere neque addere ipsis perfectionem extra suam speciē. Quocirca tenendum est, vnumquodque horum in sua natura & specie perfectissimum esse. Nati sunt aliquando imperfecti & mutili, vel bracchijs vel pedibus carentes At horum species quia nulla erat, non sunt multa talia indiuidua similia prognata. Causa non est obscura. Natura enim indiuidua specierum solummodo multiplicat, propterea quod perfecta non manca esse vult, quæ producit. Perfectam ergo speciem habent, æs, ferrum, aliaque vilia metalla. Cum ferrum dico perfectum esse, intelligo in ea perfectione esse, quæ huic speciei debetur: non cum argenti vel auri perfectione comparo. Est canis, mus, simia, perfecta, cui nihil eorum

Natura nō multiplicat indiuidua imperfectarum rerū.

deest,quæ habere pro sua natura hæc animalia debent. Attamen nullum horum cum præstantia & dignitate hominis comparari debebit. Ex quibus omnibus efficitur, Metallorum non vnicam, sed plures species esse perfectas: neq; viliora differre à præstantioribus, quomodo æger à sano homine differt: quod inscitè ab aliquibus Carbonarijs scriptum non sine admiratione legimus. Quoniam homo æger perfectus homo est, formamq; hominis obtinuit. Ipsi autem metalla non cōcedunt omnia essentialem formam actu possidere, sed materiæ tantummodo vicem explere.

Metalla nō sic solū differūt, quomodo sanus & æger.

Hæc cum aliqui ex peritioribus Chemicis vidissent, (inter quos est Petrus Bonus Ferrariensis.) apertè dixerunt, ferro, & æri, atq; alijs suas esse species: neq; à natura idcirco generata esse aiunt, quia impedita fuerit, vel quia casu sic euenerit: vt veteribus quibusdam ac recentioribus Chemicis visum fuisset. Naturam isti rectè asserunt propter vsus certos deliberatè viliora quoque metalla producere. Etenim quæ casu fiunt, speciem nō constituunt: nec frequenter eodem modo fiunt: sed rarò admodū, & formis valde disparibus nascuntur. Certum quoq; est Naturæ errores, quos casus genuit, non prædicari de singularibus, vt ferrum de hoc & illo ferro prædicatur. In causa est, quòd natura errores non multiplicat. Quoties ergo res aliquæ multiplicantur à Natura, dubitari non debet, quin sint certæ perfectæq; speciei indiuidua. Libēter admittimus hoc loco, quod nullo errore Naturæ, sed ex certo ipsius decreto viliora metalla creari concedunt Chemici. Qui vt hîc veritati & eruditorum sententiæ consentanea dicunt, ita in eo non leuiter errant, quòd nihilominus has species permutari in nobiliores opinati sunt: quemadmodum ferè ouum in pullum transmutari cernimus.

Quæ casu fiunt speciē non constituunt.

Hoc effugium, etsi nihil ipsis prodesse clarissimè postea

stea suo loco sum demonstraturus, non tamen non est hîc obiter confutandum. Species distinctas metallorum concedunt esse plures: sed tales, quæ à Natura ad hoc creatæ sint, vt aurum ex ipsis mutatis fiat. Ratio est, quia ex eadem materia constent. Quòd si ex eadem materia sic putant constare metalla, sicut ex eadem constare dicimus hominem, simiam, bouem, gallinam, facilè approbatores sententiæ suæ nos habebunt. Constant iam dicta ex neruis, ossibus, venis: sanguineque nutriuntur omnia. Quin & sanguis ex eadem sæpe factus est materia, vt cum panem edunt homo & gallina. Attamen neque gallina humano, neq; homo gallinaceo nutriri potest sanguine non mutato iterumque cocto. Propterea quod per coctionem dissimilia separantur, conuenientia autem & similia in nouum sanguinem eumque diuersum permutantur. Causa est, quòd aliter panis in gallinæ ventre, aliter in hominis ventre mutatus coctusque fuit: atque ideo sanguis vtrobique non per omnia similis generatur. Discrimen intelligimus potius, quàm sensu percipiamus. Lactuca & absinthium ex eodem sæpe succo nutriuntur, sed non similiter eundem coquunt. Illa namque lacteum dulcémque ex eo humorem, hoc amarum gignit. Quòd si ergo sic putant ex eadem constare materia metalla, nihil habeo quod accusem.

Metallorū quomodo eadē sit materia.

Coctione separantur dißimilia.

Sin aliter iudicant, id quod scripta eorum testificari videntur, toto cœlo aberrant.

Impossibile namq; est, vt diuersarum formarū eadē præcise, pxima sit materia, sed differre sic materias necesse est, sicut ipsę species seu formę differūt. Certè forma humana nunquā possit informare carnē aut corpus bouis: nec anima bouis informet vnquā corpus hominis. Requirūt istæ animæ tam diuersas partium, quas informant, temperies, quàm sunt ipsæ inter se diuersæ. Nec

Diuersæ formæ non sunt in eadem materia.

potest materia vnius formæ materia fieri alterius, prius quam substantia permutata alterataq; sit tota. Non enim ante subiectum fit animæ nostræ conueniens caro aut sanguis suillus, aut alius quiuis, quàm in chylũ album & deinde in nouum aliumque sanguinem sit transmutatus. Proinde necesse est, Chemicos nobis dare, Metallorum materias hactenus distingui, vt plumbi materia nunquam possit fieri materia auri, vel stanni, vel argenti, nisi tota sit transmutata in naturam aliã. Quòd cum dederint, causa ceciderunt tota. Nihil enim tale moliuntur: & apertè satis fatentur, se materiam sic alterare non posse.

Cuiusq; speciei est propria materia.

Ergo cum ipsimet scribant, vniuscuiusque speciei vnam esse certam & propriam materiam, (vt Richardus Anglus in 10. cap. sui Correctorij, & Tauladanus contra Braceschum testantur) certò apparet eos vel non intelligere quod dicunt, cum Metallorum sex distinctas esse species dicunt, vel simulare se credere, quod nunquam crediderunt. At nos distinctas species esse in Metalli genere, sic probauimus, vt refellere nunquã possint. At referuntur aliò, aiunt, sicut ouum ad pullũ. Nihil hoc est, si verum quã maximè ponatur. Nam sicut ouũ gallinaceũ, aut anatinũ, aut aliud quoduis, perfecta est species in ouorũ genere, nec ex vno ouo, ouũ fit alterius speciei, sic & Metalla perfectas dabũt species, vt vnius speciei materia non possit esse materia alterius. Ratio eadem est omnium rerum, ex quibus Natura aliud facit. Nulla, nulla, inquam, res talis materia fit indiuidui speciei alterius distinctæ, & sub eodem proximo genere comprehensæ. Quare nec Metallorum materia auri erit materia, nisi tota substantia materiæ permutetur in substantiam aliam auri formæ soli congruentem.

Hæc ita habent, siquidem illis cõcedamus, quod volunt,

sunt,nempe metallorum species ad aurum referri, vt oui & seminum species referuntur ad pullos & plantas atq; animalia. Sed ne hoc quidem uerum est. Etenim quæcunq; hoc modo fecit Natura,ea omnia breui admodum tempore hoc ipsum fiunt, quod fieri debẽt, quotiens causa transmutans præsens adest. Sanè si gallinæ incubarent ouis, quæ pepererũt,non multis septimanis immutata seruarentur:quemadmodũ in auium ouis alijs fieri videmus: quæ ouis mox, atq; ea pepererunt,insident. Similiter quoq; semina, si in terram iaciantur,non multo tempore in ea impermutata sepulta iacent. At metalla etiamsi in terra aliquot seculis in sua matrice permaneant,& calorem concoquentẽ ipsa in aurum,vt Chemici aiunt, præsentem habeant, mutantur tamen in substantiam aut speciem aliam siue aurum nunquam. Deinde quæ quasi semen aut rudimentum sunt alius rei,magis magisq; permutantur:vt interdum semimutata conspiciantur: quod in nullo metallo vnquam obseruatum fuit. Postremò non est talium vsus maximus ac necessarius, sed conuersa sunt longè vtiliora: & cum conuertuntur, in aliud genus transeunt. Sed metallorum vsus est, vt ferri,maximus, maximeq; necessarius:nec transirent in genus aliud,siquidem in aurum mutarentur. Nugæ ergo sunt, quæcunq; hîc Chemici adferunt: vt suo loco dicemus iterum. Nunc postquam plures & distinctas metallorum species perspicuè ostendimus, quid ad Chemicorum propositas coniecturas respondendum videatur, breuiter indicabimus.

Metalla nõ se habẽt ad aurũ, sicut ouũ ad pullum.

Responsio ad Argumenta Chemicorum.

Cum stanno, plumbo, ære, ferro, nonnunquam reperitur argentum vel aurum. Ergo ex illis vt imperfectioribus,fiunt hæc perfectiora. Si vera est consecutio, necesse est, vt propositio, ex qua sequitur, vera sit:hæc

nempe: Quoties Metallorum species duæ aut plures simul mistæ reperiuntur, semper perfectior ex imperfectiore genita est: Hæc si falsa est, collapsa sunt omnia. At verò quis eam concedat? Nisi fortè & hanc veram dicant. Quando duæ alicuius proximi generis species, siue specierum talium indiuidua simul inueniuntur generata, semper perfectius & nobilius ex ignobiliore, vt ex materia sua genitum est. Sic hominem ex vermibus & similibus aliquando natum esse confiteri cogemur. Figmenta sunt omnia hæc. Nos longè verius dicimus, nunquam visum fuisse in aliqua vena plumbum, vel æs, vel ferrum, in argentum, vel in aurum permutatum. Accidit quidem frequenter, vt in vna vena plures metallorum species inueniantur. At ex eo non conficitur, alteram ex alterius transmutatione natam fuisse. Hoc sequitur, plures & diuersos specie spiritus vaporésue mistos concreuisse. Vsuuenire hoc periti omnes intelligunt, non modò in metallis, verùm etiam in cæteris fossilibus: vt nimirum diuersissimi generis fossilia in vna sæpissimè gleba reperiantur: quæ tamen nullus sic nata putet, vt vnum in aliud transmutatum fuisse credat.

Metalla rarò effodiuntur sincera. Profectò rarò admodum metallum aliquod effoditur sincerum & purum: cum quo non alius generis fossilia coniuncta cernantur: quæ constat non potuisse ex eadem materia pronasci, ex qua metalla orta sunt. Metallici non ignorant, æs, aurum, atque alia quædam metalla, interdum per substantiam durorum lapidum sparsa esse, quo penetrauisse ea nullus temerè dixerit: vt valde probabile sit, eiuscemodi quosdam lapides vnà cum metallo, quod continent, ex suo quodam vapore concreuisse. Vnde etiam cum metallo in fornacibus liquefiunt: quanquam non ita, vt metallum, ignem perferant. Adde ad hæc, quòd cum metallo,

tallo vni, vt æri, permistum est aliud, veluti argentum, certam ferè quantitatem continet: vt si centenarij singuli denas aut duodenas vncias contineant. Præterea si alia ex aliorum transmutatione orirentur in venis, prorsus necessariò foret aliquando, vt aliquibus in metallis, (ne in omnibus & semper dicam) particulas quasdam ex dimidio conuersas, aliquas magis, & alias minus elaboratas, quasdam vix dum inchoatas inueniri. Hoc quia nunquam ostensum fuit ostendiuè potuit, fabula est quod à Chemicis dicitur.

Aurum alicubi effoditur, & effossum olim quoque copiosum fuit: neq; ibi viliorum metallorum aliquod repertum fuit. Quòd si in aliquibus venis aliquod horum apparuit, nunquam vel ex dimidio vel ex parte aliqua sic mutatum apparuit, vt potuerit videri in aurum esse mutandum. E diuerso multis seculis multis in locis æs, plumbum, ferrum, effossa nataque sunt: neque auri quicquam ibidem nasci visum est. Quomodo, quæso te, tot annis imò seculis nullam partem Natura huc vsque permutauit: vt saltem videri posset vestigium aliquod huius futuræ transmutationis? Sed frustra hæc disputo, dum Aduersarios habeo consentientes. Ipsi namque argumentis probare conantur, Naturam viliora metalla nunquam in se mutuò mutare, sed omnia in aurum vertere: de solo plumbo & stanno dubitatum ab aliquibus scribunt. Addunt tamen nesciri adhuc, vtrum hoc aliquando Natura tentauerit aut præstiterit. Et quia Natura hoc non faciat, rectè asserunt, artem hoc perficere non posse: id quod alijs præterea rationibus bene rectéq; monstrãt. Hoc posito, sequitur propositionẽ falsam esse quę hoc modo sonat: Quoties diuersarum specierũ indiuidua simul nascuntur, tunc altera ex alteris, vt ex materia pronata sunt. Si hæc est falsa, vt ipsi concedere co-

Natura nõ transmutat metalla uiliora in se inuicem.

guntur,(velint nolint)ruinosa est eorum hypothesis,totaque probatio: sicut falsam esse satis superq; ostendi.

Quod de argento imperfecto quidam scripsit, vt maximè verum esse concedatur, nihil eos iuuat. Ex suprà dictis perspici potest, Metalla post congelationem non amplius coqui & perfici. Quippe caliditas tanta in fodinis istis non est vnquam deprehensa, quæ fundere ipsa iterum potuerit, in que vapores dissoluere: qui mox diligentius cocti, ac rursus à frigore densati aurum euaderent. Quòd si contingeret aliquando, omnino partes inæqualiter coctæ, hoc est, secundum gradus quosdam coctionis & cruditatis distinctæ, (vt de Chalciti & Misij Galenus narrat) in metallis aliquo tempore fuissent inuentæ. Hoc quia nunquam factum scitur, neque ostendi vnquam in metallis potuit, quis non intelligat somniare Chemicos, cum talia fieri affirmant? Si argentum aliquod repertum fuit non bonum, ideo tale fuit, quòd materia, ex qua vapor expirauit, inepta fuit pro argenti veri & sinceri generatione. Qualecunque fuerit, ostendi nunquam poterit, illud ex alio quopiam metallo transmutato secundum gradus, vt dictum est, natum fuisse. Postremò illud etiam admiror, quomodo non viderint, essentialem specierum permutationem non fieri sub eodem genere proximo. Non enim ex ouo perfectius fit ouum aliud, sed pullus. Neque ex semine apij semen aliud nobilius, sed herba apium nominata prodit. Multò igitur minus absurdi haberet sententia, si ex non metallo generari metalla dicerent, quàm cum vnam speciem in aliam speciem eiusdem generis proximi transire aiunt. Ad alteram rationem, quæ nil est aliud, quàm petitio principij, satis in superioribus est responsum.

Metalla post congelationē non coquuntur amplius.

Essentialis specierum proximi generis permutatio nō datur.

Chemicorum sententiæ de Materia metallorum.

De ortu metallorum, deq; eorũdem speciebus, quæ nos dicturos esse promisimus, diximus. Quare consequens est, vt quid χρυσολυμεῶνες nostri de his sentiant, declaremus. Non autem est vna omnium opinio de materia metallorum, licet de efficiente causa hactenus inter se consentiant, quòd à solo calore concoquẽte metalla confieri putent in suis fornaculis & carbonibus. Satis putant adesse frigoris, si ignis absit: quasi non summum frigus vehementer cõspissans, cogens, & siccans requiratur. A' tali namq; frigore congelata & indurata fuisse, illud euidentissimè demonstrat, quòd nõ nisi à vehementissimo igne soluuntur. Primùm ergo hoc est, in quo à veritate aberrant non leuiter. Inter cæteros videtur Gilgil credidisse prorsus vehementi igne opus esse subterraneo, non temperato solùm calore, vt cæteri docent. Ponunt deinde pleriq; omnes aliud agens, scilicet sulfur, cuius opera natura vtatur in fabricandis, impurioribus præsertim metallis. Cæterùm vt dilucida magis sint omnia, primum Gilgilis, deinde Braceschi, postea aliorum quorundam: postremò Turbæ Chemicorum de metallorum materia opinionem exponam.

Gilgil Metalla à vehementi igne putat generari.

Sententia Gilgilis Mauri.

Gigil ergo Maurus metalla ex cinere in terra genito cumq; aqua misto, si à calore elaborata fuissent & cocta, generari putauit: rationibus quibusdam inductus, quas Albertus, & post eum Georgius Agricola confutare conati sunt fortasse magis, quàm confutarint. Ex eo quod liquescunt in igne, non tamen madefaciunt siue humectant: & quòd sunt dura: atq; in aqua merguntur: ex aqueo corpore & terreo optimè inter se mistis, adeò inquam, vt ignis nec in terram agere sine aqua,

Gilgil Metalla ex cinere conflat.

nec in aquã sine terra possit, ipsa cõstare rectè sanè collegit. Ex perfecta ista mistione aquæ cũ terra, collegit hoc etiam non malè, terram in mistione ad minimas particulas diuisam fuisse: nec diuidi hoc pacto ab alio, quàm à calore potuisse valente admodũ. Quòd calori hoc tribuit, rectè facit: quod prorsus valido, non est necesse. Quippe mediocris etiam perseuerans hoc præstare valet. At perfectam mistionẽ nasci non potuisse, nisi aqua & terra in prorsus minimas diuiderentur particulas, vt in minores non potuerint diuidi, prorsus & simpliciter est verum & necessarium. In eo deinde errat, quòd cinerem terrę, siue exustam terram, sic putat diuisam esse ad minima, vt magis non possit. Satis enim notum est, vaporem siue halitum terreum longè subtiliores habere partes, quàm cinis vllus habeat. Quare nõ cinerem, sed halitum cum vapore debuisset ponere materiam metallorum: quomodo fuisset rectè ratiocinatus. Addit rationem aliam à similitudine vitrorũ ductam, quæ multis modis peccat. Recitat deinde alias etiam sententias ipsius Agricolæ: quibus non tam suam sententiam confirmat, quàm aliarum Chemicorum confutat.

Alberti magni opinio: itemq́; Braceschi.

Albertus idem sentit cum Turba Chemicorũ

De Gilgile satis dixi, de Alberto, quia idem cum Chemicis alijs tandem sensit, quanquam peculiariter quoque erret, seorsim nihil dicam. Non enim est necesse tam accuratè singulas singulorum persequi & refellere ineptas sententias. De Bracescho, cuius opinionem alij quoq; nonnulli probant, aliquid est dicendum. Is in Dialogo, cui titulum fecit, Lignum vitæ, ex doctissimorum Chemicorum opinione (vt videri vult) sic de metallorum materia disserit. Terra & aqua calore stellarũ atq; subterraneo miscentur primùm, deinde progressu temporis vruntur: & fit ex ipsis Chalcanthum (Vitriolum vulgò nunc nominant.) Ex hoc tanquam ex materia

Braceschus metalla ex Chalcantho architectatur.

ria prima fiunt metalla. Etenim cùm Chemici (ipsi se mutuò appellant Philosophos) transmutationem metallorum fieri negant, nisi in materiam suam primam prius resoluantur, accipienda ea sic sunt, vt intelligas ad naturam Chalcanthi reuocanda esse. Dum calor in hoc agit Chalcanthum, atq; ebullire ipsum facit, tollitur ab eo duplex expiratio: quę si ex terra in aerē exeat, meteora creat. Quòd si ambæ intra terram conclusæ maneant, exhalareq; propter occlusos à lapidibus meatus nequeant, crassescunt: & per rimas saxorum terrarumq; simul mistæ distillant, donec in locū perueniāt, vnde exitus eis nullus pateat.

Vtraq; hæc exhalatio simul hoc modo inclusa, siquidem circūmsita corpora in se potentiam metallorum effectricem contineant, in metallum conuertuntur. Si talem potestatem nō habeant, tingit solum vicina corpora varijs coloribus, quæ scilicet attingit: aut in argentum viuum cōmune vertitur. Porrò virtus ista μεταλλοποιητικὴ sulfur est quoddā splendescens, lotum, purū, & aliqua ex parte, non tamē omnino fixū: quod in excisis lapidibus, atq; in arenis apparet ac lucet. Exhalatio hæc ex Chalcantho sublata, quæ arida est & pinguis, sulfur: ea aūt quę permista ei dicitur, & aquea existit, argētū viuum vocatur: nō quia verè talia sint, sed quia ex horum materia cōstant. Atq; sic intelligi debet, quod à Chemicis dicitur, sulfur & hydrargyrum metallorū esse principia. Ex diuersitate, mistione, coctione harū exhalationum: ex pura & impura sulfuris ablutione, quātitate: ex loci diuersitate: ex caloris varietate: ex alijs accidentib. diuersitas prouenit in metallis. Hæc Braceschi est sententia: quam Gebri quoq; & aliorum plurimorum esse ait.

Virtus metallorum effectrix quid sit.

Probat opinionē suā his rationib. Res quęuis cōposita ex illis coaluit rebus, in quas iterū dissoluit. At metalla in primā & proximā metallorū materiā si resoluere nosis, in Chalcanthū solui cognosces. Ex Chalcātho ergo

constant. Etenim metalla omnia in salem & nitrum dissoluuntur. Constat autem Chalcanthũ ex sale & nitro. Item ex sulfure, & quodam corpore simili argento viuo, cõflata esse metalla, ex hoc perspici ait, quòd ex metallis quibusdam ad ignẽ liquatis, spiritus siue halitus sulfureus expirare sentitur: & aquea materia cum terra exactissimè mista similitudine argenti viui in igne cernitur. Atq; sulfur illud scintillans requiri ex eo colligit, quòd in omnibus fodinis metallorũ huiusmodi sulfur reperiatur copiosum. Adiecerũt his aliqui Plinij authoritatem: qui lib. 33 cap. 6. scribit: Finem fodiẽdi argentũ fuisse, cũ reperissent alumen. Sed quam ad rem hoc nihil faciat Plinij testimonũ, intelliget facilè, quisquis caput citatum cum iudicio perlegere volet.

Non arbitror necessariũ esse aut operę pretiũ, vt hęc verbosè cõfutẽ: q̃ sua spõte falsa & futilia esse intelliget quiuis. Itaq; omnib. alijs omissis, falsum esse dicim⁹, metalla in Chalcãthũ dissolui: etsi in salẽ tãdẽ & nitrosum quippiã redigi nõ negamus, quęcunq; in cinerẽ ab igne redigũtur. Quippe nascunť sal & nitrũ ex terra vsta quauis, lapidũ, lignorũ, plantarũ, metallorũ. Cum. n. ex cinere lixiuium paratur, poterit ex eo deniq; salis quędã species effici. Euenit hoc, non quia metallorũ cinis ille sit, sed quia terrę vstæ cinis sit. Si ergo salem & nitrũ, in quę metalla dissolui possunt, necesse est materiã esse proximam metallorũ, (quia videlicet in hęc tandẽ solui possunt) eâdẽ ratione probabimus lapides, plãtas, animalia homines, ex Chalcãtho seu sale & nitro, vt materia ꝓxima cõflata esse, cũ eâdẽ opera & facilitate omnia hęc in salẽ & nitrũ quoddã (siue in speciẽ quandã Chalcanthi, quomodo de Chalcantho hîc loquitur Bracescus) solui redigiq; possint. Deinde quo pacto nõ reperieť Chalcanthũ in omnib. metallis, siquidẽ ex eo generãtur metalla, q̃ cotidie adhuc nasci cõstat? Rursus quo pacto nõ

Metalla nõ soluũtur in Chalcanthũ

semper

semper metalla ibi plurima effodiũtur, vbi Chalcanthi prouentus est magnus? Adde quod ex Chemicis doctissimi probant, ex minorib. metallis (Sic ipsi vocant, quæ alij quidam semimetalla, in quorum censu succi cõcreti continentur, nominant.) generari metalla nulla posse. Rationẽ hanc proferunt, quia non constent ex eadẽ materia, ex qua metalla cõflata putãt: nempe ex argẽto viuo. Testes sentẽtiæ suæ citãt Aristotelẽ & Auicennã. Quę de sulsure splendescente scribit, scutica digna sunt potius, quã cõfutatione: cũ nemo rerũ metallicarũ peritus scintillantes istas micas & quasi bracteolas sulfur esse credat. Quoniã sunt laminæ quædam tenuissimæ vitri, aut plumbi, aut alterius cuiuspiã metalli: id quod non probat solùm, sed demonstrat, imò palpare facit lapidum illorũ fusio. Quę de Chalcanthi generatione, & eiusdem vstione nugatur, tam sunt ab omni sensu ac ratione aliena, vt meritò nõ refelli, sed rideri potius debeant. Quippe nõ minus, imò fortassè grauius peccat, qui longiore impugnat oratione absurdas cogitationes, eo, qui primum tales commentus est.

Metallica non generari ex hydrargyro.

Sententia aliorum.

Sunt deinde alij quidã, qui metalla fabricãt, ex sulfure, nõ aũt ex argẽto viuo. Sulfur, aiunt, putrefactũ vertitur in aerẽ attritũ, quem Aristoteles appellauit argentũ viuum. Hoc ergo argẽtum viuũ ex putrefacto natũ sulfure, pro crassitie, tenuitate, puritate, caloris modo, loci diuersitate, in diuersas permutatur metallorũ species. Ratione hac se tuẽtur. Argentũ viuum vulgare nõ reperitur in metallorũ venis. Aliud ergo est, quod ab Aristotele appellatur argentũ viuũ: quodq́; materiã facit metallorũ proximã. Absurda omnia sunt: Scripsit quidẽ Aristoteles argentũ viuũ aeriũ esse, ideoq́; nec spissescere, nec cõgelari à frigore: at ex putrefacto sulfure gigni, ne somniauit quidẽ vnquã. Et quomodo sulfur materiam

Hydrargyrum non reperitur in fodinis metallorum.

poneret metallorũ,cum apertè contra metallorũ materiam sulfuris materiam in fine 3.Meteor. distinguat? Sciendũ hîc est,Chemicos habere Aristoteli falsò attributos libros:qui annis fortè mille aut plurib. post eum scripti sunt.Item addiderunt partẽ lib.4.Meteor.ex qua vbiq; multa citãt:quę Aristoteles nõ magis scripsit aut cogitauit,quã ergo scripserim.Ideo nũc in exemplarib. nullis,neq; Græcis,in quib.nunquã fuerũt,neq; Latinis excudũtur.Ad rationẽ quod attinet,nõ improbo eã sed eâdẽ illa sententiã ipsorum certissimè refello. Non fiũt metalla ex sulfure,quia in plerisq; metallicis venis sulfur nullum neq; putridum neq; semiputridum reperitur. Se ipsos isti sic iugulant.

Libri Chemicorũ Aristoteli falsò adscripti.

Sententia Efferarij Monachi.

Alij quidam,vt Efferarius Monachus,eadem ratione permotus,nec ex sulfure vero,nec ex argento viuo vero metalla generari monet. Non enim, inquit, in fodinis hæc reperiuntur metallorum:sed ex suis proprijs vtrunque venis seorsim effoditur.Hanc rationem non suam, sed Chemicorum, quos Philosophos pro more nominat,esse dicit.Ponit hîc pro metallorum materia aquã quandam tenuissimam candidissimamque, cum terra quadam pariter tenuissima:quæ simul mista vertantur in quandam terram,ex qua vi caloris fumus efferatur, qui in metallum densetur. Aquam dicit Philosophos suos appellare argentum viuum, terram autem illam subtilem eosdem vocare sulfur.

Metalla non fiũt ex sulfure & hydrargyro.

Sententia authoris libri de Magni lapidis compositione.

Alius quidã incertus author,qui librũ scripsit de magni lapidis cõpositione,putat metalla ob prędictã rationem nõ constare ex sulfure & hydrargyro:sed ex quadã substãtia à Natura creata:quæ vtriusq; sit particeps sulfuris & hydrargyri. Ex hac scribit vi caloris vaporẽ tolli, qui à virtute quadã metallica accedente in metallũ vertatur.

tatur Liquet ex cõmemoratis, vnumquẽq; ſtatuere, ꝙ-libet, & quod ſomniauit Argentũ viuũ cuiq; id ſignificat, ꝙ ſua libido cuiq; dictat. Cũ vmbris & delirijs iſtis luctari, eſt nihil aliud, quàm σκιομαχεῖν & παραφρονεῖν. Nullam ſententiæ adferunt probationem. Vnde meritò indigni ſunt, cõtra quos priuatim ratiõe diſputetur.

Opinio Chemicorum Communis.

Proinde ad cõmunem iam Chemicorũ opinionem accedamus: quę talis eſt. Metallorũ principia, inquiunt, duo ſunt, ſulfur & hydrargyrũ: quorũ illud agentis & maris, hoc materiæ ac fœminæ rationẽ obtinet. Ex his duobus inter ſe miſtis pro diuerſa miſtionis proportione, & maiore eorum puritate impuritateúe, diuerſæ generãtur metallorum ſpecies. Cum enim ſulfur purum, rubrum, iungitur hydrargyro defecato in terra, generatur aurũ à natura hæc coquẽte. At cum idem ſulfur purgatum & album mundo miſcetur hydrargyro, conflat ex ipſis per decoctionẽ natura argentũ. Cum ex eodem argento viuo ſulfur rubrum et corruptũ generat ęs, vel cuprum, De cæteris ſimili modo loquuntur.

Argumenta probantia Metalla ex ſulfure & hydrargyro naſci.

Argumenta nunc, quibus ex argento viuo & ſulfure metalla generant, perpendamus. Primũ eſt hoc, in quæ diſſolui poſſunt compoſita, ex ijſdem coaluerunt. Ergo & metalla. Cæterùm diſſoluuntur metalla in hydrargyrum & ſulfur. Ex his ergo ſunt conflata. Etenim in igne liquata, ſulfureos emittunt vapores: & relinquitur in igne ſubſtãtia aquea ſimilis argẽto viuo, quæ in igne perdurat. Alij ſic probãt. Cũ liquefacta ſunt ab igne metalla, apparet argenti viui ſubſtãtia, ſuprà quã inſtar cutis rubræ innatat ſulfur. Alterũ hoc eſt, aurũ arte cõficitur 2 ex argento viuo & ſulfure, optimum, ſincerum, per omnia naturali auro in terra nato ſimillimum. Ergo

ex ijſdem conficit natura. Poſſe autem artifices in ſuis cineribus aurum coquere, imò ſæpè iam coxiſſe (verius dicas decoxiſſe,) compluriū teſtimonijs probāt. Pleriq; enim ſcriptores Chemici ſcopū ſe attigiſſe cōſtantiſſimè aſſerunt.
3 Tertiū tale eſt. Hydrargyrū mirificè Metalla appetit, & ijs cōiungi deſiderat naturali quodā deſiderio: quēadmodū fœmina mari. Iam quę naturali amicitia tantoperè coniungi deſiderant, horū alterum ex altero conſtat. Metalla igitur ex argento viuo cōſtant. Quod verò nō ex hoc ſolo, ſed ex ſulfure admiſto coaluerint, tum halitus, qui ex vſtis expirat, ſulfurq; olet, tū excrementū ſulfureū Metallorū, pyrites videlicet, (ipſi Marcheſitam vocant) qui ſupra omnes Metallorum venas concreſcit, probat. Pyrites namq; liquatus aut vſtus ſulfur omnino olet. Ex quo ſulfuris excrementum eſſe
4 noſcitur. Quartum hoc eſt. Metalla tinguntur, indurantur, ignis patientia: & grauiora, molliora, fragilia, & ductilia efficiuntur à ſulfure & hydrargyro. Ergo ex his, vt ex propria ſua materia, eadem conſtant. Hæc ſunt argumenta Chemicorum, quę obſeruare ipſe in lectione librorum, in quibus χρυσοποίησιν docent, potui. Neque plura temerè quiſquam reperiet, (niſi quæ coniunctim ipſe poſui, diſiunctim ponere malit.) Quantum roboris ac firmamenti habeant, poſtea videbimus, cum aliquot diuerſum demonſtrantia in medium prius protulerimus. Oppugnabimus autem talibus eorum ſomnium argumentis, qualia ipſi verè diſſoluent nunquam.

Argumenta probantia Metalla non concreuiſſe ex ſulphure & hydrargyro.

Ac primo loco id ſumemus, quod negare ipſi quoq; non poterunt, tam eſſe ipſos incertos ſuæ opinionis, vt diuerſiſſima coacti ſint de proxima Metallorum materia ſcribere. Quippe alij cinerem terrenum aqua perfuſum, & à valido calore miſtum coctumque

ponunt:.

ponunt. Alij, quod de Gebro ſcribitur, arſenicum, ſulphur, & argentum viuum materiam conſtituunt. Alij Chalcanthi fumos & ſulphur quoddam cõmentitium ſplendeſcens ſubijciunt. Alij argentum viuum cum ſulphure tantùm nobis proponunt. Plerique ex his metalla conflari negãt, vt ex proxima materia, ſed ex horum alteratione & permutatione ad terream ſubſtantiã halitus educũt: & congelatos miſtosq; rurſus in terream naturam cogunt. deniq; aquam & hanc terram ex ſpiritibus ſulphuris & argenti viui concretã inter ſe miſcẽt, ac tandem in Metallum conuertunt. Quocirca eſt his aqua per terram fluens & abradens ac ſibi permiſcens terram ex halitibus prædictis ortam, proxima Metallorum materia, vt ex libro primo Summæ Gebri, capite vigeſimoſexto perſpicitur. Horum opinionem Gebrus proximè ad veritatem accedere dicit: cum eam rationibus non magis falſam oſtendat, quàm ſuam, (quæ non paulò ineptior eſt) probet. Sunt deinde, qui ex ſulphure putrefacto halitum expirare aiunt, quem Mercurium ideo à prioribus Chemicis appellatum dicunt, quia pro diuerſa ipſius puritate, impuritate, craſſitudine, tenuitate, caloris proportione, & ſimilium accidentium acceſſione in varias permutetur Metallorum ſpecies: quemadmodum Aſtrologi Mercurium in cœlo variũ finxerunt.

Et ne mireris Aſtrologicis eos nominib. Metalla nominare, ſcire te oportet, lector, vix alia deliramenta & ſomnia arctiore amicitia coniungi. Equidem vix vllus extitit Chemicus alicuius nominis, qui non idem Aſtrologus eſſet, Vates & Magus. Quo fit vt minus miratus ſim, aliquos repertos fuiſſe, qui abſurdiſſimis nugis fidem adhiberent. Optandum eſſet, tam habere Aſtrologicas diuinationes pœnam ſibi certò coniunctam, quàm eam certam ſentiunt, quicunque ſtudioſius in

Chemici clariores propè omnes Aſtrologi fuerunt.

id incubuerunt, vt ex cineribus suis & fornaculis aurũ educerent. Omnes enim plus plus tandẽ auri in igne se perdidisse experti sunt, quàm profiteri audeãt. Ex hac cum Astrologia diuinatrice necessitudine & opinionũ incredibili varietate, iam olim de vanitate dogmatis dubitare cœpi. Sed ad alia progredior.

2 Auriperdæ (χρυσοδαπανηροὶ) pro confesso axiomate habent, metalla in eadem posse iterum solui, ex quibus sunt composita. Vbique enim disputant resolutione metallorum in suam proximam & communem materiam. Et quid aliud agunt, dum ex metallis lapidem suum (μῆλον ἔριδος) fabricari, vel ignobilia in aurum argentúmue transmutare satagunt? Ad hæc in præsentiarum nihil aliud respondeo, quàm impossibile esse, vt res aliqua mista in id resoluatur iterum, ex quo transmutato & substantialiter alterato, vt ex materia proximè generata fuit: quod solidissimè postea demõstrabo. Nunc sufficit monuisse generationem non esse propriè dictam, vbi subiectum, ex quo genitum aliquid est, non est essentialiter transmutatum. Nam si componãtur & confundantur solùm partes, vt in muro lapides, calx, arena, non generatio, sed compositio est. Generatio namque est mutatio subiecti totius, vt sensibile nihil relinquatur. Non enim potest fieri vlla vi creata, vt formæ duæ differentes in vna inhęreãt materia. Est enim actus quilibet in suo proprio & peculiari subiecto: in alio ne cogitari quidem potest. Neque differunt gradibus formæ rerum, sicut qualitates, sed instar numerorum habent: quibus nec addi nec detrahi aliquid potest, quin protinus tota mutata sit species. Nisi hoc esset verum, omnia vnum essent: resque solis qualitatib. & accidentibus distinguerẽtur: quo nihil possit fingi falsius & absurdius. Tunc enim vera hæc esset: Asinus est homo sub alijs qualitatibus: & Homo est Asinus alijs amictus & oper-

Mista non soluũtur in id, ex quo proximè generata fuerunt.

Generatio propriè dicta.

opertus accidenribus. Hoc pacto omnia vnum idemq; illud Parmenidæ, atq; aliorũ, contra quos disputat Aristoteles, fuerint. His positis, falsum esse oportet, quod Chemici affirmãt, se metalla in candẽ illam materiã resoluere, ex qua transmutata proximè ꝓcreata fuêre. Nõ enim potest res eadẽ numero ex duabus substantijs specie aut genere differentib. nasci. At subiectũ, ex quo mutato aurũ, exempli gratia, genitũ fuit, non manet idem hoc post auri generationẽ, quod fuit antequã ex eo aurũ fieret. Panis cũ in sanguinẽ mutatus est, nõ manet panis: nec sanguinis materia est eadẽ specie materia cum panis materia. Sed nec illud, ex quo panis materia cõsistit, nempe farina & aqua, idẽ est cum sanguine. Quòd si ergo sanguis resolui posset in panẽ eundẽ, ex quo mutato genitus fuit, tunc idem numero panis ex reb. totis naturis discrepãtissimis farina scilicet atq; sanguine gigni posse. Quod qui nõ videt absurdũ & impossibile, parum profecit in Naturę cõtemplatione. Ratio eadẽ est aliarũ rerum omniũ. Quare nõ poterit aurum in eandẽ illã substantiã resolui, ex qua proximè cõflata fuit. Idem hoc in alijs omnib. rebus verũ est, donec singulæ in elementa per varias crases ac mutationes tandẽ resoluantur. Attamen ex metallis, inquiunt, conficitur hydrargyrum. Esto. Nihil enim vetat ex metallis corpus cudere simile hydrargyro. Nam in vitrum, in olea, in aquas, in sales corrũpi possunt. At ex hydrargyro illo prius concreuisse ea falsissimũ est. Nam ex aqua, oleo, sale, vitro, & cineribus seu calce, in quę pariter mutari possunt, eâdem ratione conflata fuissent. Summa est, res mista nulla, quæ verè est generata, resolui potest iterum in idem illud, ex quo proximè generata fuit. Generationes enim talium non reflectũtur, sed prorsum eunt semper, dum reditum sit ad prima elementa.

Vnum Parmenidæ.

Ex metallis conficitur hydrargyrum.

Sed interim dũ vrũtur, inquiunt, halitus quidã sulfur

olentes tolluntur. Valde inepta est ista ratiocinatio. Ex hac aliqua re, cum vritur, exhalat spiritus instar sulphuris fœtens. Ergo constat ea res ex sulphure tanquam ex materia propria. Vis & robur argumenti consistit in hac propositione. Quicquid sulphur olet, dum vritur, ex sulphure conflatum est. Hæc rursus inualida est, nisi vera sit hæc. Quicquid vstum olet aliud quippiam, id ex eo, cuius odorem imitatur, compositum est. Quæ cum manifestissimè sit falsa, ne illud quidem verum fuerit, quod ex ipsa concluditur eo modo, quo dictũ est. Aliud quoque est sulphur esse, & aliud sulphureum odorem edere: quemadmodum aliud est mel esse, atq; aliud mellеum saporem possidere. Potest facilè fieri, vt res aliqua in se quiddam habeat cum sulphure cõmune, quã tamen sulphur esse minimè necesse sit. Equidem res quæ vruntur, ex ipsa vstione odores variè concipiunt, nec est necesse propterea, vt ex corpore similiter olẽte, vt ex materia composite sint: etsi partes aliquas similiter ferè temperatas habere eas non videatur absimile vero. Permultæ plantæ aut radices similiter allijs olẽt: quibus cum nec in materia proxima, nec facultatibus conueniunt. Flos cariophyllus, quem aliqui Medici florem Tunici vocant, odorem maximè imitatur aromatis cariophylli appellati: quanquam non perinde acutè olet. Constat nihilominus, saporem, figuras, vires, adeò esse dissimiles, vt nullus hominum ausit putare eandẽ vtrorumque proximam materiam vel essentiam esse. Quòd si odoris similitudo in integris apparens non arguit eandem materiam proximam, multò minus certè arguit in vstis. Quis enim nescit, quàm variè & facilè sapores atque odores rerum quarumlibet mutentur ab igne, non mutata eorum essentia? Scio esse, quę putrefactos pisces olẽt, q̃ ex putridis piscib. cõposita esse, aut in tales resolui posse, nullus certè sanus & eruditus homo putet.

Non omnia sulphur olẽtia ex sulfure facta sũt.

Aliud est esse sulfur, & aliud sulfur olere.

Gene-

Generantur metalla ex vapore, cui halitus terreus permistus est, Generatur quoq; sulfur ex halitibus siccis, sed pinguibibus, multumque in se continentibus aeris: testibus Aristotele & Chemicis. Quid igitur miri sit, si metalla vsta sulfur redoleant? An propterea ex sulfure constitere? Minimè. Ex simili quodammodo halitu, non tamen perinde aerio & pingui, ex quali sulfur pronascitur: vnà cum vapore concrescere ea libenter concedo. Nulla tamen vi naturali vnquam fiet, vt eadẽ vtrorumque proxima sit materia: aut alterum ex altero, vt ex materia, constet. Nihil opinor vetat, quo minus cum Metallis misti sint halitus quidam sulfurei: qui tamen non sint pars substantiæ sulfuris Dico halitus sulfureos, hoc est tales, qui nõ quidem verè sint sulfur, vtpote, qui nec pingues nec aerij, nec inflammabiles sint, vt verum sulfur, sed similes ei sint: quatenus ipsum quoque sulfur ex talibus quodammodo, accedẽtibus etiam alijs quibusdam, ortum est. Qui rectè cognouit essentiam saporum & odorum, ac quomodo generentur percepit, cõfutatione vel explicatione hac nostra nequaquam eget. Sanè fossilia omnis generis tàm varios vsta repræsentãt odores, vt dictu non sit facilè. Cadmiæ meminit Agricola, quæ vsta syluestre aliũ dolebat. An & hanc ex allijs sub terra natis constare dicent? Profectò Medici ab ipsa rerum euidẽtia docti scitè monent, ex odoribus iudicium de substantia fallax & incertum esse. Quid de illis suis amicis, vt Bracesco & alijs, qui ex vero sulfure metalla generari negant, (nec etiam ex argento viuo fieri concedunt.) dicent? Hi certè argumentum non probabunt. Nec confutare alio, quàm his ipsis, opus habent. Summa est, obiectionem esse falsam & futilem, id quod ratio & cotidiana docet experientia. Argumentum ergo nostrum per ignes atque fumos Chemicorum illæsum & incontaminatum peruasit.

Cur metalla vsta sulphur olent.

Iudicium de substantia ex odore fallax est.

3 In plerisq; metallicis venis aut puteis, nec argentũ viuum verũ,nec sulfur verũ reperitur: id quod omnes illi testificabuntur, qui in eruendis metallis vel ipsi versantur, vel alios,qui versati in hoc opere sunt, interrogare volent.Sanè perrarò accidit, vt alterũ horum, & multò rarius,vt argentũ viuum in metallis ærarijs vel argẽtarijs aurarijs,vel ferrarijs inueniatur. Adde quod in venis sulphureis atq; argenti viui proprijs metallis vix vnquam verum aliquod metallum inuentum est. Tam sunt à metallorum Natura hæc diuersa,vt vbi alterius horum inuenitur copia, metalla nasci non possint. Hoc ipsum aliquos ex Chemicis, vt suprà diximus, permouit, vt non ex argento viuo verè sic appellato,sed ex halitu quodam putrefacti sulphuris metalla confici à Natura iudicarent. Quòd si ex his metalla conficerent, necessarium prorsus foret, in fodinis nõ modò sulfur & argentum viuum inueniri: sed eadem etiã integra, nullaq; in parte mutata,semimutata,magis elaborata,prorsus conuersa,videri. Cum enim natura per gradus quosdam substantias transmutet in tẽpore,non subitò:atq; eadẽ continuè metalla generare certissimũ sit,oporteret sanè materiam adesse, eamq; partim conuersam,partim nondũ mutatam in metallũ conspici.Hoc quia factũ visumq; nunquam fuit,dubitari nullo modo de veritate sentẽtiæ nostræ potest.

In venis sulphuris & hydrargyri rarò metalla reperiuntur.

Neq; magis militat hæc ratio contra Chemicos,qui hydrargyrum & sulfur communem metallorũ materiam ponunt:quàm contra illos,qui ex vapore quodã, vel ab vtroq;,vel ab altero tantùm excitato,eadem cudunt. Nam fieri non potest,vt vapores ex eo eleuẽtur, quod non adest.Nec dici potest,iam in vapores hæc soluta esse,ideoq; apparere ea non amplius.Etenim cum generentur adhuc metalla,generari perpetuò materiã eorum,hoc est,halitus illos,necesse est. Quare & id, ex

Metalla non fiunt ex vapore sulphuris et hydrargyri.

quò

quō exhalant. Qui concretorū ſuccorum venas rimantur, chalcanthi, aluminis, & ſimilium, ſemper guttas aliquot ſucci nondū à frigore concreti & indurati inueniunt. Idem hoc in tophorum fodinis obſeruatum viſumq; ſcribit Fallopius. Huc illa quoq; faciunt, quę Galenus noſter in lib. 9. de Simp. med. facul. de Chalciti & Miſij narrat: Reperientur ergo vel ſulfur, vel argentum viuū, vel vtrunq; in metallorū puteis perfecta, imperfectaq;, prout per gradus natura certos eadem procreare ſolet. Iam cùm nullus hæc in puteis vllis animaduerterit, facile eſt cogitatu, quantū habeat firmitatis Chemicorum commentū. Aliquando repertum eſſe quippiā ſulfuris in nonnullis metallorū venis, ſi dicant, nullus mirabitur. Hoc certū eſt, rarò id contigiſſe: & neq; in omnibus venarū locis, neq; ſemper accidiſſe: multò minus in omnib. Porró quæ rarò accidunt, caſu eueniunt cū natura non niſi in paucis aberret à ſcopo, quem ſibi præfixit. Non eſt mirū in vno loco aliquando diuerſi generis halitus tolli, à quib. diuerſæ res generantur. Sic poteſt nonnunq̄ cum vapore metallico, halitus ſulfuris miſtus tolli & ſimul vtrūq; generari. Hoc aūt rarius fit, propter cauſam commemoratā. Ideo rectè Ariſtot. halitus, ex quibus ſulfur concreſcit, vaporib. ex quibus conflantur metalla appoſuit. Sed hæc extra ſuum locū dicūtur: nunc ſatis eſt nos ſcire, prorſus neceſſariū eſſe, ſiue ex argēto viuo & ſulfure, ſiue ex alterutrius, ſiue ex vtriuſq; halitib. metalla confieri putemus, vt integra, et immutata, ſemimutata, magis elaborata, perfectè cōuerſa, aliquando & aliquibus puteis (ne dicā ſemper & in omnibus) inueniantur. Hoc quia fit, nec factum eſt, conſtat Chemicos delirare hîc, vt alibi.

Materia ſulphuris metallorum oppoſita eſt materiæ.

Idem argumentū eoſdem validiſſimè oppugnat, adeoq; proſternit, cū dicunt: Naturam ignobiliora metalla cōſueuiſſe in nobiliora permutare. Etenim vbi aurū

purissimum effoditur, rarò ex rudioribus aliquid Metallis simul inuentum est. Et rursus effossa sunt alicubi multis seculis plumbum, æs, ferrum &c. nec auri quicquam sese obtulit. Et si quando in horum fodinis aurũ, aut in aurario metallo ex vilioribus aliquod repertum est, (vti non est mirum cognatas vnius generis species simul prouenire,) nunquam aut æs, aut ferrum, visum fuit, partim conuersum & mutatum, partim integrum adhuc & immutatum.

4 Prætereà constat metalla non esse inflammabilia, (sic φλογιστὰ voco,) quod certè πάθος ab ipsis abesse nõ posset, si tantũ continerent sulfuris, teste Gilgile Mauro, egregio Chemico. Etsi enim species sulfuris multæ sunt, omnes tamen facilè concipiunt flammam. Neq; sulfuris amplius perfecti rationẽ obtinet ac vires, quod acribus lotum & repurgatum non amplius accẽditur, sicut rectissimè Georgius Agricola monuit. Scio Chemicos hîc multa dicturos, de suis præparationibus. Sed ad omnia responsum etiam nunc est. Sulfur esse nego, quod sulfuris proprietates nõ habet. Pingue & aerium est omne sulfur perfectum. Quod pinguedinem amisit, corruptum est, atque in terræ speciem degenerauit. Si sulfuream terram esse contendas, non negabo, proptereà quod ex arido spiritu ferè tali, ex quali sulfur oritur, constat. Quis hoc à me postulabit iure aliquo, vt quicquid libet Chemicis sulfur appellare, mox ego sulfur esse verum credam? Vocãt illi quoslibet fumos, & quam volunt terram coloratam sulfur. At non proptereà sulfur est, quod ipsis pro libidine sua sic nominare placet. Putida est distinctio, de pinguitudine interna & externa. Nam ignis omnem pinguitudinem, quæ in rebus inest, si qua inest, absumit, cum est vehemens. Talem autem esse oportet, qui metalla fundit: ac à se inuicem separat. Quod autem de sulfure dictum est, e-

Sulphur non est, quod sulphuris proprietatibus caret.

tiam de argento viuo debet intelligi: non quicquic ipsis libuit nominare argentum viuum, id mox esse argentum viuum.

5 Atque vt non concipiunt flammam metalla, nec habent sulfuris vires & proprietates, ita neque argenti viui habent. Etenim hoc Aristoteles frigore congelascere concrescereùe rectè negat, propter copiosum, quem in se habet, aerem. Concrescere autem frigore metalla, imò nisi à frigore concresceret is vapor, non nascitura esse meralla, nullus ignorat, præter inertes quosdam Chemicos: qui solo igne metalla in aurum permutare conantur.

Hydrargyrum non concrescit frigore

6 Huc & illud facit, quod in effodiendis alijs metallis, cum videlicet pura & sola sunt, non sociata cum alijs fossilibus inclementioribus, metallici nihil eorum perpetiuntur, quæ in effodiendo hydrargyro persentiunt. Quod si vel ex ipso metalla constarent, vel ex ipsius vapore, qui in primis, & multò magis noxius est, quã ipsum hydrargyri corpus, certè ijsdem malis & periculis subijcerentur fossores. Imò magis hîc periculum foret, quàm in propria vena. Quoniam hîc nihil meditatur amplius natura: ibi per decoctionem ex ipsorum sententia permutat in metalla. Quocircà fumos ab eo instar ignis tolleraret calor, quibus totam terræ cauitatem compleret.

7 Non prorsus nihil etiam est, quod argenti viui vnicam speciem esse videmus. Vt enim aliud alio minus album sit, ac sordium tantillum contineat, est tamen discrimen prorsus pusillum. Certè tantum non est, vt ex eo tam diuersa possint generari metalla. Quòd si materia remota poneretur, nõ autem proxima, respõderi hîc posset, diuersos alterationis modos & numeros hoc efficere. Videmus namque ignem in externis rebus res varias generare, pro vt hoc vel illo modo ma

Hydrargyri natiui species vna est.

teriæ occurrit. Atqui dum proxima dicitur esse materia metallorum, specie & essentia, non tantùm accidẽtibus communibus differentium: ac diuersarum specierum proximæ materiæ necessariò ipsæ quoq; qualitatibus proprijs distinctæ sint, consequitur profectò, argentum viuum proximam metallorum materiam non esse. Rectius autẽ hac in parte illi de materia metallorum ratiocinati sunt, qui ex Chalcantho concinnare aggressi sunt: quorum ideo species plures posuerunt, quod Chalcanthi quoq; non vnicam esse crederent. Ergo cum validissimè probatum à nobis iam sit, metallorum propinquam materiam non esse hydrargyrum & sulphur, vt Chemicorum pars maxima ineptè sentit, postulat instituti nostri ratio, vt eorum argumenta nunc examinemus.

Responsio ad primum argumentum Chemicorum.

Et ad primum quidem responsum iam est, cùm ex ipsorum axiomate probaui, ipsos ineptire, dum in sulphur & argentum viuum, ex quibus conflata sint, metalla se resoluere posse, confidenter, vt videtur, scribũt.

De Propositione, quam pro axiomate habent omnes Chemici, hîc aliquid dicam. Ex illis, vt ex propinquissima constant metalla materia, inquiunt, in quæ dissoluuntur. Si non intelligunt resolutionem in materiam desinere proximam, nihil dicunt. Nullus enim vnquam dubitauit homo intelligens, quin tandem in elementa res cunctæ sint dissoluendæ. Hoc modo ergo si Propositionem intelligunt, (de proxima scilicet materia, non de remotiore) neq; de illis, quæ ars composuit, neque de illis, quæ in remotam abeunt materiam disputandum hîc nobis fuerit. Hoc itaque solum hîc quæritur, an naturalia corpora omnia dissolui in proxi-

An res naturales omnes in

proximam ſuam materiam poſſint vel ab Arte vel à Natura. Nihil enim prohibet quædam ſic ſolui, vt lac in butyrum, ſerum & caſeum. Idem in ſuccis quibuſdam contingere etiam videtur. Omnia hoc pacto non ſolui, non minus certum manifeſtumque eſt. Non enim plantæ in ſuccũ, ex quo proximè nutritæ ſunt: neque animalia in ſanguinem & ſemen: neq; caro in ſanguinem: neq; hîc in panem, vinum, carnes, ex quibus miſtis coaluit, diſſolui ab alio, quàm à Deo poterunt.

ij ſolui poßint, ex quo genitæ ſunt.

In metallis putet aliquis fortaſsè nihil impedire, propterea quòd non ita procul abſunt à prima elemẽtorum miſtione. Conſtat enim plantas & animalia poſt multas & varias miſtiones tandem nata fuiſſe: non ex prima elementorum compoſitione mox orta eſſe: vt ſcitè admodum Galenus in libro 4. de Simpl. facul. capite decimoquinto expoſuit. Attamen metalla quoq; non ex proxima & prima elementorum com poſitione nata ſunt, ſed interceſſerunt hîc quoque multæ & variæ mutationes alterationesque. Confeſſum quoque eſt, Naturam ſemper prorſum ire, non autem retrorſum, id quod ipſi etiam Chemici aſſerunt, cùm rationem reddunt, cur Natura nunquam ex auro viliora generet metalla. Ergo cùm vnaquælibet harum miſtionum habitus cuiuſdam rationis obtineat, tàm non redit ad priorem illam qualitatem Natura facilè, quàm ſcilicet amiſit, quàm non eſt facilis à cecitate reditus ad viſum. Quòd ſi hanc in metallis cauſam non admittas, exactam miſtionem in cauſa eſſe putare cogemur. Propter hanc enim ſolui partes aqueæ à terreis poſt congelationem nequeunt: niſi ab igne illæ in vaporem, hæ in cinerem vertantur, vt cotidie experimur. A' natura hanc diſſolutionẽ in proximam materiã non factam vnquã fuiſſe, ipſi, arbitror, Chemici libentiſſimè fatebuntur. Ab arte ergo fiet?

Natura it prorſum non retrorſum.

At non est cuiusquam rei proxima materia, in quam Ars eas dissoluit. Vertit enim lignum in cineres: nec ex cineribus tamen, vt materia proxima, coaluerunt.

Ergò sic intelligenda Propositio est: Ex illis constitisse composita, in quæ arte dissoluuntur: siquidem actu in composito fuerint, non potentia. Quis enim corpus hominis ex carbonibus coagmentatũ putet, quia in carbones verti potest? Iam autem dictum est, eam esse metallorum mistionẽ, vt dissolutio in partes actu inexistentes sperari nec debeat nec possit. Quo fit, vt rectius quidem Bracescus ratiocinetur, Metalla ex salibus constare quibusdam, quia in eos arte solui queant, quàm illi, qui hoc argumento ex argento viuo & sulfure eadem architectantur. Illud enim verum est, hoc simpliciter absoluteque falsum est: cum de vero sulfure ac hydrargyro sermo est. Nam ex multis corpus hydrargyro simile confici posse non inficiamur. De sulfure maior adhuc est difficultas. In hoc interim Bracescus absurdè peccauit, quòd metalla putauit in proximam verti materiam, cum in sales verterentur Materia est valde remota & longinqua. Non enim vel Chalcanthi vel salis species vlla reperitur, in metallicorum venis. Neque plus hæc ratio probat, vt nuper dicebam, quàm ea, quæ ostendat lingnum cuiuslibet arboris, aut plantam quamlibet ex cineribus factam, quia in cineres solui ab igne possit. Alterum verò de sulfure & hydrargyro, in quæ solui metalla aiunt, tàm est friuolum & inane, vt vix alia re magis suam inscitiam prodant. Præclarè intelligo, metalla posse in substantiam quandam similem argento viuo redigi: sed neque in vnam & eandem omnia soluuntur: nec in verum argentum viuum permutantur. Possunt ferè omnia in cineres solui: qui tantum ferè inter se differunt, quantum res, quarum cineres & reliquiæ sunt, differebant. Sic &

metalla

metalla, vnumquodque nimirum in suam quandam vertitur peculiarem substantiam, quam Argentum viuum Chemici inusitatè appellãt. Non enim quicquid libet Chemicis sulfur aut hydrargyrum vocare, continuò tale est. Sed de eadem hac re iam antè diximus: & postmodum plura dicemus.

Responsio ad argumentum secundum.

Ad alterũ facilis est responsio: dum aliud nihil agunt, quàm quòd principium petunt: hoc est, id sibi sumunt, de quo controuersia & lis omnis cœpta est. Nunquam illi nobis verum aurum ex fornaculis suis & fœtidis cineribus proferent: quod quidem ex aliorum metallorum & hydragyri transmutata substantia confectum sit. Quòd si in illis aliquid auri inerat prius, siue per naturam, siue per artem inesset, libenter dabimus hoc artificiosè exemptum fuisse. Scio tale quippiam accidisse aliquando cuidam, cui nihil tale videre multò erat vtilius. Sed hac de re, quoniam plura dicemus infrà, vbi χρυσοποιητῶν Chemicorum figmentum esse probare decreuimus, hoc in loco id tantùm dicimus, falsum & mentitũ esse, quod ab ipsis asseritur, aliquos verum & naturale aurum ex substantia metallorum ignobiliorum aut argenti viui transmutata cõflauisse sine fraude. At verò, dices, pleriq; omnes editis libris testificantur se modum conficiẽdi aurum adinuenisse. Ex his aliqui viri sunt docti & præstãtes, quos arguere mendacij improbum sit. Etiamsi veritatem hoc loco dicere parum videatur modestum & tutum, dicam nihilominus quod verum esse scio.

Scriptorum Chemicorum genera.

1 Non vnum est genus horũ scriptorum. Vnum namque est eorum, qui non conficiunt ipsi quidẽ aurum, sed tantùm interpretes illorum sunt, qui in præcipuo

apud ipsos loco & honore habentur, & rectissimè de hac re scripsisse putantur. Tales si vel adolescentes vel incauti in libros Chemicos inciderint, in ijsq; nonnihil proficere cœperint, amore quodam hæc cognoscẽdi capiuntur, priusquam iudicium de ijs fecerint. Facilè deinde impressam in animis opinionem sic retinẽt, vt ne dubitandum quidem sibi de veritate putent. Mouentur postea ad scribendum non malo cõsilio, sed vt alijs communicent, quæ deprehendisse ac scire sibi prę cæteris videntur. Hos ego non putem voluisse mentiri, cum pro veris & certis affirmant, quæ ipsi talia esse sibi iam olim persuaserunt. In eo præcipuè delinquũt, quód nimis sunt creduli, fidemq; adhibent scriptoribus vanis, antequam vel perpenderint res, vel experientiam earum fecerint.

2 Aliud deinde genus est eorum, qui indissimulanter mali sunt & impostores. Hi varijs & ijs malis artib. in hoc incumbunt, vt diuites, χρυσοφίλους, sed rudes & & imperitos, astutè circumueniant ac fallãt, inq; spem erigant maximarum opum. Artem quidem tenere se constanter asserunt: sed necessarios sumptus facere se non posse addunt. Rogant etiam, vt patefacere consilia nulli velint: quo propter præclaram scientiam in periculum non veniant. Tingunt hi metalla atq; ita mutant eorum accidentia, vt imprudentioribus egregiè, sæpenumerò imponant. Interdum metalla sumunt aut fossilia, in quibus auri vel argenti aliquid permistum norunt, cuius generis Pyrites nonnulli existunt. Quamuis verò perparum inde extrahant, tamen hoc illud in causa fuisse dictitant: artisque experimentum præstitisse satis esse iudicant. Quidam auri limaturam variè tingunt, vt fraus lateat, admiscentq; alia, quibus auri materiam magis occultent, & sic auri aliquid con flant boni: reliquũ imperfectũ mansisse propter erro-

rem

rem aliquem commiſſum miſeris perſuadent. Scio vnum fuiſſe, qui in manica chartã haberet argẽti limati plenam. Hic dum materiã in igne poſitam ſe inſpicere agitareq; ſimularet, mota ex charta puluerem defluere in ſubiectam tegulam ſinebat (brachiũ in fornacula abſcondebatur interim, vt animaduerti fraus vix tandem potuerit) atque ſic argenti tantum ſe confeciſſe mentiebatur, quantum pulueris influxerat. Sunt qui carbonib. excauatis imponant aurum: ſicut alij quidã materiæ prius permiſcent. Tales mentiri quis dubitet?
3 Sunt præter hos alij, qui ſumptus in hanc rem nõ leues fecerunt: multa ſunt experti: & fruſtra omnia tentarunt. Hos dolor atq; ira cũ pudore ſtimulat, vt ea ſe adinueniſſe ſcribãt, quæ inueniri non poſſe ipſa eos res docuit. Quia tamen eos pudet fateri errorem, ſtudent alios ſimiliter fallere: vti deceptos ſe cũ dolore meminerunt. Quod dico, hoc ipſimet ſcribunt. Extat liber, Roſarius minor vocatus, in quo author cap. 2. in hanc ſententiam ſcripſit. Duo ſunt pſeudophiloſophorum, id eſt, Chemicorũ genera. Horũ alteri impoſtores ſunt, nec veri quicquã ſcribunt: attamen libris ſuis præfigũt eruditorũ nomina, Hermetis, Auicennę, Ariſtot. Platonis, Solomonis, Mariæ ſororis Moſis, & ſimilium, quo commendabiliores eos reddant, & plures decipiãt. Alteri libros inſcribunt à veritate alienos: rationibus vtuntur probabilibus, longè petitis & philoſophicis: aliud pro alio ponũt, vel per ſimilitudines tantũ loquuntur: Principia ſtatuunt atramentum, ſales, alumen, pyrite. Et cùm vera principia proponunt, artem tamen non rectè docent. Item in libro, qui Theſaurus Philoſophię inſcribitur, legimus quoſdã ex profeſſo mendacia ſcripſiſſe: eos aũt, qui vera ſcripſerint, ita obſcurè & intricatè eſſe locutos, vt fructũ inde nullus capiat, niſi diuinitùs doceatur.

Non debes autem putare, illos, qui cæteros sic ad viuum expressos nobis conspiciendos exhibuerunt, meliores illis esse, quos reprehendũt. Ex eo perfacilè, qui, & quales ipsi sint, coniectabis, quòd, cũ se solos veritatem assecutos prædicant, eamq; se alijs patefacere dictitant, nomina sua libris suis mendaciorum refertis non ausi sunt inscribere: sed vel ἀνωνύμους reliquerunt, vel ficto aliquo nomine exornarunt. Verum esse hinc liquet, quòd eò tandem impudentiæ processit author Rosarij, (quod tamen cùm plerisq; alijs commune habet) vt hæc verba inserat. Ecce verbum Spiritus Sancti, Mercurius lapis est, quem honorant Philosophi. Impurus impostor, sacrilega non veretur audacia Spiritũ veritatis autorem vel testem facere vanissimi mendacij. Sanè modus, quem ipse se in auro fabricando secutum scribit, non ab omnibus probatur. Quo pacto ergo, si aurum aliter confici nequit, quàm eo modo, quo Natura conflat, tàm diuersis rationibus, & à tàm varijs rebus efficiatur? Insanit plus quàm omnes Chemici, quisquis auri vel alterius rei formam essentialem certæ materiæ, quomodolibet ab arte concinnè præparatæ dissimilibus modis atq; instrumentis imprimere se posse autumat. Hinc non malè quidam huius formæ χρυσοποιητὴς dixit: Lapidem Philosophorum sic vocari: quia labiles vias hominum efficiat: hoc est, quia in errores eos à vero abducat.

Nota. Iam me nonnulla de causa negare verum esse, quod dicunt, ex hoc etiam perspicies, quòd ipsos pudet nihil palàm affirmare, se opera suorum lapidum (Philosophorum lapides ab ipsis vocatos intelligo) metalla rudia & hydrargyrũ in aurum, argentumq; conuertisse: quantũuis in materia & modo eosdem lapides architectandi tàm defendant repugnantes sententias, vt cõciliare eas nullus possit. Alij ex plantis, alij ex capillis, alij ex

lij ex ossibus, alij ex bufone, alij ex humano sanguine, alij ex salibus, alij ex stercoribus, alij ex stanno, alij ex ferri scoria, alij ex alijs rebus hunc lapidem, (quo inaurãt omnia, & esuriunt tamen semper) construere docent: & nihilominus scopũ se pleriq; omnes attigisse iactitant. Ex hoc etiam intelliges, quòd plurimi libris suis nomina vel non ponunt, vel aliena fingunt, quò fallãt facilius. Argumento sit hoc deniq; etiam, quòd quicunq; se voti compotes factos prædicant, deq; admirabilis huius lapidis constructione scribunt, omnes ita scribere affirmãt, vt intelligere ac discere artem ex scriptis suis neminem posse simul asseuerent. Diuina reuelatione & peculiari gratia, supra industriam, sumptus magnos, eruditionem, & indefessos labores, opus esse aiunt, pij scilicet homines: cùm constet vix quenquam huic rei pręter imperitos, & magna ex parte impios, superstitiosos Astrologos, Magos, dæmonumque cultores maximos sic studuisse, vt in ea excellere alijsque commentarijs editis imponere vellet. Si non est à Mahometi cultoribus excogitata, certè ab ijs præcipuè exculta est.

Ad hanc rem illud etiam nonnihil facit, quòd omnes illi, de quibus ex historia aliquid nouimus, pauperiores mortui sunt, quàm ante artis huius exercitationẽ fuissent. Si ars est quęlibet propter finem suum expetẽda, & finis hic est auri confectio, qui fit, quòd ad pauperiem ferè artis cultores huius omnes rediguntur, dicit nullus? Cur tot fecerũt sumptus? Cur tot pernitiosos fumos hauserunt? Cur tot menses in fœtidos cineres inflarunt, faciemq; sibi fuligine oppleri passi sunt? Vt artem hanc scirent tantùm, non etiam fructum laborum perciperent? Credat qui volet, ipse non credo. Artium finis non est scire aliquid efficere, sed idipsum sæpe efficere, quod efficere docent. Certè cùm com- *Finis artium quis.*

mendant artem alijs,inde maximè commẽdant,quòd diuites & beatos cultores sui faciat.An igitur beati atque affluentes opibus honestis esse noluerunt? Certè sunt ferè omnium hominũ auri sitientissimi,quicunq; operam ei nauant. Non nesciunt infamem propemodum videri eũ,qui se Chemicum profiteatur. Sic enim cèlant factum suum,vt ęgerrimè ferant aliquem resciuisse.Quòd si ergo possent seipsos ac suos reddere felices,atque simul abstergere pudorem & infamiam,quã ipsis hoc studium affricauit, quis eos non facturos credat? Possent autem,si reipsa & facto suo demonstrarent,artem veram esse.

Atqui non audent,inquiunt,aurũ sibi copiosum conficere, ne resciscant Principes: atq; hoc pacto periculũ sibi accersant. Nam & Iasonem olim vnà cum liberis trucidatum: quia incautius fortè hoc mysterium corã vxore tractauisset. An non rides lector, cùm lepidas istas legis fabularum expositiones? Ista sinamus Chemicis,vt in ijs sese oblectent:& mœrorem,quem ex frustrata opera conceperũt,sic mulceant ac molliãt.Quis futurus esset Principibus ac Regibus charior eo homimine,qui opere demonstret se cum emolumento artẽ hanc exercere,quæ tam faciles, tam certas,tam tutas, inexhaustas opes non promittat modò,sed etiam præstet? Si Principes metuunt, dum aurum in fornaculis cudunt, cur non eosdem metuunt, dum se artem hanc probè tenere palàm dicunt ac scribunt? An maius est periculum aurum facere, quàm fecisse palàm profiteri? Ego videre discrimen hac in parte nequeo: nisi fortè hoc putant,neminem prudentem scriptis suis crediturum.Impiè nihilominus faciunt,quòd etiam imperitis & fatuis artem hanc exemplo suo commendando occasionem præbent, valetudinem, tempus, atque res familiares disperdendi.

Ego ſic arbitror, non poſſe tam rabioſam & Caïnam inuidentiam hoſpitium in tot hominum mentibus inuenire. Si quid in re ineſſe veri compertum vlla ætate fuiſſet, vel vnus aliquis candidus & ingenuus ſcriptor prodijſſet, qui de plurimis bene mereri cũ immortali ſua gloria maluiſſet, quàm ſibi ſapere ſoli. Omnes quotquot veram eſſe expertos ſe ſcribunt, eandemque alijs ſe propoſituros promittunt, hoc tandem addunt, ſe ita ſcribere, vt intellecturus ſit nemo, cui non Deus patefecerit. Quid aliud hoc eſt, quàm dicere, ego te docebo tempus atque oleum perdere, quemadmodum ipſe etiam perdidi? Interim non habent aliud in ore impuri quidam & impij Chemici, quàm indignis iſta non eſſe prodenda, ſed ſanctis ſolum tradenda. Quaſi non authores huius vanitatis Mahometani, Magi, Dæmonumque cultores propè omnes fuerint. Similis eſt illorum improbitas, qui à Deo peculiariter hanc artem patefieri dignis quibuſdam ſcribunt: ac ſimul hoc etiam ijſdem à Deo ſummo condonari, vt celare artem hanc alios & poſſint & velint.

Negare interim non volo, aliquos ex his ſcriptoribus non omnino extitiſſe malos: nec alia de cauſa magis ſcripſiſſe artem, ſe veram comperiſſe, quàm vt exiſtimationi ac nomini ſuo conſulerent. Cũ enim ſe maculauiſſe famã hoc ſtudio perſpexiſſent, atq; prudentiæ eruditioniſq; opinionem imminuiſſe viderẽt, ne inanem & falſam amplexi viderẽtur artẽ, ad finẽ ſe perueniſſe gloriati ſunt. Et ne tam facilè redargui poſſent, ideò ſe aperire ſecreta iſta nemini velle oſtẽdere, ne ars vileſceret: ipſi aũt errorẽ ſic ſuũ tegere, multiſq; perſuadere voluerũt, ſe longè plura ſcire, q̃ reuera ſciuerint. Magna res eſt ambitio, nec facilè expletur animus gloriæ ſitiẽs. Errauiſſe pauci reperiũtur qui videri Nemo vult videri errauiſſe

velint. Facilè igitur hîc fuit errorē celare. Mouerūt fortaſsè aliquos illæ 4. rationes, quas auctor dialogi cuiuſ-
1 dā, cui titulum fecit, Χρυσοῤῥόας, commemorat. Primùm vt otioſorum hominum ingenia exercerent. (Poterāt
2 enim vtilioribus hoc facere) Deinde vt plurimos excitarent ad res præclaras & vtiles inueſtigandas, quales certè non paucæ per hanc occaſionem repertæ ſunt.
3 Tertiò vt curioſos, auaros, auri ſiticuloſos miſerè ve-
4 xarent. Poſtremò, vt teſtatum poſteris relinquerent, ſe tempus inerti otio non perdidiſſe, verùm Naturæ ſecreta indagauiſſe. Sed ſatis de hac re, ad tertium deſcē do argumentum.

Refutatio tertij Argumenti.

Facilè cohærētia non ſunt altera alterorum materia.

Ad tertium argumentum dicimus, ipſum non eſſe firmius prædictis. Nititur hac propoſitione falſa. Quæ facilè ſe inuicem complectuntur, facileque ſibi adhærent, ac naturali amicitia & conſenſione facilè coniunguntur, horum vnum eſt alterius materia. Vix credo quenquam hoc crediturum non dementatum à Chemicorum venenatis fumis. Hac ratione probabimus Magnetem ferri, aut hoc illius materiam exiſtere propinquam. Probabimus ſimiliter, ſulfur materiam eſſe proximam hydrargyri, vt quòd ei facilè adhæreat. Probabimus in metallis ſulfuris nihil ineſſe. Non enim facilè ipſis coniungitur. Probabimus metalla quædam non conſtare ex argento viuo: propterea quòd nullam cum eo ineunt ſocietatem. Ferrum namque ipſiſmet teſtibus non recipit, niſi arte ad hoc cogatur. Cùm ergo multis modis Propoſitio poſſet falſa oſtendi, (in præſentiarum prædictas inſtantias adduxiſſe ſufficit) certo certius eſt nihil ea concludi efficiq;. Deiecti ergo hîc etiam de ſpe & munitionibus ſuis: ideoq; nudi omnibus veritatis telis palàm expoſiti cernuntur. Magna eſt veritatis vis.

Con-

Confutatio quarti argumenti Chemicorum.

Quod præterea de Pyrite attexitur, (Nam de odore sulphureo, suprà diximus, quæ poscere præsens causa, visa est) vanum, falsum, & planè Chemicum existit. Etenim neque verum est, quod dicitur: neque si verum esset, causam eorum redderet meliorem: qualia sunt pleraque ipsorum theoremata. Falsum est Pyriten excrementum esse metallorum. Non enim reperiretur, vbi nullum metallum effossum fuit. Atqui reperitur in proprijs metallis seu venis sterilibus: ex quibus metalla nũquam eruta fuerunt à quoquam. Deinde certum est, cum persæpe in aliorum fossilium metallis, vt argenti viui, testibus Chemicis, inueniri: cuius causa eum scribunt aliqui matrem hydrargyri appellari. At huius excrementum esse Pyriten, quis dicit? Et vt esset, non tamen metallorum excrementũ dici posset: cum hydrargyrum metallum nec fuerit, nec futurum sit vnquam. Quod si iudicio Chemicorum putemus standum, non semper & in omnib. fodinis metallicis reperitur. Quocirca cogemur existimare, talia metalla carere excremento: neque admittemus Propositionem vniuersè propositam. Vt ne fingere aliquid videar, lege Epistolã Petri Boni ad amicum, quæ excusa est cum defensione τῆς χρυσοποιίας (quam χρυσοφθόριον non ineptè appellaueris.) In hac neque Pyriten, neque Cadmiam (Tutiam ipse vocat) probat principia esse artis suæ. Rationem adfert non malam: quia videlicet Natura ex his metalla non creet. Posterius hoc probat aliquot rationibus, inter quas hæc vna est. In metallis aurarijs & quibusdam alijs quoque non reperitur semper & vbique Pyrites. Ex commemoratis apparet, quàm futile falsumq; hoc etiam sit argumentum.

Pyrites non est excremẽtum metallorum.

Quam nihil ad rem faciat, ex eo conijcito, quòd Py-

rites minimè est sulfur. Nec ex eo sulfur quisquam eliciet verum. Quòd vstus sulfur olet, sulfur eum cõtinere non probat: vt suprà monstratum est: sed hoc solùm declarat nobis, vel inesse in compositione ipsius halitum siccũ, qui vstus instar sulfuris fœtet, vel ab vstione partes aliquas in talem halitũ permutari. Certè Chemici nõnulli ex sulfure nostro metalla cõflari negant: vt suprà audiuimus. Hi argumentũ nõ cõcedẽt, metalla vsta sulfureũ quid olent, ergo ex sulfure proximè nata sunt. Cõsimiles in Pyrite halitus inesse, quales in sulfure quoque insunt, facile dedero. Sed vt in hoc etiã aerię partes multę sunt, q̃ cum illis halitib. mistę sulfur cõstituũt: ita cum halitib. aridis cõtentis in Pyrite, partes terreę plurimæ (& sępenumero etiã metallicæ) permistæ insuper sunt, ex quib. Natura nõ sulfur, sed Pyritẽ diuersam à sulfure fossiliũ speciem, cõfecit. Hoc ita necessariò habet, siquidẽ non generetur odor ille ab igne: partes aliquas tunc primũ sic vrente. Equidem non continuò eadem sunt q̃ similes aliquas habent qualitates. Sic enim eandem foret necesse substantiã & essentiam esse sanguinis humani & animalis cuiuslibet. Frustra ergo solus odor pro argumento adfertur. Sic in quamcunq; se Chemici partem vertant, nihil nisi delira somnia proferunt.

Non statim eadẽ sunt, quo similes quasdã habent qualitates.

Responsio ad vltimum argumentum.

De postremo eorum argumento nunc paucula dicamus. Sulfur, inquiũt, metalla tingit. Verisimile igitur est, ipsa colores suos à sulfure habere. Sic cum ab hydrargyro nancisci hoc possint, vt igni resistãt probabile fuerit, ea ex tali ab initio materia cõflata fuisse. Argumentum hac Propositione nititur. Quod metalla artis beneficio tingit, hoc eodẽ Natura, dum nascuntur, ipsa tingit. At hanc Propositionẽ licet vnusquisq; falsam esse videat, ipsi tamen egregiè falsam esse docet. Etenim salibus, alumine, capillis, arsenico, Cadmia, alijsq; talibus tingi

Tingẽs metalla non ideo est materia metallorum.

ea ab

ea ab impostorib.ipsimet scribunt. Falsa ergo est Propositio, vel ipsis iudicib. sententiamq; ferentibus. Si de tinctura naturali se loqui respondeāt, non valebit argumētum ab arte ductū. Deinde petemus ab ipsis, vt probent metallorū tincturā naturalē à sulfure existere. Quam multa sub terra, vt de ijs, quę supra terram oriuntur, taceā, nascuntur, varijs tincta coloribus, quę à sulfure tincta nullus putat? Si omnes subterraneorū colores à sulfure manarent, deriuatos inde metallorum quoq; colores non simus negaturi. Quod cum affirmari nequeat, meritò certiorem hoc loco probationem requirimus.

De altera parte, qua dicunt, metallorum materiam id esse, quo efficitur, vt ignis superare ipsa nequeat, frustra plura dixero. Nunquā.n. vel argumentis, vel opere isti nobis ostēdēt χρυσολυμεῶνες, metalla abs se confecta ignibus ita resistere, vt naturalia metalla ijsdem resistunt. Falsa ergo est assumptio, qua dicunt, hydrargyrū efficere, vt metalla sic durescant, vt insuperabilia fiant ab igne. Hoc enim quomodo dederit hydrargyrum alijs, cum ipsum id nunquam habuerit? Proferant aliquando ex fornaculis suis aurum eiuscemodi factitium, vt aliquid eos posse confiteri cogamur. Sed nisi me fallit animus plurimùm, ita non facient deinceps, quemadmodum ad hunc diem vsque præstare non potuerunt. Tentauerunt aliqui, & tale confecerunt, si Alberto fidendum est, quod septimo demum examine ab igne victum in cineres solueretur ignauos. Quòd si ideo ex hydrargyro constarent metalla, quia sunt quædā ab igne insuperabilia, fortè Amianthū, & Adamantē ex eodē architectaturi simus. Putaui ego exactā mistionem terræ cum aqua causam esse liquefactionis & resistētiæ in auro. Nūc hydrargyrū, quod ab igne promptissimè in fumū vertitur, hoc ei præstare audio. Velim ꝓbationes audire firmas. Dum non audiero, credere

Cur aurum ignibus resistat.

Chemicis quidlibet fingentibus nequaquam potero. Non enim eſt argentum viuum, quicquid illis ſic nominare collibuit.

Validè ſatis neruoſeq;, vt puto, probatum eſt, metalla non conſtare ex ſulphure & argento viuo, tanquam ex propinquiſſima & propria ſua materia. Argumenta etiam aduerſariorum ita refelli, vt veritatis amātes nō ſint temerè de tota iſta cauſa dubitaturi. Equidem quę pro ſe adducunt, tam ſunt elumbia, vt Antagoniſtam minimè flagitent excellentem. Rationes quoq; noſtræ tam ſunt firmæ & ſolidæ, vt contra eas fruſtrà videantur tentaturi aliquid fuliginoſi iſti auri decoctores. Si alia nulla ſit, vna hæc ſternat ac diſijciat facilè omnia Chemicorum propugnacula, poſt quæ ſe abſconderūt, quod in nullo metallo vnquam vel ſulphur vel hydrargyrum ita repertum eſt mutatū, vt in via putaretur eſſe ad aliquod metallum. Quocirca perſtat Ariſtotelis ſententia: neque ab ignibus ac fumis Chemicis labeculam vllam accepit. Huc vſq; de materia metallorum diſputauimus, & quàm ſe turpiter dent hac in parte Carbonarij explicauimus. Iam vt dogmatis ipſorum inanitas manifeſtior fiat, de cauſa efficiente, quæ ipſorum ſit opinio, breuiter exponemus.

Quæ Chemicorum ſint de cauſa metallorum efficiente, opiniones.

Nos cum Ariſtotele eruditisque omnibus Philoſophis de efficiente metallorū cauſa ita ſentimus, quemadmodum ſupra de hac re diſſeruimus. Calor ſubterraneus variè ſubiectam materiam, terram ſcilicet atque aquā, mouet, miſcet, coquit: & pro diuerſa tum miſtione tum coctione, multiplices terrarum parit differentias. Hinc fit, quod cum glebæ aut ſaxa in metallis mutantur, metallorum fœcunda non ſunt amplius: quod etiam ſuprà monuimus. Ex certis igitur terris cum vapores,

pores,

pores exprimit, atq; ij in locum penetrauerint frigidũ, in eoq; concluduntur, frigiditate & ſiccitate in metalli duritiem & denſitatem coguntur. Fit autem metallum hoc vel illud, prout ex tali vel alia quapiam terrę ſpecie vapores tolluntur. Hos ſi me exponere, quales ſint, per quas, & per quot alterationes ortæ ſint, aliquis iubeat, ei ego ingenuè confitebor, me neſcire. Non enim ex mi ſtione prima terræ puræ cum aqua pura tolluntur vapores iſti, ex quibus conflantur metalla. Multæ & variæ procedũt mutationes, alterationes, miſtiones, antequã talis terra fiat. Libenter mecum etiam idem fatebuntur Chemici, dum non inficiantur, ſe τὸν λόγον τῆς μίξεως Elementorum, ad creandũ ſulfur & hydrargyrum, (quæ ipſi primordia Metallorum ſtatuunt) congredientium nunquam percepiſſe.

De cauſa metallorum efficiente quæ noſtra eſſet ſen tentia iterum diximus. Hanc etſi reprehendere peritiores Chemici non audent, ſemper tamen aliquid de ſuo adhuc aſſuunt. Quod vt non faciant verbis, re tamen atq; opere oſtendunt ſe aliter ſentire, dum totum ſuum negocium igne perficiũt. Quòd ſi ab igne caloreuè ſolo denſata fuiſſent metalla, quomodo, obſecro, ab igne ſolo liqueſcerent? Haud ignoro à calore quædam concreſcere, quæ ab eodem, & ab humido ſolui queant, vt ſales. At in metallis ratio hæc locum non habet, Producam hîc vnius atq; alterius teſtimonium, vt videas eos ſolo calore vti ad metallorum confectionem. Efferarius Monachus ad Pontificem ſcribens, explicatiſſimis verbis dicit: ſolo calore totum opus perfici. Citat ad eam rem monſtrandam Alphidij cuiuſdam authoritatem dicentis: In vniuerſo vnicam ſubſtantiam agentem, nempè calorem. Rogerius Bachon capite quarto Speculi Chemici ſui, acerbiſſimè omnes illos accuſat, multisque argumentis erroris inſani coar-

Solo calore fabricãtur metalla Chemici.

guere ſtudet, qui alio agente vtuntur quàm calore.

2 Sunt alij quidam, qui vim quandam præterea deſiderant metallorum effectricem, ſine qua nullo modo generari metalla exiſtimant. Abſq; hac poteſtate, ſcribit quidam, ars nunquam metalla conficiet, quantumuis materiam eorum purget atq; præparet. Non enim poteſt ars formam naturalem vlli materiæ inprimere: ſi inſtrumento illo deſtituatur, à quo materia ſua forma inſignitur. Hanc potentiam ſic inhærere partibus terræ, vt quibuſdam fontibus aut locis vim ineſſe λιθοποιητικὴν aliqui cenſent. Attamen putant eandem hanc aqua ablui, & metallis cõmunicari. Huic opinioni Braceſchus quoq; ſubſcribit: niſi quòd iſtam virtutem ait eſſe ſplendidum ſulfur lapidibus adhærẽs, de quo ſuprà diximus. Vtrum hæc virtus ficta calefaciendo & frigefaciẽdo, an alia quadam ratione ſulfur & hydrargyrum in metalla tranſmutet, nunc non memini me apud ipſos legere. Meras eſſe nugas & figmenta ocioſorum hominum, is perfacilè intelligit, qui, quæ ſuprà de cauſa metallorum effectrice ex Ariſtotelis omniumq; peritorum Philoſophorum ſentẽtia diximus, mediocriter percepit.

Ars formã naturalem nulli materiæ poteſt imprimere

Epilogus ſupradictorum.

Quid metallum ſit, quomodo, ex quibus, quo loco, ea generentur, quas habeant ſpecies: & quæ de his omnibus Chemicorum ſint ſententiæ: dilucidè, vt ſpero, expoſui. Nec minus apertè oſtendi, omnes Chemicorum de metallorum materia manifeſtè falſas eſſe. Quæ de effectrice cauſa nugantur, ob id præcipuè leuiter ſolùm attigi, vt perſpicuum facerem, in quantis errorum tenebris verſentur. Si probationem ab eis opinionum ſuarũ poſtules, vel friuolam aliquam producunt, vel nullam adferunt, vel re & opere ſe cõprobaturos pollicentur: at præſtant nunquam. Iam verò ſtudioſè confutare velle, quæ ſe ipſa refellunt, minimè eſt neceſſe.

Quam-

Quamobrem libenter nonnulla taciti præteriuimus.

De Paracelso nonnulla.

In tota porrò hac disputatione mẽtio nulla facta est Paracelsi: cuius opinionẽ oraculum quoddã esse opinãtur aliqui: illi scilicet, quib. idem vsuuenit, quod Paracelso contigit. Cum enim frustra tantopere desideratũ aurum in cineribus & carbonibus fornaculorũ se quęrere animaduertisset, ad Medicinã artem suam trãstulit. Cæterùm duæ causæ sunt, quod Paracelsum non citaui. Prima est, quòd, quo tẽpore illa scripsi, libros eius paucos viderã, & leuiter inspexerã: indignos iudicãs, quib. perlegẽdis pretiosum tẽpus perderẽ. Altera, quod nusquã sibi eum constare, & nil nisi mõstra & portẽta verborũ ac rerũ in mediũ adferre perspexi. Scribit quidẽ alicubi rerum varietatẽ ab inæquali elementorũ mistione prouenire: & ob hanc causam metallorũ quoq; species varias, dissimiles, & multiplices esse. At qd elementũ vocet ac mistiònẽ, tam est incertũ, quàm quod incertissimũ: dum modò de suis quibusdam elementis, aliquando de nostris, mox de inuisibilib. quibusdã loquitur. Alio lib. hæc eius verba legimus: Sicut medici in humorib. errant, ita Philosophi, (Sic nominãt auri decoctores: quos ego semp ferè Chemicos appellare soleo) in Mercurio & sulfure hallucinantur, dũ ex eis metalla conflari opinantur. Quàm non consonet hic locus cum alijs eius sententijs, nimis est manifestũ. In hac opinione diutius & constantius aut sæpius fuisse videtur, metalla ex sola aqua concreuisse. Non enim concedit, Elementa vel omnia vel plura concurrere ad mistorum constitutionem. Res singulas ex singulis elementis sic nasci cõtendit, vt de substantia eius nihil tamen accipiant: sed ex eis tanquam ex matrice prodeant solùm. In summa tanta est hominis mutabilitas, inconstantia, & monstrositas (liceat rebus inauditis inaudita nomina assignare) quanta in nullo vnquam post natos homines

Cur Paracelsi nulla mentio hic facta.

Paracelsus sibi contrarius.

fuisse videtur. Alio loco hæc scribit: Metalla non sunt aliud quicquam, quàm pars optima vulgarium lapidum: eorum videlicet spiritus, pinguedo, bitumen, sedum, oleum, adeps. At non purus est adeps, quantisper in lapidibus occultatur: vnde exprimi educiq; necesse habet. Tum autem non amplius est lapis, sed perfectũ & elaboratum metallum, similitudinem habens cum cœli sideribus: quæ diuersum genus sunt lapidum, ab his terrenis lapidibus. Dixerat lapides nil aliud esse, quàm excrementum, carbones, purgamẽta, reiectanea Siderũ. Quo posito, consequitur ex Paracelsi phantasia, metalla esse partẽ optimam recrementorum cœli. Ex huc vsq; dictis liquet, bono cõsilio monstra & portẽta Paracelsi nos omisisse: cum præsertim sciri nequeat, quid de metallorum materia constanter senserit.

Quid metallum ex sententia Paracelsi.

De arte metalla transmutandi.

Postquam de materia, ortu, & speciebus metallorum diximus, quæ ad institutũ nostrum pertinere visa sunt, restat, vt de Arte metallorum permutationem pollicente agamus: & an possit præstare quod promittit, cõsideremus. In cuius rei disquisitione rursus nulla mentio futura cum sit Paracelsi, breuiter hîc aliquid de ipsius constantia dicam. Quod professus sit artem metalla nobilitandi & permutandi, nulli nesciunt, quicunque libros eius legerunt. Iactitat non vno in loco quid hic præstiterit: quantaq; dexteritate & industria in hoc opere versatus fuerit. Alibi ex diametro sibi contrarius est, impossibilem esse dicens viliorum metallorum in nobiliora permutationem. In lib. 1. Philosophiæ Sag. Qui aurum & argentum, inquit, per Chemiam fabricare volunt, rectè non faciunt. Quare triturant stramen inane. Non enim à Deo concessum est, sed est figmentum humanum. At quod à Deo datur, ex eo dono fit illud, quod fieri debet. Proinde quod absq; hominum doctrina

Constantia Paracelsi.

ctrina inuentum est, ad magicam pertinet inuentionē, (quæ mater est rerum abditarum Naturæ perceptibilium) perfectumq; est. In Archid. lapidem, quo metalla transmutantur, se nec incepisse scribit, nec perfecisse: sed nec explorati aliquid de eo habere, vtrum, quæ præstare scribitur, efficere queat. Quinimò vix minimam partem se intellexisse & cognouisse. Non dissimilia alibi quoq; scribit. Ex principijs ipsius idem sequitur. Quoniam vnà cum Discipulis suis putat, tria illa prima inæquali proportione mista rerum diuersitatem procreare. Aliter enim pro constitutione ignis conuenisse, aliter pro generatione aquæ concurrisse, aliter pro terræ productione commista fuisse, aliter pro aliarum rerū effectione temperata coiuisse. Ergò si aliter coierunt Elementa, (quæcunq; tandem ponat) pro auri fabrica, & aliter rursus pro ferri structura, non poterit alterum transmutari in alterum, nisi principia vnius ita inter se temperentur & iungantur, quomodo in altero temperata iunctaq; sunt. At hoc quis credat creatæ vel mentis esse cognoscere, vel potestatis perficere? Qui sibi persuasit creaturæ hoc esse, creaturam à Creatore nondum perdidicit distinguere. Sed de Paracelso satis, imò nimis multa: nunc institutum nostrum prosequamur.

Fundamenta artis Metalla permutare volentis.

Ars Metallorum transmutatrix à Chemicis tātope- 1
rè celebrata, duobus fundamētis, quę tanquā Adaman-
tinas columnas ruinoso & pertuso undiq; ędificio, hoc
est, arti suæ sustētandę subiecerūt innititur. Primum est
hoc: Metalla ex sulfure & hydrargyro, vt ex ꝓxima & ꝓ-
pria materia sua, generantur. Alterū tale est: Metallorū 2
species perfecta est vnica, scilicet aurum: cætera autem
metalla aurum quoddam sunt inchoatum & imper-
fectum: ab eo communibus quibusdam accidentibus,

Fundamentum primū pro χρυσοποιητρία.

cruditate, im puritate, alienæ materiæ admiſtione, & conſimilibus aliјs, duntaxat differunt. Sic enim quidam (Nec is ſolus) ſcriptum reliquit. Luna, id eſt, hydrargyrũ per ſe eſt ſol verus: nec aliud ei deficit quàm perfecta coctio. Eodem modo loquuntur de aliјs. Hæc duo fundamenta vt ruinoſa, putida, falſa, & ridicula figmenta, oſtenderemus, tam multa de metallorum generatione, materia, ſpeciebus, & cauſis diſputauimus. Nunc ſupereſt, vt quid hiſce collabentibus & colliqueſcentibus ab igne veritatis ſuperſtruxerint colũnis & fundamentis inſpiciamus. Quanquam artis noſtræ veritas, inquiunt, poſſit difficulter argumentis aſtrui, & experientiæ potius fides tribuenda ſit, ad quam prouocamus: attamen cum metallorum conſtet omnium materiam eſſe vnam & eandem, nempe argentum viuum: atque non eſſentia ſpecieque, ſed coctione & imperfectione tantummodo differant: nemini videri dubium debet, quin perfici & percoqui poſſint à natura pariter & ab arte. Quo poſito, ſequitur artem noſtram ea conari, quæ perficere præſtareque poſſit. Etenim adiuuari Naturam, quotiens certis de cauſis imbecillior eſt reddita, ab arte poſſe, Medicina abundè probat. Ait enim Ariſtoteles, non referre in naturalibúsne an artificialibus organis coctio perficiatur. Ad hæc patet, illum, qui proximam rei naturalis cuiuſpiam nouerit materiam, cauſasque imperfectionis non modo exploratè cognitas habeat, ſed eaſdem etiam tollere, denique actionem naturæ concinnè imitari valeat, quod inchoatum eſt, perfectum reddere poſſe. At Chemici artis ſuę prę ſidio, proximam auri metallorũq; materiam certò cognoſcunt: cauſas cur in aurum non ſemper tranſeant, intelligunt: eaſdem auferre ſciunt: ac naturam in percoquenda materia ſolertiſſimè imitari didicerunt. Ex rudibus igitur metallis, & veluti auro

Argumẽtũ pro arte auri confectoria.

2

ti auro

ti auro inchoato perfectum efficere aurum possunt.

Et ne fieri aurum aliud ab auro naturali suspiceris, 3
addunt in auro à Chrysopœis confectum omnes inesse naturalis auri proprietates, affectiones, operationes, atq; vires: & nobiliora hæc in suo auro esse multò, quã in naturali insuper aiunt. Quinimò χημείαν Naturæ potestatem longissimo interuallo superare asseueranter affirmant. Quod enim Natura annis vix mille perficere possit, hoc se paucis annis adeoq; mensibus perfectum dare pronunciant.

Neque in his solis hoc fieri, verùm etiam in alijs 4
fossilibus. Nam ars, inquiunt, generat atramenta, alumina, sales eiusdem generis cum Natura. Proinde mirum non est, si idem etiam aurum conficere dicatur.

Producunt deinde exempla plurima eorum, qui 5
se aurum confecisse sincerissimum atque optimum asserunt.

Gloriantur, multos præstantes & vetustissimos phi- 6
losophos artem hanc exercuisse, veram comperisse, scriptisq; suis illustratam posteris tradidisse.

Hæc sunt argumenta, quæ videre potui omnia. Etsi namq; primum argumentum alijs atq; alijs verbis aliquoties repetunt, reuera tamen vnicum est. Impurum potest repurgari. Imperfectum potest perfici. Quorum mistio & materia eadem existẽs perfecta, & imperfecta coctione solùm differẽs, in his imperfecta facilè permutantur in perfecta. Quæ in motu sunt ad formam, facilè promoueri ad eandem possunt. Quæ sunt in potentia ad formam aliquam propinqua, sine magna difficultate ad eam perduci queunt. His additur assumptio. At rudia siue ignobilia metalla sunt talia.

Blasphemiæ Chemicorum.

His virib. & armis, huic robori cõfidẽtes χρυσόφθοροι

gigantes, Naturæ bellum audent petulanter indicere: artemq; suam Naturæ multum anteponere. Quinimò ex lapide suo (quem Philosophorum vocant.) audent nefariè affirmare, quosdam præuidisse resurrectionem defunctorum, malorum quidem ad pœnam, bonorum autem ad salutem: virginis conceptionem: diuini verbi incarnationem, & nescio quæ non abscondita mysteria. Conuersionem vxoris Loti in salis statuam significare suam artem scripsit quidam. Audent Solomonē, Abrahamum, Moseos sororem Mariam, quem libido iubet dictatq;, vanissimę superstitionis huius authores, amatores, sectatores, propagatores, illustratores, asserere. Apage cum istis profanis hominibus. Sed quid faciant? Cum arti commendationem ex re, quam pollicētur, adferre nequeant, potius quam ingloriam esse patiantur, impij ipsi in Deum Naturamq; esse pariter ac videri volunt. Nos primum nihil nisi inane figmentum ostendemus esse. Deinde rationes eorum proximas excutiemus, vt suprà quoq; fecimus.

Lapis Philosophorum inane impiumq; figmentum est.

Artis Chemicæ finis ac scopus est docere constructionem rei cuiusdam, quam ipsi vocibus barbaris vel aliud significantibus tam multis & tam diuersis exprimunt, vt nec ipsi qui scripserunt, nec qui legunt, videantur intellexisse, quid ea res sit. Neq; mirum hoc est. Cū enim nominare quippiam voluerint, quod neq; extat neq; extitit in vniuersa rerum Natura, meritò neq; ipsi quid nominarent, sciuerunt: neq; alij quid nominare voluissent, intellexerunt. Vocant enim sanguinem humanum, aquam vitæ, draconem, coruum, laton, elixir, Mercurium Philosophorum, lignum vitæ, aquam viuam, Medicinam summam omnium ægritudinum, Aurum Philosophorum, aquam siccam, Spiritum fœtentem, χρυσόσπερμον, & alijs omnino plurimis modis.

Nomina lapidis Philosophici.

dis. Sæpissimè autem nominant lapidem Philosophorum, hoc est, Chemicorum. Etenim se ipsos mutuo vix aliter nominant, quàm Philosophos. Et quicquid scriptum, fictum, somniatum est, hoc à Philosophis scriptũ aiunt. Huius lapidis vires aiunt esse has: Primùm, si pars eius vna, in argenti viui, vel stanni, plumbi, æris, ferri, ritè prius præparati & fusi, partes mille, imò decies mille injiciatur, eas omnes in momẽto conuertet in aurum purissimum & sincerissimum: quodq; omni auro naturali seu fossili præstantius sit. Deinde tantas esse ipsius vires, vt omnes humani corporis morbos è vestigio tollat, futuros arceat, vitamque producat in annos plurimos. Quinimò hoc ipsum præstare vtentibus, vt primorum patrum vitam æquent. Habere namque eum virtutem arboris vitæ, adeoque nihil aliud Adamo vitę arborem fuisse, quàm hanc artem siue hunc lapidem.

Vires lapidis Philosophici.

Blasphemia Chemica seu Paracelsica

Mira profectò res est, tam multos hunc sibi lapidem tantis laboribus ac molestijs confecisse, siquidem verè hoc de se ipsis scribunt, & nullum vita longiore vsum esse: imò plerosque propter fumos hydrargyri, & arsenici, aliorumq; talium noxiorum fossilium, decoctores, valetudinarios, paucissimis annis miserè contabuisse. Decurtatorem vitæ, non productorẽ eum esse, ipsi suo nobis exemplo demonstrarunt. Sic non datorem seu effectorem auri ipsum esse, sed potius consumptorem & raptorem, pauperies illorum, à quibus confectus dicitur, testificatur. Iam verò de materia & constructione huius lapidis, Deum immortalem, quales & quantæ inter ipsos rixæ sunt ac contentiones? Non puto vlla de re homines tam varia sensisse. Alius enim hunc creat ex capillis, alius ex ouorum putaminibus, alius ex plantis, alius ex animalibus, vt bufonibus, alius ex menstruo, alius ex alio sanguine, alius ex salibus, alius ex aluminibus, alius ex arsenico, alius ex sulphure, & Mercurio,

Vide suprà.

alius ex Chalcātho, alius ex Pyrite, alius ex Magnesia, alius ex Antimonio, alius ex Cadmia, alius ex plumbo, alius ex stanno, alius ex ferro, alius ex ære, multi ex argento & auro, alius ex ferri excremento seu scoria.

De modo conficiendi lapidis dissensiones.

De modo conficiendi non minor est controuersia, id quod confitebitur, quisquis horas bonas malè collocauit, dum eorum libros perlegit. Qui gustum aliquem solum habere contentus est, ne tempus malè perdat, principia duorum aut trium librorum legat, quorum vni titulus est, Lumen luminum Arnoldi Villanouani: alteri, Aristoteles de perfecto magisterio: tertio Raymundi Lulli de Intentione Chemicorum. In istis principijs dum ita digladiantur, & vnusquisque probare conatur, se & materiam & modum pręparādi solùm tenere, alios omnes à scopo plurimum abesse. non verentur plerique affirmare, se quod concupierant adinuenisse, admirabilemque istum lapidem ritè confecisse. Quod cum sit absurdum simul & impossibile, perdifficilè sanè fuerit iudicare, cui credere velis. Nam quotiens non tantùm præparationis modus, verùm etiam materia toto genere totáque Natura diuersa sunt, quomodo poterit res ab vtrisque vna perfici? Quo pacto non erit necessarium alteros mentiri? Atqui rationem inuenies certam nullam, qua inter mentientes & non mentientes discrimen ponas. Quocirca omnes mentiri si dixeris, minimum errabis.

Vt res manifestior sit, exemplum adferam. Si quid in tota re inesset veri, viderentur illi mihi ad veritatem accessisse propius, qui eum ex auro argentoque concinnare studuerunt. Vt hoc putem, faciunt cum alia, tum rationes, quæ ab alijs prius, deinde verò à Tauladano contra Bracescum allatæ sunt. Equidem non video, quomodo ex non auro possit aurum effici arte, vbi nul

lum

lum auri ſemen ſit:aut quomodo quod aurum non eſt, adeoque opus habet aliquo, à quo in aurum vertatur, alijs hoc dare poſſit, aurum vt fiant. Sed hanc argumentis refellunt Braceſcus & Rogerius Bachon ſatis probabilibus. Aurum, inquiunt, non poteſt eſſe materia huius lapidis. Ratio eſt, quia ſibi tantùm perfectum eſt, alia perficere nequaquam poteſt. At verò quod cætera perficere inque aurum conuertere debet, longè perfectius auro ſit, neceſſe eſt. Oportet enim vt non ſibi modò perfectum ſit, ſed etiam perficere poſſit alia. Quocirca cum aurum in genere metallorũ ita perfectum & decoctum ſit, vt perfectius reddi meliusq; coqui non poſſit, (Nam ad ſummam metallorum perfectionẽ deuenit, vt in hoc genere amplior perfectio quęri nõ poſſit) ne materia quidẽ ipſum lapidis Philoſophorum fuerit. Pręterea vt ponatur retinere aliquid adhuc imperfecti, ea tamẽ eſt ipſius miſtio, vt ſolui ab igne nequeat. Quamobrẽ repurgari intima ipſius ne ſic quidẽ poſſent. Iam quod perfectius reddi & à ſordib. expurgari nequeat, ſic probat authoritate idoli Chemicorũ Gebri. Metalla cætera purgari poſſunt, quia in calcẽ verti ſine rei alicuius admiſtione alienæ poſſunt. (Hæc enim ritè in calcẽ cõuerſa dicunt, quib. nihil admiſtum fuit) & ſic in primã materiam, quæ eſt Sol. Nec poteſt vllum metallum in ſalem verti, niſi in calcem prius redigatur. Aurum autem in primam materiam ſiue ſalem verti non valet: quia in calcem redigi nequit (teſtibus Gebro & Alberto) propter exactiſſimam & perfectiſſimam miſtionem: & quia ſulphure cremabili caret. Cum ergo in calcem redigi nequeat, niſi adijciatur ſulphur, aut ſal, aut aqua vitæ, aut aqua fortis, aut Mercurius, aut aliud quippiam tale (hæc autem ratio non ſit congrua) tempus & oleum perditur. Ideo fruſtra ait Gebrus, in calcem ipſum redigi: atque Agrippa ſe exper-

Aurum nõ poteſt materia eſſe lapidis philoſophici.

tum hoc fuiſſe, & ſine vtilitate omnia tentauiſſe aſſerit. Summa eſt, aurum nec arte nec natura poteſt fieri melius propter perfectiſſimam miſtionem. Ideo non poteſt ex eo lapis hic fieri. Atqui ſi hoc ſit verum, valide probat Tauladanus, fabuloſam & inanem eſſe artem totam.

Ratiocinatio hæc ideo valet, quia Chemici pro Axiomate firmiſſimo tenent, lapidem ſuum perfectionem longè maiorem auri perfectione obtinere, adeoque auro quolibet decies millies eſſe perfectiorem: vt nō modo pro ſe ſatis habeat, ſed alijs etiam, quibus permiſceatur, ſimilem communicet perfectionem. Habet ergo in ſe auri formas plurimas, quas in metalla alia effundere poſſit. Dicam apertius, modò poſſim. Lapis Philoſophorū Monachus eſt Frāciſcanus: qui non ſibi tantùm cœlū promeruit, ſed alijs præterea plurimis: vt qui plus multò meruit quàm accipiat: ideoq; partem maximā meritorum alijs vendere poteſt. Opera huiuſmodi vocauere opera ſupererogationis. Sic lapis iſte, non modò hoc habet perfectionis ſibi, ſed redundat in eo, & ſuperfluit perfectio auri: vt cæteris metallis eam tradere, ac ſibi nihilominus ſatis ſeruare ſolitus ſit. Quoniam ergo aurum perfectius fieri nequit, hinc fit, vt ex eo lapis iſte concinnari nequeat. Proinde materiam, aiunt illi, pro lapide eligere oportet, quæ perfici poſſit: nō quæ perfectionis nullius præterea ſit capax.

Lapis philoſophorū, eſt Monachus Franciſcanus.

Ingenuè dico, hanc rationem inter Chemicorum rationes longè eſſe optimam, vtut videatur aliâs inepta. Tam enim futiles aliæ ſunt, vt de hac dicere poſſimus, quod de monoculo inter cœcos fertur, eum præclarè oculatum eſſe. Ad eam Tauladanus hoc ſolùm, quod reſponderet, habuiſſe videtur: primùm quidem, cum Gebrus dicat, ſine fructu ipſum in calcem redigi, intelligi debere, fruſtra propter eum finem propter quem

Tauladan⁹.

cætera

cętera in calcem rediguntur, in calcem verti. Non enim vt cætera hinc purificari. Deinde non esse auro opus alia perfectione & coctione per ignem acquisita, quàm vt in spiritum soluatur. Præclarè Chemicum agit, cum sic respondet.

Notandum hoc loco illud primum est, quod concedit, aurum ritè in calcem redigi non posse, ideoque ne purificari quidem amplius posse. Hoc posito, quærendum ex eo fuerit, an mutatam auri substantiam atque vires putet, cum in liquorem aut spiritum soluerit, an verò verum adhuc aurum permanere sub liquoris aut spiritus forma arbitretur? Si prius affirmet, non est amplius metallum: sed aliud quippiam. Quo pacto ergo metallũ creabit, quod extra metalli genus excessit? Vt enim postea ostendetur, nulla fit essentiæ mutatio in eodem genere propinquissimo, sed semper quæ essentiam mutant, genus proximum mutant. Si posterius asserat, quod omninò mihi persuadeo, & facere cum oportet, si non à Chemicorum placitis discedere velit, nullas habebit vires alias, quàm quoduis aurum aliud: & quàm ante solutionem haberet. Positum enim est perfectius & decoctius reddi nunquam. Tenuius fit, fateor, ideoque facilius penetrat, magisq; & melius cum aliis permiscetur. At cum perfectionem solùm habeat tantam, quanta sibi necessaria est: nec communicare eam aliis possit, nihilo magis spiritus ille aureus ex materia sibi permista aurum conficiet, quàm si ante solutionem partes aliquas attigisset.

Quæ mutãt essentiã, genus proximũ mutant.

Nos lõgè rectius sic ratiocinamur. Aurum nobilius & perfectius reddi, hoc est, melius coqui & purgari diligentius nequit. Etenim in metallorũ genere purissimũ est summeque coctum. Loquor aũt de auri substantia. Nihil enim vetat, arbitror, ad mistum ipsi esse aliquid, quod non sit pars substantiæ ipsius: scilicet argentum,

Aurum perfici vlterius nequit.

plumbum, aut aliud tale quippiam. Hoc purum aurũ, dico, perfectissimè coctum, sincerissimumque est metallum. Ergo nobilissimum quoque est, testibus Chemicis: qui vnumquodque tantum habere nobilitatis constanter asseuerant, quantũ habet coctionis & puritatis. Nec aliud ignobiliorib. deesse metallis, quàm quòd imperfectè sint cocta, & minus probè repurgata. Itaq; coctione & purgatione transire in aurũ vniuersa. Iam qđ & purissimum est perfectissimèq; coctum, in suo genere, id coqui aut perfici amplius nequit in eo genere. Dico non posse coqui amplius, vt substantiæ addat in suo genere essentialem perfectionem. Interim nõ nego, tenuius, mollius, siue liquidius, durius, effici posse. Aurũ igitur perfectius reddi nõ potest. Assumptio est Bachonis & Bracesci, imò omnium hominũ rectè sentientiũ. Propositio Tauladani & Chemicorũ omnium est: & à nullo etiã alio negari potest. Adde hîc Axioma Chemicorum omnium. Lapis Philosophorum necessariò constat ex materia, quæ ipso auro perfectius cocta sit. Ex auro igitur confici nullo modo poterit. Sed nec ex alijs metallis aut fossilibus, multò minus plantis vel animalibus confici idem potest: vt cum alij, tum Tauladanus egregiè demonstrat. Ergo vanus est omnis Chemicorum labor & conatus.

Lapidis philosoph. materia est auro perfectior.

Quanquam hæc, quæ huc vsq; diximus, satis esse poterant ad redarguendum vanitatem Chemicorum, tamen alia quoq; adducemus. Chemici disertè scribunt, metalla & hydrargyrum carere auri forma: sed idoneã ipsã esse materiam dicunt, quæ à lapide suo, quem ponunt formam auri esse verè à materia perficienda separatam, informetur auri forma naturali & essentiali. Sic enim quidã eorum scribit. Forma auri est lapis Philosophorũ, & est verè separata à materia perfectibili, est tamen fundata in materia. At sola per se nihil valet. Eadẽ

hæc,

hæc,si non tam explicatè scribunt cæteri, idem tamen prorsus & sentiunt,& opere ipso se sentire declarant. Ergo cum ex metallis aurum faciunt,formam materię infundunt naturalem. Quippe super ea proijcientes lapidem,dicunt totam illam materiam ab eo verissima auri forma donari,vt iam verum aurũ facta sit. Ex hac sententia duo sequũtur,quæ vtrum absurda magis sint,an impia,vix dixero. Primùm est,artem dare posse materiæ formam naturalem. Quod perinde est, ac si dicas,artem creare siue creatorem esse. Alterum est, non solùm animã rationalem θύραθεν accedere,sed auri quoque formam.

Ars dat formam naturalem.

Auri forma extrinsecùs aduenit materiæ.

Quàm sit à ratione veritateq; alienum,fingere artẽ materię formam substantiæ effectricem insculpere, nõ opus est à me,vt hoc loco verbosius explicetur. Etenim formæ,vt de hac re Philosophi scitè disputant,ex materię sinu producuntur ab efficiente causa, nõ aliunde inuolant sicut Plato fortassè, Auicenna quoq;,& alij quidam ex Recentioribus sensisse videntur. Est autem effectrix ista causa in ipsis seminibus, ex quibus aliquid gignitur,non extra ipsa,licet ab externo calore insitus eorum calor plurimũ adiuuari nonnunquã soleat. Neq; hoc in reb. animatis,vt plãtis & animalib. solũmodo verum est,sed etiã in illis locũ habere potest, quæ ex terra & ex putredine oriũtur. Hic enim insitus quoq; calor effector est operis,quod procreatur: alia tamen quodam modo ratione. Non enim similiter omnib. est congenitus:nec vires suas effectis ab eo rebus sic tribuit,vt simile sibi producere ipsę etiã omnes valeant. Sed de hac re alibi. Nũc satis est monuisse, Chemicos metallis formã naturalem per lapidẽ suũ haud aliter infundere posse, quàm si quis Absinthij siue aquã siue spiritus in partẽ aliquam vini infundat, sicq; vino odorem saporemq; Absinthij tribuat. Hoc enim se exẽplo declarãt aliqui,

Quid formam det rebus ex putredine ortis.

Quod si non secus, quàm exemplum docet, lapidem suum auri formam preparatis fusisq; metallis communicare volunt, fateor equidem non absurdum esse hũc modum. Nec alium fingi posse puto, qui non sit manifestè falsus. Quoniam non potest forma aliqua substantiæ effectrix, quam εἰδοποιὸν Græci vocant, absque subiecto fingi, accedere aut existere prius. Etenim formæ rerum naturalium sunt inseparabiles à materia, quàm informant. Actus enim quilibet in sua propria materia inest: in alia ne cogitari quidem potest. Quocirca forma auri in lapide illo existens nunquam subiectum suum vel ex toto vel ex parte deserit, atque in alienum inuadit. Sic igitur per fusum metallum dispergitur cum suo subiecto, quomodo Absinthij spiritus per vini substantiam diuisus exporrigitur. Sed vt vinum non vertitur in Absinthij spiritus, sed admistos solummodo continet, sic metallum tale non vertitur in Naturam lapidis, sed eum duntaxat per mistum retinet. Summa est, formæ naturales non se promouent aut propagant de materia vna in aliam influentes, quemadmodum primæ qualitates elementorum effectrices. Ratio est, quia illæ determinatum requirunt subiectum, hæ autem, in materia qualibet inesse ac se promouere possunt. Calor ergo & in igne & in aqua, in corporibus simplicibus & mistis recipi & seruari potest. Nam qualitates hæ totã mundi sublunaris materiam, pulsa contraria qualitate, inuadere possunt: non in definitis tantummodo corporibus vel subiectis quibusdã inhærere possunt. Fuit hoc necessarium, si generari, & corrumpi, & assiduè alterari ac mutari oportuit substãtias vniuersas. Hinc est, quòd calor, exempli causa, in suo subiecto permanens corpus vicinũ quodlibet alterat & calefacit. Potest enim se in materiã quamlibet, superato frigore, induere ac proferre, dum

Formæ naturales sunt inseparabiles.

Cur qualitat. primæ elementorũ se promouere et propagare queãt.

dum eandem ſpecie qualitatem in eam inducit. Eadem ratio eſt aliarum, quatenus ſingulę agere magis minuſque aptæ ſunt. Non poſſunt hoc modo ſe promouere formæ & qualitates alię, quæcunq; certę miſtionis ſunt effectus. Quippe in certa ſolummodo materia inſunt. Quare priuſquam ſe promoueant in materiam aliquam, eam tranſmutant ac ſuam faciunt. Apparet hoc in nutritione & auctione. Non enim aptus eſt panis informari ab anima, antequam caro factus ſit aut os, aut tale aliquid. Nec eſt in tota rerum vniuerſitate aliquid, quod panem pro animæ ſuſceptione præparare queat præter illam ipſam animam, quæ informatura eſt. Quãobrem ſi lapis illæ poſſet metallis à ſe alijs donare formam, oporteret ipſum ſibi ea per multas & varias mutationes ſubſtantiales ſimilia, imò eadem facere. Quod cum à ſolis viuentibus effici valeat, lapis autem iſte nõ viuat, liquidò patet, eum formam ſuam alienæ materię nulli communicare. Scio monſtroſarum opinionum fabros quoſdam etiam metallis tribuere vitam. Sed neque peritiores Chemici hactenus inſanierũt, vt hoc aſſererent, neq; in cauſa noſtra id nos impediret, ſi in eadem omnes imaginatione delirarent. Etenim lapidem illum, qui ex materia vi ignis toties corrupta, calcinata, (vt vocant) vſta, trita, mutata, cõfectus eſt, viuere nullus audebit affirmare. Idem dici quoq; de materia pro auri formæ receptione præparata poterit. Quare tam non faciet lapis ille, vt aliæ res, quibus permiſcetur, aurum ſint quàm aurum aliud quoduis hoc non facit. Manifeſtum igitur eſt, haud aliter lapidem iſtum ex non auro aurum facere, quàm quomodo ſpiritus Abſinthij vinum Abſinthite conficiunt.

Quæ qualitates non ſe poßint inſtar primarum promouere.

Monſtroſarũ opinionum fabri metallis tribuunt vitã.

Quòd ſi aurum ideirco facere dicat, quia auro ſit præſtantior, ne id quidem verum erit. Nam ſi auri forma caret, ſed præſtabilius eſt auro quippiam, non au-

runt,sed auro nobilius aliquid generabit. Vnumquodque enim agens naturale passum sibi simile, nisi impediatur, efficit. Plerunq; igitur præstantius aliquid auro pariet. At in metallorum genere nihil est auro perfectius & absolutius. Quamobrem nõ erit lapidis illius forma metallici generis forma. Quomodo ergo metalli certi formã aliis largietur? Sed nec fieri potest, vt eandem specie formam res duæ possideãt magis minusq; perfectam: nisi alieni permistũ aliquid sit in vna, quod non sit in altera. Si ergo lapis ille formam auri in se habet, atque omni auro perfectior est, aurum perfectum nullum inuenitur. Ars igitur præstantior, potentior est Deo: vt quæ aurum ipso fabricet perfectius ac melius. Quam porrò sit pium, putare, Artem essentias & species architectari perfectiores ipsa natura vel Deo, æstiment alij. Quòd si lapis ille nihil esse aliud, quàm repurgatissimum aurum statuatur, redit prior difficultas.

Ergo sicut Absinthij spiritus non transmutant vini substantiã, sed ei permiscẽtur solùm, sic & auri spiritus (siue lapis iste ex auro concinnatus) per metallorũ substantiam dispergi poterit, transmutare eandem non poterit. Non enim auri forma, quæ in istis inhæret spiritibus, vt proprio suo subiecto, illis relictis metallorũ substantiam amplectitur atque occupat. Quare falsum est & impossibile, vt in tota illa materia, & omnibus ipsius partibus insit auri forma. Vbi enim nulla pars spiritus est, ibi ne auri quidem forma sit. Nec similem sibi imò eandem specie formam in reliqua metallorũ materia, in quam iniectus est eiuscemodi aut lapis aut spiritus, progenerat. Hoc enim in illis fit solis, quæ nutriuntur, & ex transmutato alimento augentur: aut semen pariunt: ex quo vel à quo deinde tale generatur, ex quali ipsum prodijt: vt quod eiusdẽ sit naturę & substãtiæ, ac vi insita, nõ aduentitia, se augere soleat. Proin-

de non

de non iuuantur hoc exemplo Chemici, sed erroris potius conuincuntur.

Si aliter metalla auri forma exornare tentant, eiusmodi tentant, quæ solus Deus aut natura (quæ nihil est aliud, quàm ordinaria Dei potestas) præstare possunt. Equidem transmutatio talis seu infusio formarum naturalium, re non differt à quadam creatione. Quoniam non omnis creatio totum creatæ rei cuiuslibet ex nihilo facit. Scriptura testificatur, Deum ex terra (sub hac comprehenduntur etiam cætera elementa) quam ex nihilo creauit, plantas, & quæ hodie adhuc profert vniuersa, vt ex materia confecisse: quæ nihilominus rectè ac verè dicitur ac creditur creauisse. Quippe formas earum existere iussit, eæq; mox (in sua quælibet peculiari materia) extitere: non quidem ex seminario siue potẽtia & habilitate, qua deinde materia secundum partes donata à Deo & exornata fuit, sed ex omnipotentis Dei virtute iussuq; Producat terra, dixit Deus, omnis generis plantas, reptilia, volatilia, gressilia. Et quemadmodum tunc creauit, ita nunc per vim vel ipsi terræ, vel seminibus insitam eadem adhuc conseruat: vt non alia creauerit virtute, quàm qua eadem nunc sustinet, tuetur, conseruat. Impossibile namque simpliciter est, vt sit aliud, quod species creauit, & aliud sit, quod easdem sic vt creatæ sunt, conseruet. Nam qui terræ iussit, vt illa vel cum vel sine semine proferret, sic iussit, vt potestatem simul conferret, qua hoc ipsum quod iubebatur, perficeret: de qua re in prima parte Disputationum nostrarum aduersus Paracelsum plura diximus.

Natura quid

Eadem potentia creauit & conseruat species.

Proinde cum formarum substantialium ortus à Deo sit, nec aliud dici talis formæ in materiam insertio debeat, quàm quædam creatio, patet illos sibi diuinitatis opera impiè arrogare, quicunq; hoc sibi sumũt,

ſcilicet formas naturaliter in materiam quouis modo præparatam immittere. Quis poterit noſtros illos auri coctores certos reddere, quando materia ſit rectè ſatisq́; defæcata? Profectò quod natura non potuit pro nobilioris formæ ſuſceptione mundare, vix credi poteſt ab homine melius purgatum iri. An & hîc plus norunt ac poſſunt Chemici, quàm Deus horum omnium effector ſapientiſſimus? An quod Natura non potuit facere antequam à frigore in metallum cogerentur, homo efficiet, poſtquam denſata iam fuerunt? Voluiſſe autem Naturam aurum facere, ſi quidem materia in aurum poſſet conuerti, ex eo conſtat, quòd optimum in quouis genere, vbi ſpecies diſtinctæ non ſunt, ſemper appetit. Conari autem Chemicos purgare ſcilicet, quę Natura, vt ipſi dicunt, purgare non potuit, (vt autem nos dicimus, non voluit) & inſuper formam naturalem infundere, ex omnibus eorum ſcriptis liquet: ac nos ſuprà ſatis probauimus. Quare grauiter hac in parte ijdem peccant. Nec mirum eſt eos à Deo, quoniam nugis impijs delectantur, excæcari, vt quæ cuncti vident, ipſis minimè appareant. Minus miraberis, ſi, quod ſuprà quoq; attigi, cogites, pleroſq; admodum fuiſſe ſuperſtitioſos, qui huic varietati adhæſerunt: vt ſcripta eorum teſtantur. Multi Magi fuerunt, Aſtrologi, & vaticinatores plurimi. Maiorem admirationem meretur, quod, cum præcipui videri velint ſecretorum Naturæ ſcrutatores, formam ſubſtantialem ſeparatam à materia, cuius futura ſit forma, ponere audent. Sed de hoc argumento ſatis multa.

Natura optimum in quouis genere appetit.

Natura neque poteſt neque tentat ſpeciem vnam permutare in ſpeciem aliam nobiliorem eiuſdem generis proximi. Quare ne ars quidem poterit. Certum namque eſt, quæ Natura in rerum naturalium eſſentia non potuit perficere, hoc artem nunquam perfecturã.

Ars non creat ſpecies eſſentiales.

De ar-

De artificialibus alia eſt ratio. Quod ergo natura in aliis nullis rebus aut fecit aut tentauit deliberatè, vt ſic dicam, quomodo in ſolis metallis tentare credendum ſit? Hoc autem tentant Chemici, dum ex metallis ignobilioribus conantur nobiliſſima, aurum, argentũue conflare. Sunt enim hæc eiuſdem generis proximi diſtinctæ perfectæ ſpecies: id quod ſuprà validiſſimis argumentis probatum eſt. Approbant hoc ipſum periti ores Chemici, ſed ita tamen aiunt eſſe ſpecies metallorum perfectas, (ſcilicet æs, plumbum, ſtannum, ferrum, argentum) vt referantur ad aurum, ſicut ſemen ad herbam, & ouum ad pullum refertur. Sunt ergo perfectæ per ſe conſideratæ: imperfectæ, ſi cogitentur in hunc finem creatæ, vt aurum ex ipſis fiat: ſicut ouũ eſt creatum, vt ex eo pullus excludatur. Hanc obiectionem, vt declinarem hoc loco, vt, de qua ſuprà ſatis diſceptatum ſit, dixi generis proximi: propterea quòd nihil prohibet, hanc tranſmutationem fieri in ſpeciebus generis remotioris, vt cùm ex ventriculo fit muſca. Habet enim vermis ille eandem rationem ad muſcam, quàm ouum habet ad pullum. Neq; tranſmutatur hic vermis in ſpeciem aliam nobiliorem vermium, ſed ex vermium genere in aliud tranſit genus, muſcarum videlicet: aut quomodo cuique genus hoc libet nominare. Non enim omnibus generibus ſub animalis genere ampliore contentis, certa ſunt impoſita nomina.

Non omnibus animalium generibus impoſita ſunt nominá.

Vt veritas theſcos noſtræ magis appareat, inſpice totam vniuerſitatem rerum: nec inuenies exemplum diuerſum docens: Ouum gallinę, inquiunt Chemici, perfectionem ſuam obtinet, attamen nõdum id eſt, quod eſſe natura vult: cuiuſque cauſa ipſum præcipuè peperit. Vult enim ipſum tranſmutari in pullum. Sic metalla quoque vilia non ſunt caſu orta, ſed ſunt à natura propterea producta, vt ex ipſis tandem aurum fabri-

caretur: si non antè ex terra eruerētur. Hoc ergo quod natura non potuit: propterea quòd effossa præmaturè fuerunt, ars complere debet: quemadmodum eadē temperato calore ex ouis excludit pullos, quotiens gallina incumbans nulla est præsens. Sic & semina suam habent perfectionem, cuius causa meritò speciem atq; formam suam à cæteris rebus distinctam obtinere perhibentur. Attamen hæc quoque à natura sunt sic effecta, vt ea in aliam speciem transmutetur, nempe in herbam, arborem, animal. Atque vt ex semine heaba fiat, nō parum adiuuatur ab arte natura. Sic Gebrus Chemicorum Deus. Albertus magnus alia exempla adfert minus congruentia: veluti ex argento fieri calorē cœruleum: ex ære & Cadmiæ quadam specie fieri Orichalcum: ex stanno hydrargyrū, ex plumbo cerusam: ex hac minium, (dicere debebat Sandycem Græcorum,) ex ferro argentum viuum. Et quoniam hoc negatum iri videbat, rationem addit, quia ex hydrargyro coaluerint metalla omnia. An hoc non est petere principium, & ex incertiore incertum probare? Neq; his neq; aliis, quæ excogitari porrò possunt, vnquam docebitur, naturam ex vna specie fecisse speciem aliam digniorē eiusdem generis proximi. Hoc volo, (vt ne putent Chemici me ambiguè loqui, (sicut ipsi solent.) naturam speciei nullius indiuiduum transmutare in indiuiduum alterius præstantioris speciei, quæ ambæ species vni generi proximo sint subiectæ. Ouum nō mutatur in ouū aliud perfectius, sed ex eo excluditur pullus: qui nō est species oui, sed auis. Semen transmutatur in plantam, non in aliud semen. Itaque ex genere seminis transit in genus plantæ. Ratio eadem est aliorum omnium. Albertus exempla profert, vbi ex naturalibus rebus fiunt artificialia: de qua re nullus dubitat. Nobis sermo est de naturalibus. Volunt enim Chemici videri artem se

Natura nō mutat speciem vnam in aliam eiusdem generis proximi.

tenere, metallũ in legitimũ & naturale aurum trãsmutandi. Quamobrem exempla producenda fuerant, vbi natura vnius speciei indiuiduũ in præstantioris speciei indiuiduũ transmutasset nõ mutato genere proximo.

Hic mentionem facere me huius etiam conuenit, quod ita absurdè atq; inscitè à Chemicis dicitur, vt dici aliquid ineptius non possit. Comparant metalla plantis, animalibus atque eorum seminibus: non in eo duntaxat, quòd referantur ad aliud, verùm etiam in eo quòd similiter ea cũ plantis & horum seminibus multiplicari posse censent. Sic raticionantur. Omne quod crescit ac nascitur, in suæ specie multiplicatur. metalla sub terra nascuntur, ergo multiplicantur in sua specie. Sensus est, metalla sic multiplicari, vt ex vno grano videmus duodena, vicena, tricena, &c. nasci. Hanc enim virtutẽ lapidi suo tribuunt, vt eius drachma vna ignobilis metalli drachmas mille aut plures vno momẽto in purum conuertat aurum Legito Thesaurum philosophiæ, & Lumen luminũ Arnoldi, si affingere aliquid me ipsis putas. Nisi putent metalla se multiplicare instar plantarum posse, nihil dicunt. Etenim & lapides multiplicantur: & pictor aut sculptor mulsos fingit Mercurios. Si metalla in se vitam & animam haberent, aliquid hoc argumento viderentur efficere. Miseri sanè sunt, dum ortus animatorum & inanimatorum discrimen nondum intellexerunt. *Chemici miseri sunt.* Hisce tu credas fabulaloribus, cum exempla producant dissimillima prorsus? De vita & nutritione metallorum præclarissimę extant disputationes Iulij Cæs. Scaligeri & Gabrielis Fallopij aduersus Cardanũ. De eisdẽ nos quoq; aliquid diximus in parte altera disputationũ nostrarũ aduersus Paracelsum. Quòd si viuerent metalla, multò abessent longius à scopo & fine suo. Etenim non tantùm materiæ qualitates mutare artem oporteret,

ſed & animam mutatæ nouam infundere. Verè igitur admirabilis foret ille Lapis, qui tot animas in ſinu ſuo continet, vt cùm ei libet, vel cùm Aurifici placet, multa earũ millia queat veluti ex carcere quodam emittere, eisque multas materiæ præparatæ partes exornare. Felices Chemicos, qui non tantùm inſtar aliorũ artificum qualitatibus & accidentibus materiam condecorare didicerunt, verùm etiam animabus ac vita donare poſſunt. Cæterùm animarum permutatio nõ tam eſt facilis, vt ab arte procreari & permutari valeãt. Quoniam ſolus Deus eſt vitæ author in rebus naturalibus: artifex alius nullus: tametſi arte naturam in quibuſdam non adiuuari poſſe non negem. Cæterùm longiſſimè alia eſt ratio Chemicorũ ſpeciei minus indiuidua in ſpeciei alterius ſub eodem genere contentæ indiuidua permutare volentium. At verò, excipient hoc loco Chemici, Triticum degenerare in lolium: ſiliginẽ in triticum: item Chalcitidẽ mutari in Miſij, teſte Galeno: (& quod ad rem præſentem videtur propiùs accedere) lolium iterũ verti in triticum: teſte Theophraſto. Ad hæc ita ego reſpondeo planè & perſpicuè. Quæ in ſe mutuò tranſeunt hoc pacto, ea vel per corruptionem degenerant ac corruptiora fiunt: vel certè natura & ſpecie nullo pacto, ſed accidentibus quibuſdam cõmunibus ſolummodo, vt tenuitate, pondere, colore, & conſimilibus alijs, à locorum, in quibus naſcuntur, diuerſitate fermè prouenientibus differunt. Perſpici ex eo manifeſtiſſimè poteſt, quod dicimus, quòd nec viribus nec vſu talia inter ſe aliter diſtinguuntur, quàm ſecundum magis minusq́;. Certè in exemplis prolatis nullus diſcrimen demonſtrabit aliud. Et quod ad triticum atque ſiliginem attinet, conſtat veteribus ſiliginem & triticum lectiſſimum ſiue generoſiſſimum, & præterea lectiſſimi tritici farinam optimam, & quaſi

florem

florem significare. Hoc Galenus indicat etiam libro ad Glau. 2. cap. 7. Cùm siliginē ex generoso ait tritico fieri. Qui Plinium cæterosq; autores legit: & quæ à Gal. 1. li. de Alim. fac. dicta sunt, perpendit, non cunctabitur pronunciare siliginē aliud non esse, quàm præstantissimū triticum, quæ & leuior & candidior tritico vulgari esset. Neq; tamen Columella discordare putādus est, qui siliginem tritici vitium dixit. Quippè firmitate & pondere à tritico superatur, infirmiusq; nutrit. Plinius aūt cùm eam tritici delitias nominat, ad id respexit, quòd panes ex ea pro diuitibus suauiores pulchrioresq; pararentur. Nascitur hæc locis humidioribus: & aridioribus locis sata minus feliciter prouenit, sed dēsior rursus efficitur: atq; in triticum sic degenerat. Discrimen hoc ferè est, quod inter olera & fructus eiusdē speciei cernitur, quorum alij in aridis, incultis, syluestribus locis, alij in bene cultis, humidis, & pinguibus nati sunt. Nullus ignorat, quanta videatur inter eosdem præcisè fructus differentia, qui in diuersis regionibus prouenerunt. Imò quis nescit inter animalia, & ipsos etiā homines discrimen omnino maximum obseruari?

Siligo vitium tritici.

Summa est, inter triticum & siliginem nihil interesse, quàm quòd loci qualitas attulit differentiæ. Hodie nullus admodum distinguit: quòd in partibus conficiendis non ita sint homines nunc superstitiosi, vt olim Romani fuère. Bonitate ergo, non autem specie differunt: quomodo etiam aurum ab auro discernitur. Est enim & aurum vnum auro alio melius. Quòd si rectè Scaliger coniecit, qui Siliginem Exer. 292. contra Cardanum Zeam esse siue Speltam scripsit, nihil dubitabo asserere falsum esse, quod dicitur à Plinio, nempe siliginem in triticum, vel triticum in siliginē transire. Tantum namque est inter vtramq; hanc frugem differentia, vt transitus ille admitti non possit. Addę quòd hoc

visum apud nostros, vbi vtriusq; prouentus est maximus, nunquam fuit. Quàm facilè ex spica seu locellis suis excidant tritici grana, notũ est. Qua verò arte Zeæ siue Speliæ grana excutiantur ex suis thecis, nullus nostratium nescit. Ergo siue hoc, siue illud putemus esse siliginem, nihil probat exemplum. In Chalciti & Misij ratio par est, testibus Galeno Medicisq; omnibus.

Sed nec Theophrasti nobis sententia negotium facescit, tricum & lolium vicissim inter se permutari asserentis: vt non solummodo triticũ degeneret in loliũ, sed & hoc rursus vertatur in triticum. Nam si de communi lolio loquitur, quod infelix appellat Vergil. tantùm abest, vt ex eo triticum efficiatur, vt inter pestes potius fermentorum, quàm inter frumenta recenseri debeat. Sanè videtur Theophrastus eo in loco nil aliud intellexisse, quàm triticum ferum seu syluestre. Quis dubitat, quin plantæ in locis incultis, aridis, suæ naturę parùm congruentibus, natæ, si in locum cultum, pinguem, suæ naturę consentaneum transferantur, maiores, pleniores, succulentiores, suauiores, & deniq; alia quodammodo facie proueniant? Quòd vt in natis iam & adultis obscurius apparet, ita in seminibus translatis manifestè cernitur. Secundò, vt maximè in hoc exemplo aliquid veri inesset (quod apud alium autorem nullum me legisse recordor) nec triticum ferum seu agreste, quale diximus, per lolium intellexisset: nihil tamen ex eo concludi pro Chemicis posset. Quippe sicut inepta est ratiocinatio hæc, lapidem quendam gignit natura ferrum ad se trahentem. Ergo & ars tales conficere potest. sic fatua foret ista: Natura in lolio & tritico seruat specierum eiusdem proximi generis transmutationẽ: Ergo ars etiam metalla transmutare poterit. Puerilis & falsa foret, non eo tantùm nomine, quòd lolium atq; triticum nondum constat

Lolium Theophrasti videtur esse tritcum agreste.

Ex naturæ opere auro non licet plura cõcludere.

eiusdem generis proximi species esse, verùm etiam, quia ex vnico naturæ opere non licet plura talia concludere. Non enim quia lapis reperitur ferrũ ad se pertrahens, effici potest, etiam radicem aut plantam inueniri hoc facultate præditam. Nec si in plantarum genere aliquo natura species transmutaret mutuò, idem in alijs generibus vel plantarum vel animalium vel rerum aliarum faceret. Si metalla viuerent instar plantarum, similiq; modo nutrirentur & crescerent per alimenti conuersionẽ, veri similitudinem aliquantò maiorem haberet obiectio. Constat enim alimentum magnas adferre viuentibus mutationes: sicut non tantũ quotidie in plurimis experimur, verùm etiam ab Hippocr. edocti sumus: quando lac mulieris vel capræ, quæ elaterium aut scammonium ederit, purgare scripsit.

Alimentum magnas adfert mutationes.

His ergo exemplis nihil proficiunt, multò minus prioribus, cùm quæ meliora sunt, degenerare incipiũt. Nullus enim ignorat, non fieri hoc ex natura instituto, sed præter & contra ipsius voluntatem, vt sic loquar, euenire. Casu igitur & in paucis hoc contingit, sicut aliquando etiam cæcus aut menstrumnaturæ quidam quasi error, generatur. Nos autem de talib. non loquimur, sicut nec Chemici. Non enim concedunt, eam aurum generare casu, sed ex proposito. Et sanè verum est, naturam interitum per se nunquam, sed in re qualibet est perfectissimum, appettere. Verè igitur hoc & consentaneè diximus, Naturã nunquam & nusquam tentauisse, vnius propinquissimi generis species sic in se mutuò conuertere aut transmutare, vt ignobilioris speciei indiuidua transirent in indiuidua speciei nobilioris. Quod cùm natura non possit præstare, quomodo, queso te, Chemici hominum prudentissimi effecerint? His addi potest, quòd tametsi natura in aliquibus & aliquando faceret, ars tamen idem non statim pos-

ſet. Nam vt ars facit quædã, quæ natura facere nequit, vt laxatum membrum reponere (non tamen poteſt in hoc genere ars plura & meliora, quàm præſtiterit natura in eodem illo genere) ſic plurima efficit natura, quæ arti ſunt impoſſibilia.

Modum tranſmutationis hunc aiunt eſſe, vt prior ſpecies ſeu forma depellatur, & metallum ad primam ſiue proximam materiam (quam dicunt eſſe argentũ viuum) reſoluatur: atq; huic materiæ forma deſtitutæ, auri deinde forma inſtilletur Aliter ſpecies permutari non poſſe eſſentiales (nam de accidentalib. formis, vt cùm ex aqua fit glacies, non diſputamus in præſenti loco) ipſi quoq; magno conſenſu docent, præeunte ipſis Magiſtro Magiſtrorum ſuo Gebro. Neq; cum hoc faciunt, artificiale aurum ſe facere dicunt ſed naturale.

Artium duo ſunt ordines.

Vt hoc intelligatur rectè, ſciendũ eſt, Artium duos eſſe ordines. Vnus earum eſt, quæ ipſe & materiã ſibi præparant, formamq; eidem inſculpunt, hoc eſt, totum ab initio ad finem vſq; faciunt. Alter earum, quę naturam in agendo ſolùm adiuuant, impedimenta auferũt, languedinem excitant, errantemq; in viam reuocant. Hæ formam ſubiecto non inſerunt, vt priores, ſed natura ſeu facultas hoc facit: quæ in illa re, circa quam ars verſatur, ineſt. Ex hoc ordine eſt medicina: quæ non ſic ſanitatẽ imprimit corporibus, vt ſculptor Mercurij formam ligno. Ex eodem genere ſiue ordine ſuam quoq; artem Chemici eſſe dicunt: vt quæ aurum non fabricetur, ſed naturam id meditantem adiuuet. Quod quàm ſit manifeſtè falſum, ex dictis potuit perſpici. Omnia namq; abinitio ad finem vſq; faciunt ipſi, viribus materiæ, circa quam verſantur, nulla in re adiuuantur: ſicut neq; ſtatuarius. Etenim vni metallo formam ſuam auferunt, & aliam ei ex alia materia cudunt, quam deinde ei inſtillant, vt ipſi aiunt.

De re-

De resolutione in primam materiam suprà disputatum fuit: vbi falsum esse declarauimus, quod dicunt, se metalla resoluere in argentum viuum. Esto perficiant tandem multiplici labore, vt ex metallis eliciant albã substantiam argento aut hydrargyro similem. An propterea erit hoc argentum viuum? Minimè gentium. Nunquam efficient, etiamsi ad insaniam vsque in fœtidos cineres inflent, vt substantiam æris aut ferri argentum viuum esse ostendant: aut in hoc illa resoluant. Quo posito, cum ipsimet fateantur specierum trãsmutationem impossibilẽ esse, liquidò patet, mera esse somnia, quę garriunt. Taceo nunc, quòd alij ex Chalcantho metalla architectantur: hac inducti ratione, quòd in salem & nitrum potius, quàm in hydrargyrum dissoluantur. Hos autem sales & nitrum, cum species Chalcanthi esse affirmant, non minus quidem falluntur: sed illis tamen non dicunt consentanea. Postremò si & constarent ex argento viuo metalla, & in hoc ipsum dissolui iterum possent, quis ideo credat Chemicos nudę isti materię auri formam naturalem inspergere? An formarum isti effectores pariter & datores, copiam earum in sacculis habent, vt quotiens eis libet aliquas euolare sinant, inq; fusa ab ipsis metalla insinuare sese iubeant? *Specierum transmutatio impoßibilis.*

Quod preterea dicunt, se ita aurum facere naturale, quemadmodum Agricolæ tritici, aut Medici sanitatis naturalis effectores sunt, non minus est falsum. Etenim Agricolæ non accipiunt & præparant materiam aliquam, eiq; formam seorsum paratam indunt. Semen iaciunt in terram, cuius vna pars ab humiditate & calore terræ intumescit augeturq;. Hæc cum aucta satis est, ab insita in cæteris partibus virtute cõformatur in granum viuens: quod deinde pro sua natura se ipsum auget, fructumq;, qualem à Deo proferre iussum est, profert. Quid hîc simile fit cum eo, quod faciunt Chemici? *Quomodo Agricolæ triticum generent.*

Semen adest hîc cum ingenita facultate se ipsum augendi ex attracto ex terra nutrimento. Forma ei non accedit extrinsecùs. Materiam ipsam sibi conuenientem attrahit, eamque sibi alterando idoneam facit. Agricola tantùm terram vertit, vt solem, aerem, pluuias, rorem, facilius recipiat, & sic copiosius nutrimentum seminibus suppeditet. Chemici materiam auri seorsum præparant. Formam quoque essentialem similiter separatim fabricant. Deinde formam cum materia copulant: aurumque, vt ipsi aiunt, conficiunt. Natura in hoc opere nihil, in illo omnia perficit. Metallis vis mutandi seipsa nulla: seminibus sua omnibus certa inest.

Cur Agricolæ terrã uertant arentq;

Par est ratio Medicorum, qui sanitatem non fabricant, certam extra corpus, eamque præparato corpori infundunt, vt auri formam Chemici metallis à se præparatis. Naturæ sunt morborum medicatrices, inquit Hippocrates. Medici hoc solùm agunt, vt insitam virtutem conseruent, adijciendo si quid desit, & auferendo quod redundat: cætera naturæ permittunt omnia. Chemici contrà Naturæ tribuunt nihil, ipsi faciunt omnia. Etenim materiam primùm ignibus parant, idoneamque ad formæ susceptionem reddunt. Hanc deinde formam seorsim & ex alia materia parant. Postremò materiæ eam coniungunt. Insanus est, quisquis simile hîc aliquid esse putat. Taceo quod Medicus non id agit, vt essentiam seu substantiam mutet, sed vt per actionẽ ipsiusmet Naturæ qualitatem solùm immutet.

Quomodo medici efficiant sanitatem.

Patet non minus hoc etiam, non ex secundo, sed ex primo artium ordine Chemiam fore, siquidem ars sit. Quoniam artifex sicut operis dedit initium, ita etiam artificiosum eidem finem imponit: viribus insuper naturalibus ad operis perfectionem nullis vtitur materiæ con-

Ars Chemiæ ex primo artium ordine.

congenitis,more Medicorum.Nihilo plus conferũt ad sui transmutationem metalla in aurum, quàm lignum ad id confert,vt sculptor ex eo faciat Mercurium .Sanè si viribus naturalib.materię insitis vterẽtur,tantùm horum debilitati mederi studerẽt,ipsis operis perfectionẽ cõmitterent.At in materia vis talis congenita nulla est, quę ea in aurũ transmutauerit,aut trãsmutare vllo vnquam tempore cœperit conatáue fuerit.Nec illa etiam materia,(ex qua se auri formã,q̃ ex alijs metallis aurum creare possit,cudere mentiũtur) congenitã virtutẽ habet tale aliquid faciẽdi.Quare artis hęc sunt omnia,nõ naturę.Equidẽ Natura nullo vnquã tempore ac loco visa est substantiã aliquã tanta perfectione præditam ꝓduxisse, quæ formam substantiæ effectricem, materiæ cuipiam extra se contribueret. De anima rationali scimus Philosophos rectè statuisse hoc,scilicet extrinsecùs eam accedere:licet creari eas nobiscum non crediderint.De alia forma nulla tale aliquid cogitarunt,quicunq; rectè sciteq; philosophati sunt.Sanè formæ, q̃ in seminibus potentia insunt, non prius informant vllam aliam materiam extra eam, in qua ipsæ potentia inesse dicuntur,quàm partem eam fecerint propriæ materiæ siue proprij subiecti. Anima plantæ non informat succum aut terram, antequam in substantiam propriæ materiæ permutauerit. Sic & animalium animæ non prius informant cibum, quàm eum concoxerint, inque proprij corporis substantiam conuerterint.Quo pacto ergo parabit Ars substantiam talem, quæ non sibi modò sit perfecta, sed substantialem formam ex se in aliam materiam quasi transfundat? Lapidem illum Philosophorum à Chemicis nominatum, cui hanc vim tribuunt, oporteret argentum viuum aut metalla primum concoquere, deinde in propriæ suæ materiæ substantiam transmutare: & sic tan-

Anima plãtæ non informat succum à se nõ trãsformatum.

dem auri forma informare. At hæc fieri impoſſibile eſt, vbi nutritio nulla eſt. At verò nec lapidem illũ nec metalla nutriri ex confeſſis vnum eſt: ſi nõ fallor. Quocirca patet, Chemicos impiè hoc agere, vt in efficiendis creandisq; naturalibus rebus ipſam Naturam, hoc eſt, ipſummet Deum ſuperent: dum ea ſe conficere prędicant, quæ Natura nuſquam & nunquam confecit. Quod ſi negent hoc ſe conari, illud ſaltem confiteri coguntur, aurum ſe meditari artificioſum, hoc eſt, fabuloſum. Sic rurſus liquet abſurdius & monſtroſius nihil eſſe illis, quæ pro ſe adferunt iſti Aurifices noſtri: quoquò ſe vertant. Perſtat ergo noſtræ propoſitionis argumentique veritas, & Chemiæ demonſtrata eſt falſitas.

Chemici neſciũt ex quibus, quomodò, quib. inſtrumentis natura generet metalla.

Iam & illud dicamus: Aurifices noſtri aſſeueranter ſcribunt, fieri non poſſe, vt aurum argentúmue ex metallis conflet, quiſquis non exploratè cognitum habet, ex quibus, & quomodo Natura metalla generet. Huic eorum Axiomati nos aſſumptionem hanc veriſſimam ſubteximus. Atqui Chemici penitus neſciunt, ex quibus, & quomodò Natura metalla effingat. Quippe materiam proximam omnino ignorant: vt in ſuperioribus abundè monſtrauimus. Ignorant non minus modum, quo in creandis ipſis Natura vtitur: quod ipſum quoque eſt in prædictis ſolidiſſimè probatum. Scimus nos quidem ex vapore certo metalla produci, dum is frigiditate & ſiccitate ſaxorum ſub terra denſatur & cogitur. At talem vaporem, qui ſuus cuique metallo proprius eſt & peculiaris, creare nos tam non poſſumus, quàm ex pane non didicimus arte verum ſanguinem, aut ex ſanguine vel os vel neruum fabricare. Naturæ ſunt opera hæc, cuius eſt generare: non artis. Quanto minus poterunt Chemici metalla conficere, dum ex argento viuo & ſulphure contra Naturæ ſenſum eadem

gene-

generant, & solo igne in auro suo cudendo vtuntur? Quod si etiam scirent, quæ diximus, non continuò sequeretur tamen, ipsos similiter agere posse. Scimus in nonnullis rebus, quomodo & ex quibus Natura eas creet, creare tamen hæc nihilo magis possumus, quàm si & illa nesciremus.

Accedit ad iam dicta, quòd non omni in loco vnum quodq; generari vel à Natura vel ab arte potest. Certa sunt loca & fontes, in quibus facilè lapidescunt ligna, & alia quædam in eos proiecta. Hæc sanè alibi remanebunt integra, non vertentur in lapides. Nec desunt ex Chemicis, qui necessariam ponunt vim metallorũ effectricem, quam alibi non temerè quisquã quæsierit, quã sub terra. Quoniam locus generationis, in quo velut in sua matrice cõfiunt metalla, est terra. Extra hãc quomodo generentur, vix intelligas. Impossibile est, vt alibi materiam idoneã inueniant, & absq; valido frigore indurẽtur vapores. Argumẽto sit, quod nõ omnia metalla, siue etiã fossilia vbiq; nascũtur, sed in suo singula loco proueniunt. Et cum plura inter se mista reperiũtur, semper tamen vnum aliquod præcipuũ est, quouis in loco, maioreq; copia, quàm cætera, ibidem prouenit.

Fontes in lapides mutantes iniecta.

Signum & hoc est, quòd metalla, quæ aliquando in aere, (vaporibus à vehemente frigiditate in nubibus inclusa, condensatis) nata feruntur, non potuerunt sic elaborari, vt in natiuo suo loco elaborantur. Nam vt ex Auicenna ipsimet Chemici citant, ferrum, quod deciderat, granosum apparuit, ac si ex solis granis magnitudine milij conflatum fuisset. Idem malleo duci, inq; enses fingi, propter ineptam ipsius compositionem non potuit. Ex quibus facilè apparet, non parum necessarium esse locum natiuum ad eorum generationem. Quomodo ergo sperare possumus, Chemicos in cinerib. & furnis suis, aurum nobis geminum paraturos?

Ferrum in nubibus cõcretũ quale fuerit.

Quid? an non, quod ipsi scribunt, si Natura non trāsmutet metalla viliora in aurum, artem quoq; non posse, satis confutat dogmatis inanitatē? Verum certè hoc est, si ex metallis natura nequeat aurum architectari, artem nullam id posse. Iam cùm natura hoc nunquam fecisse sciatur, satis est manifestum, eam neque voluisse hoc neq; potuisse: illis viribus vsa, quæ ei de principio creationis rerum concessæ fuerunt. Non enim eadem est omnium materia proxima, vt inscitè nugantur Chemici. Nunquam enim repertum est, metallum aliquod ex dimidio in aurum mutatum, sicut Galenus se Chalcitin in Misy mutatam vidisse ait: & sicut in alijs concretis succis ac lapidibus vsuuenire videmus. Profectò necessarium foret omnino hoc aliquando apparuisse: adeoq; nunc etiam apparere. Quod cum nec fiat, nec factum sciatur vnquā, necesse est Aurifusores somniare, cum hoc naturam dicunt facere. Dicunt autem ipsam id facere concoquendo: & hoc pacto sulfur separando ab hydrargyro. Ostendant in aliqua fodina sulfur hoc crassum, fœculentum, vstum, terreum quod à ferro vel ære separauerit natura. Exhalare dicent fortè, ideoque non cerni. At de tenui, vt sit verum, de crasso terreo illo quomodo verum erit?

Si natura ex cæteris metallis nō facit aurū, ne Ars quidam facere poterit.

Natura vix mille annis aurū perficit.

Cum hoc modo vrgentur, callidè astuteq; satis elabi conantur, dicentes, non facilè hæc obseruari posse: propterea quòd natura tardissimè procedat in hac actione: & vix mille annis inchoatum opus perficiat. Huius sententiæ authores faciunt Gebrum & Rasim. Quis hoc eis dixit, quæso? Nostra ætas nos docuit, vt de superioribus nunc nihil dicā, paucissimis annis perfecta generari omnis generis metalla. Dicam apertè, impurum est mendacium, in eum finem à Gebro Mago, & huius vanitatis magistro excogitatum, ne fraus artis suæ detegeretur. Equidem si generaret ex fero natura purum aurum,

Natura vix mille annis aurū proficit.

rum, oporteret eam ferrum in vaporem, ex quo concre uit, iterū soluere. Nam species permutari in alias eiusdem generis proximi nequeūt, nisi forma prior abijciatur, & in materiam primam siue proximam metallis omnibus communem desinat resolutio, testibus Chemicis. Cæterùm à validissimo frigore concreta, nunquam poterunt à calore, qui in metallicis venis reperitur, fundi: multò minus in vaporem conuerti. Quòd si verò tam efficacem ibi esse velis, non in vaporem, sed in cineres tandē & fumum, vt nostrum ignem facere cernimus, soluet. Sic nec imbecillus nec magnus & fortis calor opus rectè peraget. Natura creauit ferrum, in maiore vbiq; copia, quàm aurum. Facilius enim auro, quā ferro homines caruerint. Propter hunc ergo vsum creauit durum: non vt ex eo tandem fabricaretur (mille scilicet annorum spacio) aurum. Quæcunq; enim natura sic fecit, vt ex eis deinde aliud faceret, sicut ouum propter pullum, ea continuè mutat: breuiq; admodū tempore, & sępè hoc ipsum ex eis facit, quod facere statuit. Quod enim rarò fit, hoc fortuitum est, & præter naturę institutum. Quocirca fœdissimè errāt auri decoctores nostri, cum naturam metalla cætera in aurum conuertere scribunt. Peius adhuc peccant, cum artem hoc prę stare posse imperitè falsèq; pronunciant.

Calor in fodinis subterraneus non potest metalla soluere.

Quod rarò fit, fortuitum est.

Satis multis, vt opinor, & validis argumentis inanissimum Chemicorum περὶ χρυσοποιήσεως commentum refellimus. Qui his contentus esse non vult, perfacilè reperiet apud se plura & magis fortasse popularia: vt quod in bene institutis Rebuspublicis & Ecclesiasticis legibus prohibita sit. Vna certè explicatio generationis metallorum nebulas Chemicorum cunctas efficaciter discutit. Nō me mouet, quod dicere solēt, nō intellecta nobis esse, quæ fictè & Metaphoricè à suis Scriptorib. ꝓdita sint. Nobis sufficit veritatē aperuisse, quibuscūq; tā

Confutari multa rectè poßũt, quæ nunquã didicimus.

dem illi artibus, figmentis, fabulis, sophismatis, eam obscurare inuoluereq; studeant. Nequaquam verum est, quod aliqui asserunt, confutari nihil posse, cuius notitiam prius nobis non comparauerimus. In veris rectè hoc dicitur. In falsis pessimè affirmatur. Falsum namq; addisci non potest. Quare falsi nihil refellere & redarguere possemus. At verò verum & sui & falsi regulam esse ac mensuram verissimum est, fuit, erit. Quocirca poterit quisquis veram metallorum generationem intellexit, artificiosam illam rectè cõfutare, tametsi nunquã in venenatos Chemicorũ cineres inflarit. An & magiã discere oportet, qui eam argumentis vult impugnare? Insanit, quisquis ita sentit. At par est ratio, quod ad hanc rem attinet, falsorum & vetitorum omnium. Sed ad nostra redeo. Galenus eorum, qui nihil docent, duo facit alicubi genera, vnum eorum est, qui ad latentes subinde proprietates confugiunt, quotiens explicare sese nequeunt. Alterum eorum, qui verbis quidem vtũtur ijsdem, quibus alij, sed non in eo significato vsurpant, in quo alij. Hoc in genere Chemicos quoq; contineri certum est. Nec alia de causa perperam nominibus abutũtur, & tã multis diuersisq; nominib. rem eandẽ efferũt, quàm vt nemo eos intelligat: aut falsitatem & ineptitudinem dogmatis peruideat. Vanitatẽ damnosæ nec ab impietate absolutæ artis multis & validis argumentis

Duo genera sunt nihil docentium.

1 demonstrauimus. Primum quidem, quia promittat impossibilia. Quoniã rem illam, quam lapidẽ vocãt, quæq; finis est artis huius, multipliciter ostẽdi nec esse, nec cõfici ab ipsis posse: idq; ex ipsorum dictis & factis perspi-
2 cuum feci. Deinde quia formæ non sunt separabiles: & neq; derelicto subiecto, neq; eodem retento se possunt promouere & induere in alienã materiã, priusquã per
3 nutritionem veram facta sit propria. Tertiò quia vnius speciei indiuiduum declaraui non posse transmutari in

alterius

alterius ſpeciei præſtantioris ſub eodē genere proximo cõprehenſæ indiuiduũ. Præterea ex eo quoq; monſtra- 4
ui, quòd modus ab ipſis præſcriptus eſt impoſſibilis, Aiunt enim metalla in materiam eorum primã & omnium communem reſolui oportere: quod fieri nõ poſſe euidenter probaui. Deniq; cùm ipſi confidenter aſſe 5
uerent metalla tranſmutari à nullo poſſe, qui neſciat, quomodo, ex quibus & qualibus, quibus & qualibus in locis, & quibus inſtrumentis Natura ipſa generet, do cui conatus eorum omnes etiam ob hanc cauſam irritos eſſe: quòd hæc omnia ignorent. His atq; alijs cùm propoſitum clarè firmeq; demonſtrauerimus, conſequens videtur eſſe, vt argumenta, quæ pro ſtabilienda ſua phantaſia adferunt, diluamus: & ſic finem præſenti diſputationi imponamus.

Confutatio argumentorum, quibus metallorum permutationem ſtabilire conantur Chemici.

Quòd primo loco dicunt, ſe argumentis artem ſuam probare non poſſe, libenter admittimus: & verum eſſe putamus, imò ſcimus. Nunquam enim poterit falſum veris argumentis aſtrui. Experientiam iactitant quidē, ſed nunquam opere oſtendunt ſe ea præſtare aut ſcire, quæ verbis feciſſe ſe prædicant. Non dubito, quin ſimile aliquid auro interdum efficiant: ſed aurum eos verum ex aliorum metallorum tranſmutatione conficere, hoc eſt quod pernegamus. Albertus fatetur, ſe aurũ Chemicorum examinauiſſe, & poſt ſeptimum tandem examen, in terram fœcemq; inutilem ſiue cinerem quēdam ſolutum fuiſſe. Summa eſt, oſtendant nobis verum aurum à ſe ex aliorum metallorum tranſmutatione confectum: & veram eſſe artem confitebimur. At hoc nunquam facient: vt ex ſuprà dictis liquet. Sartoriam

artem, itemque Medicinam veras esse artes libenter omnes concedunt, propterea quod singulis propè horis harum experimenta in oculos nostros incurrunt. Idem si Chemici fecerint, facilè ipsis cedemus. Ad id, quod mihi χρυσομανὴς quidam respondit, nempè non tutum esse artem hanc prodere, suprà fuit responsum. Hîc solùm dicam ineptum esse mendacium.

Cur Chemici sub ænigmate sua tegant.

Alij quidam cautius respondent, authores suos hæc studiosè inuoluisse, vt ne indigni participes tanti fiant muneris & thesauri. Putabat quidam eos hoc voluisse dicere, non debere quenquam virum bonum huic rei operam nauare: vt quæ solos vel impostores, vel fatuos, vel auaros deceat. Si ita est, non repugno. Afferebat coniecturam probabilem: quòd vix quisquam ei studuisset, non magus, astrologus, superstitiosus, & credulus, itemque auarus. Equidem præceptor eorum Gebrus Hispanus, quem Magistrum Magistrorum vocāt, (cui Aristoteles & eruditi omnes doctrina, iudicio, & ingenio cedere coacti sunt, scilicet,) & Magus, & Astrologus, & Mahumetis ex filia nepos fuisse ab ipsis scribitur. Huius impietatem Præceptoris si discipuli secuti sint, quis miretur? Indignos ergo cum iudicāt arte sua quicunq; sanam doctrinam veritatemq; amplectuntur, me ipsum quoque inter hos esse profitebor, & indignum me talium societate censeri facilè patiar.

Non differre metalla accidentibus quibusdam communibus solùm, sed formis substantiæ effectricibus, suprà copiosè monstratum fuit sæpius: nunc repetitione totiens dictorum opus non existimo. Est illud etiam non minore diligentia expositum, quo pacto ars naturam adiuuet: atque ex Medicinæ exemplo & agriculturæ manifestè intelligi potest: vt ne quidem hîc immorari nos necesse sit. Quod de Aristotelis sententia dicitur ab ipsis, tale est. Aristoteles cum in 4. Meteoro-

logicorum

logi corum ſtatuiſſet de corporum miſtorum affectionibus tractare, quæ miſtis propter effectrices qualitates inſunt, ac primùm de illis agere incœpiſſet, quæ à calore & frigore proficiſcuntur, de ortu & interitu primum, deinde verò de coctione & cruditate generatim prius, mox etiam ſpeciatim diſputans, elixationis naturam atque cauſas explicat. His expoſitis hæc verba addit. καὶ οὐδὲν διαφέρει, ἐν ὀργάνοις τεχνικοῖς, ἢ φυσικοῖς ἐὰν γίγνηται, διὰ τὴν αὐτὴν γὰρ αἰτίαν πάντα ἔσται.

Sēſus verborum Ariſtotelis atque mens tam eſt aliena ab opinione Chemicorum, quàm veritas longè abeſt à mendacio. Non hoc vult, perinde eſſe, ſiue aliquid à natura, ſiue ab arte coquatur. Ars enim nunquam ſic cibum coquet, vt in ſanguinem aut Chylum vertat. Plurimum ergo intereſt. Hoc voluit monere Ariſtoteles, eandem deſcriptionem elixationis conuenire ſecūdum analogiam ei, quæ fiat in organis artificialibus, & ei, quę in naturalibus perficiatur. Quoniam vtrobique, quod elixatur, elixetur ſiue coquatur à calore externo eoque humido. Externo dico, non rei concoquentis, ſed rei concoquendæ. Hoc tam manifeſtè docet totus verborum Ariſtoteleorum contextus, res ipſa, atq; poſtrema ipſius verba, διὰ τὴν αὐτὴν γὰρ αἰτίαν πάντα ἔσται, vt mirari poſſit, qui neſcit vbique Chemicos mirificè & propemodum ſtudioſè ineptire, quomodo in ſenſum ita alienum auſi fuerint Ariſtotelis verba derorquere.

Altera eorum ratio, in qua ſibi arrogant noticiam materiæ Metallorum proximæ, & neſcio quid non, in tota hac diſputatione tam ſæpè tam firmiter eſt confutata, vt neminem illis poſthac crediturum, quod affirmant in ea, cõfidam meritiſſimò. Impura ſunt mendacia, quecunque hîc dicunt, ad fallendum rudes con-

ſarcinata:quemadmodum illud etiam, quod ſequitur. An non eſt propè flagitioſum,(impium quid ſit pleriq; Chemicorum, primi præceptores Mahumetani cum fuerint,neſcierunt)affirmare, artem idem in talibus poſſe efficere cum natura, atque adeò ſuperare eam? Sed de hac quoque re nimis fortaſsè multa diximus. Quod additur de confectione atramentorum & ſimili um,nihil ad rem pertinet:atque falſum eſt.Etenim ſi vſum ſpectes,nihil,opinor,vetat, quo minus ars aliquid efficiat tale,quale natura facit. Vt idem autem faciat, nunquam erit verum(De ſubſtantijs loquor) Quod ſi atramenta facit ars naturalia,certum eſt ea tantùm ex metallicis glebis arte extrahi putrefactione, contuſione,maceratione,& alijs modis ſimilibus. Sic & metalla artem facere concedimus,dum ea effodit,fundit,repur gat,ſeparat,varieque miſcet ac fingit. Ineptiunt ergo hîc quoque,vt vbique ferè,ſufflatores iſti.

De illis, qui ſe affirmarunt aut ſcripſerunt aurum conflauiſſe,ſuprà diximus. Ante annos aliquot mul tus erat in Italia ſermo, de quodam Pharmacario Taruiſino,qui coram Senatu Veneto artis veritatem comprobauiſſet. Verùm is ita impoſturæ pœnas dedit,vt poſtea libenter ab opere deſtiterit. Ita certè poſtea vixiſſe videtur, vt omnes homines cum eo coacti ſint confiteri, nihil in arte Chemiæ ineſſe veri. Mirum eſt prudentiores talibus exemplis non abſterreri. Sciunt nullum vnquam ditatum ex hac arte fuiſſe, ſed pleroſque ad inopiam redactos eſſe: nec videre tamen Solis radios iſti poſſunt, tam ſunt altè in tenebris & Mercurij fumis immerſi & ſepulti. Rectè ſanè punit eos Deus,vt diuina ſibi deinceps opera impiè arrogare deſinant: & quæ ſui ſunt officij tractent.Dicunt nonnulli,ſed Chemici, Raimundum Lullum in Anglia aurum confeciſſe. Author autem

Dialogi suprà citati cum ignauum & rudissimum facit: ne vnius quidem artis peritiam illi concedit. Si ergo artis imperitus fuit, quomodo aurum confecit?

Præclarissimos tamē habuit ars nostra, inquiunt, authores, & Philosophos præstantissimos, Reges maximos. Qui hodie viuunt & scribunt, absque deliberatione metuque audent artem hanc Mosi, huius sorori, Adamo, Solomoni, atque alijs petulanter ascribere. Fingunt igitur eos tuendæ vitæ sanitatisque causa tantùm eam excogitauisse. Sed scelerate mentiuntur, quicunq; sanctis viris impias nugas affingunt: & turpitudinem eis hanc aspergere affricareque conantur. In prædictis ostēdi ipsosmet confiteri, ficta esse nomina, q̄ libris suis impostores præfixerunt, Platonis, Democriti, Anaxagoræ, Trismegisti, Aristotelis, Auicennæ, (De hoc tamen, vt Mahumetano, dubito) & similium aliorum. Assuta fuerunt lib. Aristotelis, de Mistorum affectionibus, quē quarto Meteorum vocamus, huius farinæ quædam: etsi improbare sententiam Chemicorum author videretur. Taceo quòd ei postea alium prorsus Chemicum adscripserunt. Quid facerent? Artem eorum Deus, Natura auersatur, humana omnis ratio, eruditioque ridet. Commendanda ergo mendacijs, cùm veritatem non haberet consonantem & patrocinantem, fuit.

Adam, Moses, Salomō nouerūt artē transmutādi metalla*

Si rem pressius consideremus, omnes huius generis libros ante tria quatuor aut quinq; circiter secula scriptos reperiemus. Putat Fallopius cum Mahumetana heresi ferè, dogma Religioni illi nefandæ per omnia cō gruens, natum esse. Probabilem facit opinionem, quòd authorem antiquiorem Gebro, de quo certò constet, nullum habent: quod quidem ipse sciam. Vetustiorum nomina Philosophorum non est dubium falsò libris inscripta fuisse. Fuit autem hic Gebrus, si Bracesco credimus, Arabs, Persarum atq; partis Indiæ Rex, nepos Ma-

Chemiæ Antiquitas.

gni Mahumeti ex filia. Alii patrem faciunt Aijcium, alij Harem. Calid Chemicus filium Haijen facit. Alij Hispanum faciunt, Magum, Astrologum, Chemicum: qui propius ad veritatem accedere videntur. Sic de eo Bracescus. Tantæ est existimationis Geber in Aegypto, vt magnus Aristoteles ei cedat in triplici Philosophia: illi cedit Rabi Moses in Algorismo. Hermes Trismegistus in Magicis: Ptolemæus in quadriuia Astrologia illi cedunt: sed in sua scientia omnes fatui, (erraui, dicere debui Philosophi, hoc est, Chemici) deferunt illi. Et posteriores ab illo habuerunt veritatis eius scientiam, & meritò ab eis Magistrorum Magister vocatus est.

Laus Gebri.

Quisquis iste Gebrus fuerit, videtur Hispanus fuisse, Magus, Astrologus, & Mahumetanus. Si subduxeris rationem ingressus Arabum aut Saracenorum in Hispaniam, coniectura assequeris tempus, quo is vixit. De eruditione vnusquisque ex libris ipsius iudicium fecerit. De parentibus & origine parum sum sollicitus. Hoc vel ex prædictis verbis collegeris, eum ex primis vnum esse, qui de hac nouitate scripsere. De illis loquor, quorum libri ad nos peruenerunt. Certè huius verbis magis adhærent, quàm oraculis diuinis, infelices Chemici, digni tali Præceptore discipuli. Cæteri omnes de sententia huius inter se acerrimè digladiantur: quanquam auxisse nonnulli vanitatem laudi sibi dari velint. Nugæ sunt indignæ, quarum ferè mentio tantùm fiat, quæ ab alijs dicuntur de Vellere aureo: de ramo aureo Vergilij: de fabulis Poetarum alijs. De ligno vitæ in Paradiso, quæ garriunt, deque conuersione vxoris Loti in statuam salis, & huius generis alia, etiam impia sunt & pœna grauissima digna. Haud existimo quenquam sic esse stupidum, qui, cum attentè legit, quæ de tabula Her-

la Hermetis Smaragdina fabulantur, non olfaciat falsa & ficta esse.

Diocletianus Imperator, aiunt, libros περὶ χημείας ἀργύρου καὶ χρυσοῦ conquisitos exussit apud Aegyptios: ne comparatis diuitijs renouarent bellum. Apud Suidam hæc me legere memini, & scio: apud alium, quod meminerim & sciam, nullum. Hoc si verum est, paulò est antiquius absurdissimum hoc argumentum: nisi fortè per χημείαν intelligat Suidas non hanc χρυσοποιΐαν, sed alteram illam, quam ab initio honestam, vtilem, & necessariam esse diximus: pręsertim illis, qui feraces inhabitant metallorum regiones. Si hoc non sensit, suspecta esse potest Suidę hoc in loco fides. Facilè fuit, vt Suidæ temporibus, qui recens est author, libros Chemici cõpositos habuerint, in quib. tale aliquid nugati sint, qualia hodie quoque mentiri de Mose, Solomone, alijsq; solent. Ex his si Suidas excerpserit, minus mirabimur. Vix aliâs cõsentiet cum historicis alijs. Sed siue antiqua sit, siue recens, hoc ostensum clarè hactenus fuit, impiam esse fabulam, & ridiculam insaniã. Nihil enim ad hoc facit antiquitas, vt aliquid verum sit aut falsum. (De rebus operibusq; Naturæ loquor) si nõ sit sua natura tale. Quis nescit homines ab initio vanos & mendaces fuisse? & tum seipsos tum alios fefellisse? Exemplo sint Magia siue incantationes omnis generis, & harum filia Astrologica diuinatio. Sed hac de re finẽ facio dicendi. Heydelbergæ. Anno Domini 1566. Mense Augusto. Cum hæc perlegisset vir quidam egregiè doctus & pius, argumenta siue theses quinque mihi opposuit: non eo animo, puto, vt Chemicorum deliria probaret, nostra repudiaret, sed vt quædam rectius ac plenius explicarentur: quæ breuius & obscurius à nobis proposita iudicauisset. Quamobrem ei mox respondi: ne amici & viri boni officio defuisse censeri possem.

Hanc responsionem, quia vberiorem continet rerum quarundam in hac disputatione tractatarum explicationem, subtexere alijs placuit: vt apertè declarem me nihil magis cupere, quàm vt de his rebus accuratè cogitetur: & quid verum sit diligenter consideretur. Metallorum omnium vnam eandemque specie materiam propinquissimam & proximam esse non posse, validè satis, vt arbitror, ostẽdi. Quòd si etiam constaret vnam & eandem esse omnium materiam propinquam, non tamen propinquissimam: incertum nihilominus permanere diximus, vtrum ea hydrargyrum foret cum sulphure mistum. Minus adhuc sequi dixi, vt ob id metalla viliora beneficio artis in nobiliora verè permutari valeant: cuius opera tantùm differunt à Naturæ operibus, quantum Ars distat à Natura. Quippe multæ plantæ, (vt de animalibus rebusq; alijs sileam) ex eadem materia nascuntur, aluntur, augentur: quarum tamen nullam permutari in alteram posse credimus. Mas, fœmina, mola, res aliæ, ex vna nonnunquam materia propinqua in eodem loco generantur: quarum vnam in alteram permutari ob id posse nullus sanæ mentis putauerit. Nam si non alia mox fieret, aut non aliter atque aliter transmutaretur, non posset specie differentes formas recipere. At recipit differentes formas. Quare mutata est ac temperata diuersè. Quocirca non amplius est vna propinquissima talium materia, vt ex remotiore aliqua communi orta maximè putes. Sic & metalla interdum specie differentia, (& cum his alia quædam) ex eadem materia propinqua, sed non propinquissima tamen, sub terra connascuntur: quæ tamen in se inuicem conuerti ob id non possunt. Quis putet os aut neruum permutari in carnem artis cuiuspiam opera, vel cerebrum in hepar, quia ex vna eademque materia, sanguine scilicet, sunt conflata? Sanè ex sanguine vno oẽs

Metallorũ una communis materia nulla est.

Ex eadẽ materia cõstantia non possũt in se mutuo permutari.

hæ

hæ partes nutriuntur. Quare ex ſanguine etiam factæ ſunt, ſi modò verum eſt phyſicum pronunciatum, illis nos ali, quibus conſtamus. Neque excuſat reſponſio, partium alias ex ſemine, alias ex ſanguine creari. Nam ſemen quoque ex ſanguine, vt ex materia, ortum eſt. Quòd ſi magis elaboratum coctumque illum ſanguinem, qui in ſemen mutatus eſt, eo, ex quo caro generata fuit, reſpondeas, etiam metallorum materiam hac in parte diſparem eſſe dicam. In præſentia ſufficit vno verbo indicauiſſe, parum rectè firmeque concludi permutationem artificioſam rei vnius in aliam, quia ex communi quadam materia coaluerint. Non poſſunt eiuſdẽ ſpeciei indiuidua mutuò tranſmutari. Quomodo ergo propter hanc cauſam vnius ſpeciei indiuidua in alterius ſpeciei indiuidua permutari opinabimur, ſi vno ſub genere proximo ſpecies vtraque comprehenſa intelligatur? Hoc ergo ſenſi, ſi confeſſum hoc eſſet, metalla ex vna eademque nota nobis materia proxima conſtare: ac certũ præterea eſſet, alia velut rudimenta quædam aliorum eſſe, ac coctione perfici in aurum poſſe, non me negaturum, quin plumbum in aurum conuerti aliquando potuerit. Sed de hac re ſatis: nunc argmenta inſpiciamus.

Metalla, inquis, in materiam proximam communem & eandem ſpecie. (Niſi enim hîc ſit verborum ſenſus, nihil probat argumentum) reſolui poſſunt. Ex vna igitur & communi ſpecie materia omnia conſtant. Res enim quælibet ex illis conflata eſt, in quæ diſſoluitur. Hac Propoſitione nihil eſt verius, ſi rectè intelligatur. Etenim non eſt neceſſe, vt res aliqua putetur ex illis eſſe conſtituta, in quæ corrumpitur: aut quæ ex ea corrupta generantur. Sic enim ex cinere facta eſſent omnia, cum in cineres redigi terrena corpora cuncta valeant. Eodem modo aliqui ex pure, vermibus, alijsque talibus

conflati fuissent: quorum scilicet corpora in huiusmodi res corrupta fuisse legimus. Accipienda igitur propositio est de solutione in partes suas, ex quibus vt materia actu inexistente cōposita est, non potentia. At hoc modo accepta verissima quidem est: veruntamen nostram opinionem non oppugnat. Quippe non potest ex ea colligi, res quaslibet in materiam proximam, ex qua scilicet proximè factæ sunt, dissolui posse. Verùm hoc esse tum solùm potest, cum ex aliquib. actu inexistentibus, veluti per compositionem quādam res coagmentata est: non cum per substantialē materiæ transmutationē generata est. Sic animal in suas partes, scilicet carnes, ossa, neruos, dissoluitur: at ossa in sanguinem & semen, ex quibus trāsmutatis nata sunt, nequaquam resolui possunt vel Arte vel Natura. Non .n. potest pullus redire in ouum: nec ouum in sanguinem gallinarū: sicut neq; hic in frumentum, quo nutrita est gallina, redire potest. Non datur enim regressus ab habitu seu forma ad priuationē: nec retrorsum vadit Natura, sed prorsum it semper: ac tanquam circulo suas absoluit mutationes ab elementis per infinitè varias mistiones & temperamenta procedendo. Ex priore subinde posterius, ex posteriore nunquam generat prius: donec ad prima elementa per varias alterationes & corruptiones iterum peruentum fuerit. Quocirca non est generatio circularis siue reciproca in mistis, vt in elementis, sed alia fit ex alia siue post aliam sine reflexione: vsq; ad eam, qua mistum rursus in elementa dissoluitur. Verè ac Naturæ consentaneè ista à nobis dici, non ex illo tantùm principio Physico (de cuius veritate nunquam dubitatum video.) A privatione sine corruptione nō dat reditus ad habitū seu formā pristinam, perspicitur, verū ex aliis quoq; intelligitur. Impossibile iudicarūt oēs rectè philosophātes, vt vel duæ formæ species differentes

In quas partes mista dissolui possint.

Ex priore posterius generatur mistū naturaliter, non è contrà.

candem

eandem materiã eodemq; modo temperatã informẽt, vel vna materias diuersè tẽperatas occupet atq; teneat. (Pythagorę μετεμψύχωσιν iam olim pro fabula omnes recitarũt: pro vera ne ab authore quidẽ suo creditã opinantur.) Quippe actus omnis in propria inest materia. Si posset in quomodolibet corpore temperato inhærere anima nostra, facilè seruaremur immortalas. At nõ corrũpuntur tantùm res aliç quia calefiunt, frigefiunt, &c. sed nos etiã morimur propter mutatum corporis temperamentum. Ergo quoties materia mutat temperamenti speciẽ, nouam acquisiuit formã: & quoties per alius formæ præsentiam mutata est rei essentia, temperamenti speciem priorem amisit materiam. Cæterùm mutari huc vsque materia nequit, nisi vel accesserit aliquid, quod antea non aderat, vel aliquid præsentium prius abierit. Cùm ex pane fit sanguis, non omnes partes materiæ panis vertuntur in sanguinem, sed quædam excrementi instar ineptæ sunt, vt ita mutentur: quas in sanguinis generatione separari oportet. Ratio eadem est aliorum omnium, quæ essentiam mutãt. Nisi enim res, quæ nunc est, aliquid in se habeat discrepans ab eo, quod futura est, non aliud esset nunc, quàm quod postea fiet. Scitissimè igitur Arist. in fine lib. 4. de Generat. Anim. scripsit. Nihil ex toto subiecto corrupto generari, sed dissimilia in rei alius ortu secerni quędam semper: non in naturalibus tantùm mutationibus, verum etiam in artium effectionibus. Vt enim ex panno sartor vestem, ex corio sutor calceum, ex lacte matrona caseum, ex musto Natura vinum purum cõparent, partes quasdam segregari auferriq; oportet. Causa hęc est, quòd tota materia nec ab arte figuram, nec à Natura tẽperamentũ rei generandæ conueniens recipere potest. Sicut igitur non miramur, quòd neque vestes & calcei possunt retexi in pannum & corium eiusdem quan-

Nec duæ formæ speciein materia eadem, nec una in diuersis speciematerijs inesse potest.

In omni substãtiali trãsmutatione aliquid de subiecto abit.

titatis & figuræ, quam ante ſectionem habuerunt: neque quiſquam ignorat, cur vel caſeus in lac idem redire, vel vinum in muſtum reſolui non poſſit, ita neque mirari debemus, quòd res naturales eſſentialiter mutatæ in eandem illam materiam ſiue rem, ex qua proximè ortæ ſunt, diſſolui nequeunt.

Cur uinum non corrũpatur in muſtum.

Proinde corrumpitur vinum in acetum, non in muſtum. Multæ namque partes muſti abierunt, dum vinum purificaretur: quæ reſtitui nequeunt. Quo factum eſt, vt alia muſti, aliáque rurſus vini ſit temperies. Quocirca corrumpi ipſum oportet, non in id, quod fuit, ſed in aliud, acetum ſcilicet: & hoc in aliud quippiam rurſus: donec ad Elementa regreſſio facta ſit. Ita bilis non corrumpitur in ſanguinem, ex quo ſupercalefacto & corrupto genita eſt, ſed in humorem alium: & hic in alium rurſus: quouſque in elementa reſolutio deſinat. Pari modo habet res in metallis, ſiquidem ex hydrargyro & ſulphure permutatis ac miſtis conflata ponantur. Non in hæc reſolui poterunt retorſum eundo, ſed in aliud quippiam ea mutari oportet prorſum pergendo.

Generatio circularis ſeu reciproca in ſolis elementis quærenda.

Non enim generantur res miſtæ circulo. (Sic inquam, vt, quemadmodum ex priore poſterius ortum eſt, ita ex eodem mox prius illud iterum naſcatur) ſed in elementis hæc ſolis locum habet. Sunt enim hæc termini ſeu extrema omnis generationis naturalis, & in ſe mutuò tranſmutari poſſunt. Quamobrem reciprocam in ipſis generationem eſſe neceſſarium eſt, non rectam: quæ in medijs duntaxat poteſt intelligi. Vtranque hanc generationem pulcherrimè & pro more ſuo breuiſſimè complexus eſt paucis verſibus in Metaph. lib. α, Minore, capite ſecundo Ariſtoteles. διχῶς γὰρ γίγνεται, inquit, τόδε ἐκ τοῦδε (μὴ ὡς τόδε λέγεται μετὰ τόδε, οἷον ἐξ ἰσθμίων ὀλύμπια.) ἢ ἐκ παιδὸς μεταβάλλοντος ἀνὴρ: ἢ ἐξ ὕδατος ἀήρ. Mox vtrumque hunc modum exponens, ex puero, inquit,,

inquit virum dicimus fieri, vt ex fiente factum, aut ex imperfecto perfectum: ex aqua autem corrupta non ſic fit aer. Non enim aqua eſt velut dimidiatus aer ſeu via ad aerem: ſed extremitates ſunt tum aqua tum aer. Hanc reciprocram eſſe aſſerit: illam reflecti negat his verbis: οὐκ ἀνακάμπτει πρὸς ἄλληλα· οὐδὲ γίνεται ἐξ ἀνδρὸς παῖς, οὐ γὰρ γίγνεται ἐκ τῆς γενέσεως τὸ γιγνόμενον, ἀλλ' ἐστὶ μετὰ τὴν γένεσιν. Mens ac ſententia Ariſto *Expoſitio*
telis talis eſt. Cum vnum ex alio fieri dicimus, vel ha- *loci Ariſt.*
bent ordinem inter ſe naturalem prioris & poſterioris vt neceſſarium ſit alterum præcedere, alterum ſequi: quomodo fiens præcedit factum, imperfectum perfectum, via terminum, medium finem, diſcens ſcientem, generatio rem genitam: (In talibus res facta ſemper poſterior, ac veluti finis quidam eſt prioris,) vel ordine tali carent: ſed habet vtrunque, id ſcilicet ex quo, & id, quod generatur, termini ratione. In priore genere ſeu ordine continentur miſta: quorum vnum ſemper rationem habet materiæ, imperfecti, fientis, viæ ac medij ad id, quod ſequitur: quemadmodum diſcens ad ſcientem, & puer ſe habet ad virum. Etenim miſta inter elemēta ex quibus conflantur, & in quæ poſtremò rurſus retexuntur, media quædam ſunt inter extrema: ſicut diſcens inter ignorantem & ſcientem medius exiſtit. In poſteriore claſſe comprehenſæ ſunt elementorum mutuæ tranſmutationes, quæ ſe habent inter ſe, vt termini ad terminos, vt ignorans & ſciens. Hic reflecti generationem oportet, cum extra terminos exire nequeat. In miſtis reciprocari nequit, ſed ab elemētis per craſes varias diſcrepantes materias prorſum ſemper procedit, quouſque ad elementa tandem iterum deuentum ſit. Miſta namque non fiunt ex termino, ſed ex eo, quod veluti inchoationem continet rei generandæ. Nec refert, quòd ſæpè poſterius eſt ignobilius priore.

Non enim de perfectione dignitatis, præstantiæ, nobilitatis nunc agimus, sed de ea, qua vnum tanquam materia, inchoatio, seminarium, medium ac via est ad consequens. In remotissimam omnia tandem materiam iterum dissolui ex prædictis perspicuè intelligimus: cum res naturales cunctæ ab elementis per multas medias mutationes ad elementa, veluti primordia sua, per circulum tandem reuertantur. Tantum porrò abest, vt mista, quæ remotissimam participarunt materiam eandē, in se inuicem transmutari queant, vt ne illa quidē omnia id patiantur, quæ in proxima materia communicāt. Si, quę in materia quouis modo cōmunicant, in se trāsmutari inuicē possent, posset quiduis in quodlibet permutari: quod non modo absurdum est, verumetiam impossibile, cū naturaliter loquimur. Hęc de propositone.

Iam quod ad Assumptionem attinet, in qua dicitur, metalla in communem quandam eandemq; specie materiam dissolui, potest ea concedi, & potest non concedi: vt ex dictis liquidè constat. Etenim si de remota materia intelligatur, nihil habet absurdi sententia: sed propositum sic non probat. Si de propria & proxima accipiatur, admitti nullo modo rectè poterit. Nam si præcisè vna & eadem omnibus subijcitur materia, in quam vel arte vel Natura proximè dissoluantur, necessarium est, vt vna quoq; in omnibus insit forma. Quippe forma substantialis quælibet nō potest inesse alia, quàm in sua quadam ritè disposita materia. Proinde aliter dispositam esse materiam oportet pro receptione formæ ferri: & aliter rursus pro susceptione formarum aliorū Metallorum. Quæ dispositiones, si absq; materiæ transmutatione adsunt & absunt, nullis distincta est essentialibus differentijs Metallorum materia: sed accidentibus quibusdam solùm discriminata est. Quocirca nō habēt metalla à forma substātiæ, vt sint & dicātur metalla: sed

Forma quælibet in sua peculiari materia inest.

à solis

à solis accidentibus quibusdam obtinet aurum, vt non sit ferrum aut plumbum: & alijs similiter accidentibus hæc referunt accepta, quòd non sunt æs, argentum, aurum. Sic ergo ferè distinguuntur metalla inter sese, & ab argento viuo ac sulfure, quomodo Aethiops à Scytha vel Germano: culter seu gladius à vomere: vel vasa plura ex eodem luto aliter atq; aliter ficta: gallus pennatus ab inplumi: pomum maturum & coctum ab immaturo. Est ergò vnica metallorum substantia. At hæc quis prudens affirmare volet?

Metalla nō differunt solis accidentibus.

Addere hoc etiam possumus, metalla non esse metalla. Quippe Dux, Magister, ac pater Chemicorum omniū, Gebrus, in lib. 1. Summę perfectionis, parte 3, cap. 31. & sequentibus sic definit metalla, vt definitio hydrargyro nullo modo conuenire possit: quemadmodū in scripto obiter quidem, capiosè tamen satis ostendi. Ergo si metallorum materia, quam dicunt esse argentum viuū cum sulfure mistum, metallum non est: ac nihilominus metalla à sua materia non differunt, nisi accidentibus quibusdam, cōsequens omnino est, vt metalla non sint metalla. Quod si nihilominus metalla nominari contēdas, non significabit hæc vox certam substantiam ab hydrargyro diuersam, sed hoc tantùm denotabit, verum hydrargyrum alijs atq; alijs accidentibus ornatum & tectum esse At hoc nō Philosophis modò, sed etiā omnib: omniū seculorū & nationū hominibus rectè sapientib. aduersatur: adeoq; cū Chemicorū opinione ex Diametre pugnat. Essent ergo metalla nō aliqd per se tertij modi, siue non essent substātiæ p se, hoc est, se ipsis subsistentes: sed ꝙ essent, hoc per accidēs essent. Quoniā metallū omne, quatenus metallū, accidens quoddā est arg. viui.

Metalla nō sunt metalla, iuxta Chemicos.

Possunt metalla resolui in olea, aquas, cineres: neq; tamen ex eo me patietur Chemicus, vt opinor, cōcludere, metalla ex his actu in terra præexistētibus, vt ex propria sua materia, conflata esse. Quis enim oleum actu in

locis subterraneis sic ponat, vt ex eo cum aliis quibusdam iunctis confiant metalla? Certè qui non sunt naturalium rerum imperiti, perfacilè intelligũt, vi ignis seu caloris, aliarumq; effectricium potestate qualitatum plurima ex quibuslibet rebus generari, quæ in illis actu non continebantur. An etiam ex vermibus caseos, carnes, cadauera, constare arbitrabimur, quia huiusmodi res interdum propè totæ in eiuscemodi animalia absumuntur? Nihil porrò interest nostra, siue ab arte metalla corrumpente, siue à natura eadem conficiente oleũ in metallis generatum existimes. Quoniam si metallorum partes aliquę possunt ab arte ignis opera in oleum mutari, quomodo non potuit natura ex Spiritibus certis sub terra in Metallorum generatione idem efficere? Iam si hac in parte substantialis facta est mutatio, quibus argumentis ostendetur in hydargyro, si maximè concedamus (quod verum nunquam fuit, est, erit) metallorum materiam esse, nullam accidisse talem mutationem? Si ne in oleo quidem aliquid huiusmodi euenisse contendat quispiam, neq; probaturum eum esse suam causam respondebo: neq; effugiturum incommoda suprà dicta monebo.

Huc illud etiam accedit, quòd non sequitur metalla ex eadem specie materia proxima constare, quia in hydrargyrum, aut rem huic consimilem in ignis dissolui possint. Etenim non quicquid cum hydrargyro similitudinem aliquam habet, id mox hydrargyrum est: quẽadmodum nec quod auro simile est, continuò aurum est. Ipsi quoq; Chemici non negabunt, permagnum esse discrimen inter hydrargyrum, in quod soluere se dicũt aurum, atq; alia, in quæ soluunt, quemadmodum dicũt, argentum, æs, ferrum, plumbum. Neq; magis verum est, istas materias solis differe accidentibus, puritate, impuritate, coctione, cruditate, & similibus, quàm verum

Similia nõ sunt eadem

rum ſit ſanguinem hominis, equi, bouis,canis,aliorũq; animalium duntaxat accidentibus diſtingui.Etenim ſic differt animaliũ ſanguis, vt vnius ſpeciei ſanguis nutrimentum nõ queat eſſe ſpeciei alterius,niſi eſſentia eius permutetur.Hinc fit,quod nullius animalis ſanguis hominem poſſit nutrire, niſi prius in ventre inſtar aliorũ ciborum permutetur & concoquatur. Sic & illa materia, in quam metalla ſoluunt aliquando Chemici,quanquam accidẽtia quædam habeat ſimilia, vt ſanguis ſanguini ſimilis eſt, non tamen ideo cenſenda eſt eiuſdem ſpeciei naturæq; eſſe, ſicut neq; ſanguines omnes eiuſdem ſunt ſpeciei.Quid dico eiuſdem ſpeciei?Reperiuntur enim ſanguines colore, odore, ſapore, conſiſtentia, nõ multum diſſimiles noſtro, tota natura nobis exitioſi & peſtiferi. Non igitur ſolis accidentibus communibus differunt ſanguines, ſed ſpecie & eſſentialibus differentijs diſcriminantur: quamuis oculorũ iudicio vnius & eiuſdem eſſe ſpeciei videantur. Certè vt ex bouillo aut ouillo ſanguine humana caro ali nõ poteſt, priuſquam eſſentia eius concoctione permutata, & partes naturæ noſtræ non congruentes ſegregatæ fuerint;ſic ex materia ferri,æris,aut plumbi, nunquam poterit aurum argentum úe confici,antequam verè tranſmutata ſit.

Sanguines animalium differunt ſpecie.

Ex his omnibus perſpicuè patet,neq; propoſitionem præſenti cauſæ aptari ſic poſſe,vt aliquid probet: neque Aſſumptionem veram eſſe: ſi de proxima metallorum materia,ex qua generata ſunt,accipiatur.Etenim nõ poteſt res naturalis vlla cõpoſita in materiam,ex qua trãſmutata proximè orta eſt,reſolui.Non enim pullus in ouum,aut vinũ in omphacium,aut caro & oſſa in ſanguinem, aut hic in panem reuertitur:ſed permutata materia & craſi eorũ, corrumpuntur in alia quædam. Proinde vt maximè ſit verum, metalla diſſolui ab arte in hydrargyrũ,non tamẽ poſſit hoc argentum viuũ eiuſdem

esse speciei, cum ea materia, ex qua prius nata factaque à Natura fuerant. Ex quo sequitur, ex hydrargyro non fuisse Metalla producta. Si enim hydrargyrum, in quod soluuntur à Chemicis metalla, verum est hydrargyrum, constat ipsum specie naturaq; differre à proxima Metallorum materia. Quoniam reciprocam generationẽ in talibus non posse dari clarissimè ostẽsum est. Si verũ hydrargyrũ eiusdemq; cũ nostro speciei non est, frustra conabũtur hac propositione psuadere nobis, vt Metallorũ materiã putemus esse hydrargyrũ. Quocirca alijs argumentis ad probandum hoc habebunt opus.

Metalla nõ soluuntur in materiã cõmunem specie vnã.

Quòd autem nec in eandẽ specie materiam solui metalla possint, non minus apertũ est: nisi vnius speciei omnia existere confiteantur: ac non specie, sed accidẽtibus duntaxat differre opinentur. Etenim res specie formaq; differentes necessariò proximas habent materias discrepantes. Ex differentibus autem specie materiebus idem aliquid specie gigni is tantùm credet, qui rerum Naturę omninò rudis est. Quippe differentes res specie easdem habere partes materię eademq; temperamenta impossibile est. Impossibile ergo illud etiam est, vt in eandem specie materiam proximam dissoluantur. De remota namq; nullus ambigit. Equidem, si possent animalium carnes vel in succum quempiam, vel in eundem illum sanguinem iterum resolui, ex quo singulæ coaluerunt, tãta nihilominus futura esset inter illos succos aut sanguines dissimilitudo & discrepantia, quanta inter ipsas carnes partim sensu percipitur, partim ratione intelligitur. Esto soluant vel omnia, uel pleraq; metalla in rem hydrargyro similem. An quia illæ materiæ accidentibus aliquot sensilibus conueniunt, mox etiam substantia & specie eædem erunt? Quid æquè simile est humano sanguini, ac suillus sanguis? At specie inter se differunt. Nec potest vlla vi naturali, multò minus arte aliqua fieri, vt

Suillus sanguis non fit

suillus

suillus sanguis alat carnem humanam, priusquam substantiam priorem abiecerit: & partes multas, sine quibus suillus sanguis esse ac subsistere nō potest, amiserit. Ego sanè tam non puto vecordes & vanos esse Chemicos, vt affirmare ausint, materiā, in quam aliquando soluunt æs aut ferrū, nō plurimum differre ab ea, in quam argentum vel aurum soluunt, etiamsi iudicio sensuum magna sit inter eas similitudo & affinitas. Quòd si specie differunt materiæ illæ, falsa est Assumptio. Si nō differunt specie, vnicum, non plura (imò nullum) erit metallum. Cęterùm specie metalla inter se differre, nō solis accidentibus, abundè & solidè in scripto meo probaui. Sanè ex peritioribus istis Philosophis (sic enim se ipsos nominant.) nullum animaduerti palàm negare, Metalla specie differre: quod vel ex eo constat, quòd, quū ad obiectionem, qua specierum trāsmutatio negatur concedi, respondent, nunquam negant se hoc nō agere, vt species permutent. Quinimò palàm affirmant, indiuiduorum vnius speciei transmutationē in indiuidua alterius speciei possibilem esse: atq; ideo nihil se cōtra leges Naturæ tentare: dum vnius metalli speciē permutare specie nobiliore dignioreq; studēt. Quippe facile hoc esse, cum in primam materiam resolutio fit: aliter fieri eam non posse, ipsis quoq; nobiscum videri.

humanus, nisi mutet speciem.

Primam porrò materiam, ex qua metalla conflant omnia, ponunt hydrargyrum. Et quòd ex metallis quædam in substantiam talem solui queant, scio: an omnia sic corrumpi possint nescio. In verum hydrargyrum (quod videlicet tum accidentibus tum facultate sit præditum eâdem.) pleraq; dissolui non posse cōpertissimū habeo. Possunt etiā in aquā, oleum, salem, nitrū, res alias, solui: at non ob id non differunt aqua cōmunis & aqua ex metallis confecta: quod de alijs quoq; dictum volo. Vir humanissimus Illustriss. Princip. D. Georgij

Aurum in hydrargyrum solui potest.

Friderici March. Brandenburg. experientiss. Medicus. D. Petrus Stähelin aurum in substantiam hydrargyro similiter mobilem nonnihil candicantem mutatum mihi ostendit: at hydrargyri vires in eo inesse non affirmauit. Esto igitur, possit hoc ars Chemicorum, vt in similem substantiam cætera quoq; metalla omnia conuertat. An ex eo consequetur metalla ex hydrargyro cōcreuisse? Minimè gentium. Ex metallis generata fuerit substantia talis: sed ex ea non sint ob id orta. Iam enim demonstraui nulla vi posse fieri, vt res mista in id dissoluatur, ex quo transmutato proximè genita fuit. Deinde si maximè posset in illud ipsum iterum resolui, non tamē in aliquid commune retexi possent: cum diuersæ species diuersas quoq; materias propinquas habeant. Sanè hydrargyrum ex auro factum leui mutatione facta redit in aurum: quod de hydrargyro plumbi, aut vero hydrargyro dici non potest. Nam vt ex his aurum fiat, multis, varijs, ac longis laboribus est opus: (vt ne dicam nunc fieri non posse) Differt igitur hydrargyrum auri ab hydrargyro plumbi (Sic enim nunc nominemus) prorsus plurimum. Falsum proinde est in communem materiam resolui: si quam maximè in hydrargyrum quodque suum solui concedatur. Etenim materia communis plurium non magis apta est vnum quàm aliud fieri. At ipsimet Chemici contendunt metalla aliquot mutuò transmutari non posse. In causa illud est, quod non possunt resolui in materiam communem omni limitatione & definitione carentem. Quod si etiam præstare hoc artem posse daremus, nihilo tamen ars eorum foret melior. Cum enim materiæ habibilitatē naturalem siue seminariam rationē donare solus Deus possit ac velit, ex materia aūt habilitate ad certę rei ab agēte certo procreatione carēte generari nihil possit, manifestè patet inanes & irritos futuros Chemicorum

Nota.

Aliquot metalla non transmutantur in se.

corum

corũ conatus.Equidẽ creatæ poteſtates non poſſunt ex quolibet generare quodlibet, ſed ex diterminato deter minatum:id ſcilicet, cuius habilitatẽ materia quælibet comprehendit.Nihil enim poteſt ex re quauis gigni,niſi quod fieri apta nata eſt. Semper enim patiens patitur quomodo pati poteſt,non quomodo agens mutare conatur.Hinc eſt,quòd ſolus Deus ex quolibet quodlibet facere poteſt,cum pręter & extra Deũ materiæ habilitatẽ largiri virtus creata nulla poſſit.Ergo ſicut ex ſemine diſpoſitionẽ & aptitudinẽ formę canis in ſe habẽte,nõ aũt ouis aut ſimiæ,nunquã generabitur ouis aut ſimia, ita ex hydrargyro habilitatẽ in ſe tenente formæ ferri, non auri,nulla vis creata generabit aurum. Etenim forma auri cum ſpecie diſtincta ſit à forma ferri, materiã quoq; requirit,quę diſpoſitionẽ atq; elementorum tẽperationẽ obtinuerit ſpecie differentẽ à tẽperamento ferri.At elementa ſub certa proportione cogere ad certã diſpoſitionẽ,nõ Ciniflonũ artis, ſed ſolius Dei opus eſt. Quo etiam fit,vt,qui talia ſibi arrogat,qđ Dei ſolius eſt,impiè ſibi aſcribat. Hoc pronunciatum Phyſicũ tenendum eſt rectè philoſophaturo, Materiã propinquã ſpecie differentium rerum communem nullam eſſe: quæ ſcilicet æquè ſe habeat ad vtramuis. Non enim eſſet certę ſpeciei ac formę materia,ſi non limitata,circũſcripta,& diſpoſita eſſet ad huius formę ſuſceptionem, non alius.Remota poteſt indefinita quidem eſſe,at definiri ab arte nõ poteſt:cũ quib.ad certę formę receptionem definienda ſit,ſcire,ſupra captum ſit hominis.

Patiens patitur,ut pati aptũ eſt, non ut agẽs agit.

Nulla eſt materia cõmunis rerũ ſpecie differentium.

Duo nunc quædam ſolidiſſimè & clariſſimè probauimus.Primum eſt,Res miſtas nullas in materiã, ex qua permutata proximè ſunt genitę,reſolui poſſe.Nam materia antequã formam reciperet aliter temperata erat, quàm poſt formæ ſuſceptionem.Partes igitur in tranſmutatione ad temperamentum formę ſuſcipiendæ cõ

Miſta non poſſunt in materiam, ex qua nuper orta ſũt reſolui.

ueniens aliquas amisit: quas qui reddere non possunt, ne soluere quidem compositum in priorem materiam possunt. Sanè dum temperamentum seruat materia, forma sua non spoliatur. Temperamenti specie mutata, necesse est formam seu speciem adesse aliam. Quod si ergo materiam ponas prius recipere temperamentum, priorem etiam formam recepisse eam oportebit: quod fieri nō posse ostensum est. Idem hoc ex eo nō minus perspicitur, quòd non datur à priuatione reditus ad habitum in naturalium generationib. Alterum est, Res specie differentes non posse in materiam communem solui. Quoniam temperamentum specie idem procrearetur è temperamentis specie discrepantibus: qđ fieri nequit. Nam sicut impossibile est, vt vnica specie forma informet materias specie distinctas, ita impossibile quoq; est, vt materiæ sub differentibus specie formis contentę in vnam eandemq; dissoluantur. Sanè quod in aliquid soluitur tanquam in partem actu inexistentem, hoc inesse oportet. At in speciè differentibus rebus nulla inest materia communis (de propinquissima & propria loquor) sed differunt materiæ sicut formæ differunt. Quomodo igitur in communem dissoluentur? Si quid ergo ex earum corruptione generetur simile, in hoc non dicuntur dissolutæ. Quod enim sic fit, generatur, cum prius non esset, non per secretionem prodit in apertum separatimque existit. At fieri non potest, vt ex dissimilibus materiis vna similis cudatur, ex qua prius ambæ natæ genitæue fuerint. Exemplo res erit clarior. Aurum ponamus mutatum in hydrargyrum, (Sic enim nunc substantiam hydrargyro similem vocare libet) & quæramus, vtrum hæc substantia reduci ad aurum queat, an non? Si poterit priori conditioni restitui, auri formam retinuit, accidentia duntaxat communia, quæ adesse & abesse absq; rei

Res specie differentes habent specie differentes materias.

rei interitu possunt, amisit. Non enim restitui potest, quod forma spoliatum est: propterea quòd non datur regressio, vt sæpe iam est dictũ, à priuatione ad habitũ, siue à corruptione ad formam. Si reduci in aurum nequit, non est materia metallorum omnium communis. Non enim auri: multò igitur minus aliorum. Primum itaque argumentum inutile prorsus est: quod, quia maiorem quàm cetera verisimilitudinem habere videtur, pluribus à nobis refutatum est.

Ad secundum facilis est respõsio. Sumit enim hoc, in argento viuo inesse potentia aurum: ideoq; posse actu aliquando inesse: & hoc vt fiat, arte præstari posse. Nititur hac propositione: Quicquid in aliquo potentia est, in eodem actu esse potest. Si per inesse potentia intelligere idem cogeremur, explicatione Propsitio nulla indigeret. Quis verò tam est iners, qui hanc sumptionem simpliciter positã concedat? Quippe de remota potentia si accipiatur, tunc res quælibet in qualibet inerit. Si de propinqua intelligatur, falsa erit Assumptio. Quòd si verò potentia inesse idẽ significet, quod separabile esse, nõ ibo infiçias, quin vno in metallo sæpenumero aliud sic cõtineatur, vt arte ab eodẽ separari possit. At longè differũt, potentia propinqua inesse: & potentia separabile inesse. Quòd. n hoc modo inest, actu inest, tametsi lateat nos: ac rationem materiæ seu potentiæ habeat. Quòd autem primo inest modo, actu non inest, sed inesse potest solummodo sine permutatione materiæ subiectæ generari ex eadẽ non potest. In hydrargyro nondum ostensum est hoc modo inesse aurum argentúmue. Quocirca negamus Assumptionem esse veram. *Quod inest potẽtia, potest actu inesse.*

Quibus addi illud etiã potest, quòd, etiamsi in hydrargyro aurum inesse potentia cõcederemus, perperã nihilominus sumeretur ab arte educi posse. Etenim res permultę po:ẽtiã habent, vt per naturalẽ trãsmutationem *Non omnis potentia reducitur ad actum ab arte.*

aliquid fiant, quod ex eis ars extruere nulla potuit, potest, poterit. Quis inficias eat, quin ſanguis aut caro in pane inſit potentia? Quis autem ſanus putet arte ex pane ſanguinem, aut ex ſanguine carnem confici poſſe? Res naturales à Deo donatæ ſunt habilitate varia & multiplici: vt pro agentium diuerſitate diuerſe varieq; permutari poſſent. Longè aliter à cultro, ab aqua, ab igne, à ventriculi calore, patitur panis. Et quanquam ab omnibus pati poſſit, à nullo tamen agente alio, quàm à calore animalis verti poteſt in ſanguinem ſeu chylum, proximam ſanguinis materiam. Quid ergo ſit miri, ſi hydrargyrum potentia eſſet aurum, & ab arte nihilominus in aurum mutari non poſſet? Ergo & falſum illud eſt, quod in hydrargyro ſit potentia auri: & ineptū hoc eſt, quod potentia hæc ad actum deduci queat ab arte. Quocirca falſa eſt tota Aſſumptio.

Tertium argumentum inualidum æquè eſt, Argentum & hydrargyrum, itemq; æs, argentum, aurum, naturaliter cohærent in vna maſſa. Ergo ex vna communi materia conſtant: propterea quod naturaliter cohærētia neceſſe eſt ex vna materia conſtare. Non opus eſt hîc longa reſpōſione: cum apertum ſit plurimas omnino res inter ſe cohærere, quarum tamen eadem præciſe materia non ſit. Quis neſcit metalla ſemper ferè cōiungi cum aliquo lapide aut terra, ſimulq; cum eiſdem naſci, vt effoſſa metalla, iterumq; repleta docent? Quis neget aurum & argentū modò ſola, modò cum alijs metallis miſta inueniri? An non certius eſt argumentū, argentum aliaq; metalla non conſtare ex hydrargyro, vt ex vera propriaq; materia, quia in pauciſſimis metallis hydrargyri veſtigium reperiatur: & in hydrargyri & ſulphuris metallis plerunq; aliorum metallorū nihil deprehendatur? Si ex eo conſtarent, neceſſariò in omnib. fodinis inueniretur integrum, ex parte, ex dimidio, amplius,

plius, perfectè, mutatũ. Quorum cum nihil possit affirmari tanquã perpetuũ: imò cum metalla omnis generis frequenter effodiantur pura & sola: frequentissimè absq; hydrargyro & sulfure: & in horum fodinis rarius reperiantur alia metalla: longè rectius nos negamus hydrargyrum metallorũ materiam, quàm affirmẽt Chemici: præsertim cum præstantiũ & eruditissimorũ omniũ Philosophorũ consensus accedat. Nec mirum videri alicui debet, quod in metallis sæpenumerò plura metalla coniuncta & mista inueniũtur. Etenim ex materia, non quidẽ prorsus vna & eadẽ, sed tamen multis partibus simili architectatur ea Natura: quę variè permutata varias exhibet metallorum species. Quòd autem mista solummodo sint, non ex vna eademq; proxima orta materia, id probat satis, quòd actu in massa insunt, ac separari arte possunt.

Cur metalla diuersa simul sæpe inueniantur.

Quartum argumentum sumit, quæ nos omnino negamus. Nunquam enim probabitur, puto, sic hydrargyrum auro vniri, vt vnam vtraq; conficiant speciem. Miscẽtur diuersæ res in distillationibus: in igne, & alijs modis: quæ difficillimè deinde iterum separantur. At ex eo non conficitur, sic mista eiusdem esse speciei: aut alterum alterius esse materiã. Coniunguntur enim hęc per artem, quæ Naturæ simia est: substãtias fabricari nullas potest: sed ex multis inter se artificiose coniunctis vnũ quiddã efficit per accidẽs: quale est Theriaca, & alia huiuscemodi pharmaca. Sanè si posset ars ex plurib. iũctis, vnũ per se efficere, nõ esset ea principiũ externũ, sed internũ: intraq; materiã totã abditũ & extẽsum. Quòd si ergo potest ars talia sic miscere, vt vnũ quiddã videant, qs dubitet, vtrũ lõgè felicius idẽ hoc natura facere possit? Vt verbo vno hîc respondeã, nõ cõcedo euidentib. persuasus rationib. arg. viuũ sic vniri auro posse, vt vnã cũ auro habeat speciẽ: ab eoq; separari nunquã & nullo modo possit.

Ars principium est externum, nõ internum.

Quintum longè petitum est, propositumq; parum firmè probat. Iampridem hoc apud Gebrum atq; alios legi, sicut alia propemodū omnia. Gebrus in lib.2. Summę perfect. cap. de Natura auri, hydrargyrū facilè ideo recipere aurum ait, quia eiusdē sit naturę. Non.n. recipere ipsum aliud aliquid, quàm suę naturę cognatū & affine. Par est vtriusq; argumēti robur. Cęterùm aurū ideo per se absq; hydrargyro calcinari nequit, quia optimè est mistū. Si adiectis salib. fundat̃, aut hydrargyro addito in calcē facilius redigatur, quid hoc ad Rhombū? Lapides metallici multi difficulter funduntur per se, facilius admista cum est Cadmia vel lapides, quos fluores vocant. An propterea hos illorū putabimus materiā? Nimis leue est argumentū: Hoc difficilè aut funditur, aut in calcem redigitur, aut figitur, aut tollitur per distillationem in sublime, nisi hoc vel illud addatur: Ergo vna est talium specie materia. Quis ignorat contraria contrarijs temperari, vt facilius hoc aut illud patiātur: nec esse tamen eorum materiam specie eandem? Sic metalla nullus ideo rectè arbitratur ex salibus cōposita, quia permistione rectius ac melius funduntur. Taceo quod non obediunt materiæ suæ rerum formæ, sed dominātur ei. Cur maior affinitas sit hydrargyro cū auro, quā cum alijs metallis ignorare me fateor: interim ex eo nō posse concludi, eandē esse specie vtriusq; materiam certo scio. Magna quoq; est Magneti cum ferro affinitas. Causam etiam hîc ignoramus: at hoc interim scimus, non esse vtriusq; vnam specie materiam.

Formæ non obediūt materiæ, sed ei dominātur.

Ratio eadem est sexti & postremi argumenti: quod ipsum quoq; apud Gebrum in lib.1. Summæ perfect. ca. de Hydrargyro legimus: tametsi alijs proponat verbis. At inualidū est, quomodocunq; proponatur. Quippe multa certo modo præparata auidè accipiunt hunc vel illum humorem: quæ propterea nullus intelligens su-

spicetur

ſpicetur ex vna eademq; ſpecie materia orta fuiſſe. An idcirco Magnetis & ferri proxima materia ſpecie eadē eſt, quia alterum ab altero attrahitur? An eadem eſt ſuccini ac feſtucarum & pilorum materia, quæ facilè ad ſe pertrahit? Sicca facilè cõbibunt tenues humores: quorum tamen materia eadem proxima nõ eſt. Vt ſummatim dicam: præter primum argumentum nihil hic eſt, quod probabilitatem habeat. Quoniam cætera vel petunt principium, id eſt, ſumunt hoc, de quo quæritur: vel in facto conſiſtunt. At nos permultos ſcimus editis libris teſtatos fuiſſe cum hæc tum alia huiuſce generis plura, quæ deinceps alij partim rationibus, partim re & facto falſa fuiſſe luculentè demonſtrarunt. Poteſt ars imitari Naturam: eiuſcemodi nõnunquam ſtruere quæ à rebus Naturalibus nec citò, nec facilè, nec quiuis diſtinguere poſſit: at eadem tamen præſtare nequit. Natura poteſtas eſt diuina, cuius ſolius proprium eſt ſubſtantias architectari. Ars ſubſtantias ſiue ſpecies ſubſtantiales nullas fabricatur, ſed ſolùm accidentales quaſdam formas rebus appingit: niſi beneficio naturalium cauſarum mutationem materiæ adferat. Metallorum matricem ſcimus eſſe loca ſub terris in rimis ſaxorum terrarumq;: vbi non à calore ſolo elaborantur, ſed à frigore quoq; indurantur & compinguntur. Ex prædictis omnibus intelligi poſſit, quàm procul à ſcopo aberrent, qui ex corporibus à Natura miſtis aliam eiuſdem generis proximi ſpeciem nobiliorem fabricari conantur. Dixiſſem plura, niſi ad omnia hæc non aliter in ſcripto reſpondiſſem, ac ſi tunc, cum ſcriberem illa, obiecta hæc fuiſſent.

Ars non facit ſubſtantias.

FINIS.

125

EPISTOLA DE NATVRA, MATERIA, ORTV ATQVE VSV LAPIDIS SABVLOSI, QVI IN PALATINATV AD RHEnum reperitur.

AVTHORE

THOMA ERASTO, Medico.



BASILEAE,

PER PETRVM PERNAM.

M. D. LXXII.

NOBILI AC GENEROSO ADOLESCENTI, D. ANDREAE ZEBRzydovuski de Vuiedzborck, Illustriss. & Magnifici D. Baltazaris Zebrzydovuski, Palatini Prestensis filio, &c. Domino suo plurimum obseruando.



Istoriam lapidis sabulosi, quem D. Conradus Gesnerus Ψαμμόστεον, alij quidam Ψαμμόλιθον vocarunt, ante annos aliquot scriptam, secundae parti disputationum Antiparacelsicarum attexere duabus de causis visum est, illustris ac generose Adolescens. Vna est, quòd eius generatio aliquid habet affinitatis cum generatione certorum lapidum ac metallorum. Altera, quòd à compluribus expetita iam pridem fuit. Nam et Dantiscani, & Pomerani, & Poloni, & Galli quidam potestatem sibi à me fieri cupierunt transcribendi: quod facilè, vt par est, impetrarunt. Ipsos quoque lapides magna copia hîc collectos, per multi in diuersas regiones secum auexerũt tùm Nobiles, tũ Equites alij: quòd incredibilem in eo vim & efficacitatem inesse fracta ossa glutinandi et persanandi persuasum haberẽt: quidam etiam compertum sibi dicerẽt. Sanè medici vulnerarij subinde ex distantibus admodum locis eosdem sibi mitti petunt. Quamobrem gratum me omnino facturum plurimis existimaui, si hanc eius historiam publicarem: quò poßent eosdem industrij talium rerũ indagatores in suis quique regionibus disquirere. Quòd autem tui nominis inscriptione, Generose Baro, ornata, in publicum prodijt, ideò factum est, vt gratiam tibi habeant, quicunque beneficium se accepisse putabunt. Quippe tua iam quodammodo, nõ simpliciter mea amplius esse videbatur, quam sub initium huius anni, (quem tibi felicem faustumque comprecor) vt meae erga te beneuolẽtiae expectationisque de te conceptae testimonium esset, strenae loco, antiquos imitatus, destinaueram. Veteres enim ineunte anno

te anno strenas ijs, quos diligebant, & in quibus virtutis atque strenuitatis (à qua Nonius strenam deductam opinatus est) argumenta obseruarant, dare soliti fuerũt. Cur porrò te nobilissime Adolescẽs, non amem & colam duntaxat, sed maxima quæuis à te expectem, id cum aliorun bonorũ virorũ, tum D. Christophori Thretij laus et commendatio, in primis autem generosa indoles tua, quam & illo tempore, quo conuictor meus fuisti, et postea quoq; in te deprehẽdi, perfecit. Quis enim non & amet, et summa quæq; de eo speret, qui maximarum opum vnicus hæres studiorum virtutisq; causa nõ dubitat relictis parentibus, opibus, amicis, patria, alienas peragrare ac visere regiones, quò ingenium bonis artibus expoliat, animum virtutibus muniat, vitam honestis moribus exornet, denique in omnibus maiorum suorum vestigia imitetur, eorumq; gloriam nõ æquare modò, verùm etiam superare, siquidem fieri possit, contendit? Quæ de laudibus maiorũ, et vtriusque parentis tui, virorum dignitate, virtute, pietate, gestarumq; rerum splendore et gloria clarissimorum, audiui, ideò recitare hoc loco nolo, ne cui assentari tibi voluisse videar. Vnum hoc te moneo, vt illustrium auorum parentũq; tuorum sæpe recorderis: et quanta comitum de Teczin virtus fuerit (ex qua maternum genus ducis) crebrò apud te cogites, ne alienis potius quàm domesticis exemplis ad res plæclaras et prædicabiles suscipiendas ac peragendas excitatum te sentias. Deum precor, vt te Ecclesiæ pariter et Reipublicæ saluum esse velit. Amen. Heidelbergæ 4. Id. Ian. anno à Virginis partu. M. D. LXXII.

Tuæ præstan. et Geneross. obseruantiss.
Thomas Erastus Medicus.

DE NATVRA ET ORTV LAPIDIS SABVLOSI, QVI IN PALATINATV AD RHENVM REPERITVR.

ac de Vsu eiusdem in Medicina, ad virum in omni præstanti doctrina eruditißimum, D. Conradum Gesnerum Tigurinum, Philosophum ac Medicum clarißimum.



ON sum oblitus, quòd in postremis ad te literis meis pollicitus tibi sum, clarissime ac præstantissime Gesnere, me, quæ mea esset de ortu Sabulosi istius lapidis sententia, quo iam per Germaniam plurimi felicissimè in fracturis ossium percurandis vtũtur, ad te scripturum esse, cùm primum locum generationis ipsius vidissem, ac singula accuratius explorauissem. Ne igitur non satisfecisse officio videar, rem, vt inueni, omnem diligentissimè explicare tentabo.

Die Aprilis 17. ad locum, vbi plurimus reperitur, aliquot liberalium artium Magistris, Medicinæ studiosis, comitantibus exspatiatus sum. Ad eum nos Illustriss. principis Electoris aulæ Magister, qui iam ante locum perlustrauerat, & vbi plurimus inueniretur, obseruauerat, deduxit. Deinde anno 1564. die 11. Septemb. comitantibus tùm alijs, tùm D. Sigismundo Melanthone, Medico, pietate, virtute, ac doctrina clarissimo, collegaque charissimo, iterum exiuimus: & quanta potuimus diligentia omnia tunc quoq; perscrutati sumus. Est is locus in itinere, quà hinc rectà Spiram itur, militari germanico ab vrbe nostra distans: luporum suspendio nobilitatus ac clarus. Latissimi ibi visuntur campi steriles, arenosi. Arena alicubi alta est, quinq; aut sex pedes, altior, multis etiam in locis minus est profunda.

D. Sigismundus Melanthõ, Medicus.

Locus generationis.

Est

Eſt autem arena illa tenuiſſima & puriſſima nihil omnino alienæ ſubſtantiæ ac terræ admiſtum habens inſtar agrorum, qui licet arenoſi ſint, fructum tamen ferunt Per hoſce cāpos paſſim innumerabilis copia iſtorum lapidum reperitur: maximè cùm à via publica ad vtramuis manum paulùm diſceditur.

Hìc cùm propè viam ad ſiniſtram maiuſculi lapidis veſtigia deprehendiſſemus, perfodere arenam cœpimus, vt radices conſpicaremur. Erat in eo loco arena admodum alta. Quam dum vndiq; tollimus, maiorem ſemper fieri truncum ſeu baſim animaduertimus. (Quanquam hoc perpetuum non eſt. Hoc enim anno circa eundem locum truncum inuenimus, magnitudinem eandem ſeruantem ad radices vſq;, vt arboris caudex defixus ibi videretur. Craſſitudo paulò minor, quàm quæ vtraq; manu plenè comprehenderetur) Tandem foſſa lata facta, altitudine aliquot pedū inuenimus ſub arena argillam pinguem cinerei coloris, ad cœruleum declinantis. Hanc cùm rumperemus, apparebat ipſam ex denſato & quodammodo concocto, vel ex dimidio permutato ſabulo concreuiſſe. Opinor ex promiſſione pinguium, calidorum, & fortaſsè ſulfureorum halituum talem fieri actione latentis in terra caloris. Venas multas rubiginoſo colore interſperſas habebat, vt ferri venæ exiſtimarentur. Non dubitabamus ſulfuris eas inditium argumentumq; eſſe. Oblitus ſum inijcere in ignem, vt odorem expenderē: tametſi tunc prorſus facere in animo haberem.

Argilla pinguis.

Per huius argillæ ſuperficiem (& intra eandem) propagines quaſdam huius lapidis in omnes partes ſpargi, atque à trunco paulùm ad latera, pollicis craſſitudine, aut paulò maiores excurrere vidimus. In ſuperficie duriuſcula cum eſſet argilla, mollior ſtatim, ac pedem vnum fodiendo deſcendimus, apparuit. At cùm ſecun-

do inſpiceremus, nihil remittebat durities, etiam cùm ad tres pedes, plus minus, perfodiſſemus.

Cochleæ paruæ, inanes.

In media iſta argilla pingui, cœrulea, rubiginoſis venis multis, vt dictum eſt, diſtincta, multæ cochleæ paruæ, albæ, inanes, reperiebantur: quas in eadem natas fuiſſe certiſſimum cenſebamus. Neq; enim tam altè vllo modo deſcendere: & tam profundè in argillam inſinuare ſeſe potuiſſent. Quęcunq; argillæ fruſta manibus rumperentur, multæ hinc inde ſparſæ in medio ipſius corpore apparebant. Harum aliæ lentis, aliæ ciceris, nonnullæ maiorem ambitum habebant. Verùm ita erant fragiles, vt leniſſimè digitis contrectatæ in puluerem verterentur. Ita porro affabrè & concinnè erant factæ, vt nihil artificij deeſſe eis cognoſci à nobis poſſet, quod in illis, quas ſupra terram reperimus, ineſſe perſpicimus.

Radices, non deſcendunt altè in argillam.

Cùm paulò altius fodiendo penetraſſemus, multa ſtatim aqua in foſſam infernè confluxit. Neq; ſollicitos ea res nos valde habebat, quòd trunci (ita baſim lapidis appello) radices, non multò altius in argillam deſcendere, ſed ferè circa eum locum finire cerneremus. Cùm ſecundò eadem hæc in eodem fermè loco inſpiceremus, argillam, vt dixi antè, duriorem & ſicciorem inuenimus. Quinetiam cùm altius multò perfodiſſemus, vix tandem humorem reperimus. Putauimus cauſam diuerſitatis hanc eſſe, quòd, cùm primò exijſſemus, terra adhuc humida fuiſſet, propter præteritam proximè hyemem, & nuper præcedentes pluuias copioſas admodum. Nunc verò, cùm ſecundò examinauimus, rationi conſentaneum videbatur, vt terra tota aridior appareret, propter præcedentem proximè æſtatem, & diuturnam aeris ſiccitatem. Etenim à die 25. Iulij vſq; ad præſentem diem, vix ſemel pluit. Quamuis enim nonnunquam per quartam horæ partem, inſtar

Cur in argilla nunc plus nunc minus aquæ ſit.

Aeſtas ſicca.

roris

toris aliquid aquæ depluiſſet, id quod ter fortè factum eſt, non potuit tamen ab exigua illa aqua puluis in ſuperficie terræ hærens totus madefieri.

Poſt expenſam profunditatem radicum in argillam de trunco vndiquaq; deſcendentium, reliquas partes explorare incepimus: idq; non in vno tantùm, ſed pluribus poſtea factum eſt: quanquam non pari diligentia cęterorum radices inueſtigauerimus: quòd ſimiliter in omnibus rem habere perſuaſum haberemus. Et ſanè veriſimile eſt, cùm in cæteris nihil inueniretur diſcriminis, radices quoq; ſimiles fuiſſe. Sunt ex hiſce truncis, qui magnæ arboris craſſitiem æquent. At non ex vno lapide ſolido, ſed ex pluribus teretibus partibus, ceu ramis quibuſdam ſimul colligatis conſtant. Eas interpoſitum ſabulum, quòd ſpacia intermedia replet, ita coniungit, vt vnum corpus exiſtimentur eſſe, priuſquā manibus contrectantur. Sed nec eadem omnibus eſt partibus craſſitudo, verùm maiores minoresq; inter ſeſe iunctæ cernebantur: quæ in pyramidis tamen formam vnà faſtigiarentur. Quæ res fortaſsè argumento eſſe poſſit, vt non supernè, ſed infernè eos naſci dicamus. At cùm vnus ſolus truncus ſurgit, par fermê eſt craſſities vtrobique, videlicet ſuprà & infrà, vt antè etiam monui. Cùm ferè ad ſuperficiem arenæ peruenêre ramos quoſdam rotundos, quales ad te iam antè aliquot miſi, per reliquam arenam emittunt. Ab eo loco eandem ferè magnitudinem, ſiue craſſitiem ſeruant, & raRò ſub arena, quàm in ſuperficie maiores inueniuntur. Quinetiam haud infrequenter eâdem craſſitudine, vt pollicis, aut digiti, aut maiore quantitate, ab imo ad ſupremam vſque ſuperficiem aſcendunt.

Truncorum magnitudo.

Non eſt difficile eos à reliquo ſabulo, internoſcere. Nā & duriores cōglomerato ſabulo, & cādidiores mul

tò sunt: & plerunq; rectà per arenã sursum ascendunt, ac si defixi supernè essent: interdum ad latera declinãt. Vbi ad superficiem vsq; pertigerunt, aut nõ procul ab ea absunt, (quales multos vidimus, quos tamen fractos esse, vero videbatur consentaneũ) partes aliquæ, vel ab hominibus, vel Cæruís, quorum ibi ingens est copia, alijsq; animalibus, vel à pluuia & ventis abrumpuntur. Sanè dum adhuc recentes sub arena occultantur, aut cum suo principio, hoc est trunco continuantur, fragilissimi sunt, adeoq; friabiles, vt in puluerẽ leui admodum confricatione digitorum comminuantur. Quòd cùm dico, non ad sabulum alio quouis modo coactũ siue conglutinatum, sed ad eum ipsum lapidem, qui in arenæ superficie de sua radice auulsus iacet, atq; à sole excoctus est, refero. Iam enim dixi, eos conglobata arena multò esse duriores.

Cur & quomodo albescãt Quæ hoc modo partes abruptæ, superq; arenæ superficie disperse ac soli expositæ aliquandiu iacuerũt, indurantur amplius, magisq; albescunt. Sed & crustã, quam à circumlito sabulo, quasi nigricantẽ corticem quẽdam contraxerũt, magna ex parte amittunt: quidã etiam seruãt. Hanc & à pluuia ablui probabile est. Præterea arefacto à sole humore, quo agglutinabatur, sua sponte decidere sæpe certum est. Ita namq; fieri vidimus, cùm in manibus nostris exiccari permitteremus. Ob has causas, omnia fermè illa fragmenta, quæ in superficie arenæ reperiuntur, ijs quæ sub ea conduntur adhuc, non tantùm duriora, verùm etiam vt plurimũ candidiora fieri existimo.

Notatu dignum. Oportet hoc in loco commemorem, quod & nobis videri iucundissimum fuit, & ad rem præsentem facit omnino plurimum. Cùm per campos illos arenosos vagaremur, & quid quolibet in loco obseruatione dignum appareret, notare nus, inuenimus ex hoc genere

lapidem,

lapidem, cuius tibi fragmentum mitto, ita vt sequitur natum. Crassitudo eius, vti vides, digitum mediocrem vix æquat, aut certè non superat. Longitudo fuit quinque pedum (nam dum adhuc integer in terra iaceret metiti sumus) æquali vbique crassitie, vt postrema eius pars, quæ extra sabulum cernebatur, nihilo minor ea esse videretur, quæ trunco infernè subeunti continuata erat. Dixisses baculum seu virgam fuisse sub arenæ superficiem à bubulco absconditam. Si non stipiti paulò crassiori ex profundo ascendenti, manifestè vt mox dicemus, continuatus fuisset, virga in lapidem conuersa videri potuisset negligentius intuenti.

Huius stipes, aut radix, vt sic vocem, quã paulò crassiorem fuisse dixi, ex profundo ascendens, rectà superficiem, vti ferè omnes solent, patebat. Ab ea cùm non longius abesset, quàm palmitem vnũ, recuruatus, inq; terram reflexus, per spacium pedum plus minus quatuor sub arena latens exporrigebatur. Extra arenã procurrerat pedem vnũ, aut eo amplius. Dubium nõ erat, vel ipsa loci, in quo repertus est, natura testificãte: quin vẽti sabulum, quo opertus fuerat, dispulissent. Erat etenim collis arenosus, procul ab arboribus, vt nihil ventorum flatus arcere impedireúe possit, vndacunq; spirent. Præterea extrema lapidis pars, quæ extra sabulum apparebat, solùm nõ vbiq; attingebat, sed nonnihil eleuata erat, ac si venti sabulum aridius, cui incubuerat, nuper depulissent, ac subtraxissent.

Huc illud quoq; pertinet, quod, licet iam ab arena tegeretur, adhuc tamẽ per vnius ferè pedis spaciũ cerni poterat. Siquidẽ arena quasi pro crassitudinis ipsius modo intumuisset, paulò altior cernebatur ea in parte qua lapis pergebat, vt sabulũ ei cessisse, spaciumq; progrediendi dedisse putaretur. In causa verò non hoc, sed humiditas fuit, per quam ei tenacius adhærebat, quàm

vt à ventis disijci tam facilè posset. Nam arefactum sabulum instar pulueris dissipabile cum sit, à flatu non magno longè lateq; disijcitur. Cùm humidum est, cohæret, nec difflabile existit. Sanè qua parte detectus erat, sabulum aridissimum videbatur. Vbi tegebatur, adeò erat humidius, vt vel ab ipso lapide aliquid accepisse humiditatis censeretur. Equidem isti lapides cuncti trunco suo continuati, humidiores multò sunt, quàm illi qui de trunco abrupti exiccantur. Ex quo conijcere licet, eos nonnihil humiditatis à matrice, vel trunco, vel radice perpetuò ferè haurire. A lateribus, quòd humectari æquè non potuisset, facilè dispersum est. Continuus erat, vt in eo nulla planè rima appareret. Vt primùm de terra sustulimus, in fragmenta, siue partes aliquot diuisus est. Nec præcauere, quin ita accideret, potuimus, licet valde cuperemus atque etiam conaremur integrum conseruare.

Vnde humiditatem contrahant lapides isti.

Ex ista enarratione promptum est intelligere, nullius eos animalis ossa esse, vt cùm alij, tũ ego quoq; de principio suspicatus fui. Quòd verò poros habent multos, sicut ossa, inde euenire nõ ambigo, quòd ex sabulo concreti sunt, cuius partes tã exactè coire non semper possunt, vt non poros meatusque aliquos pariant. Est tamen inter poros, qui in aridis ossibus cernuntur, & eos, qui in hisce lapidibus reperiuntur, magnum omnino discrimen: id quod libenter confitebitur quisquis eos diligenter cum arefactis ossibus, vt ego feci, contulerit.

Sabulosi lapides non sunt ossa.

Rotundam seu teretem figuram cum longitudine, à loco generationis & matrice, vt sic apellem, ipsos accipere certum est. Carent etiam pleriq; omnes ea inæqualite crassitudinis & tenuitatis, quæ in ossibus inest, sed eandem frequenter magnitudinem, vt ex suprà cõmemoratis perspici poterit, seruant. Quinetiam extuberationibus & capitibus illis ossium in extremitate

horum

horum apparentibus, destituti omnes fuerunt, quotquot ego conspexi: tametsi omnino multos viderim, eosque benè longos. Nodos seu capita multa habent eorum aliqui, sed non vt ossa in extremitatibus, sed in medio potius & à lateribus. Incurui etiam sunt, & tam varij hac in parte, vt cum ossibus nullis conuenire possint. Quod idcirco monere placuit, ne aliquis deinceps eos pro ossibus habeat.

Modus generationis eorum talis mihi esse videtur. Caliditas quæ in terra inest: ex pingui illa, de qua suprà à me dictum est, argilla & aqua subiecta, exhalationes siue halitus, siue vapores (pro eodem omnia hæc nomina mihi in præsentia ponentur.) crassos, pingues, calidos, & vt suspicor, sulfureos excitat plurimos. Hi sub arena certis in locis collecti, multas sabuli partes complectuntur, easq; pro viribus permutãt. Deinde coniunctim sursum tendentes per sabulum rarum, viam sibi, quà possunt, aperiunt, ac partes, quas cõprehenderunt, sua pinguedine conglutinant. (Suprà dixi, eos nonnunquã ad latera exporrigi, & obliquè per sabulũ ferri. Nõ enim semper via patet sursum ascendẽdi. Attamẽ quia natura sua sursum contendunt, pars eorum maxima ad superficiẽ ascẽdit.) Ista postea sic mista & glutinata inter sese, tum à subeunte infernè calore plures semper calidos vapores subministrãte, tũ ab eo etiam, qui supernè à sole in profundum pertingit, excoquuntur: ac pro cõctionis modo atque mensura, indurãtur albescuntq;.

Potest fieri vt sulfurei halitus vaporesúe causæ sint albedinis aliqua ex parte: præsertim cum suffitu sulfuris quædam albescere manifestè soleant. At sola hac de causa eos albescere vix dixerim. Argilla, de qua dixi hosce vapores tolli, alba quidem & ipsa est, sed minus multò quàm lapides. Nã cerulea potius quã alba est, & rubiginosas multas habet venas. Deinde cũ ex eodẽ sa-

bulo ipsa quoq; generata sit, calorem abundè etiã traxisse oportet. Traxit aũt procul dubio à vaporum permistione & coctione. Non negem tamen vapores, qui ab ea tollũtur, aliquid de albedine argillę retinere: & sic plura esse quæ lapides istos albos reddãt. Ipsum quoq; sabulum arefactum albedinis aliquid habet: vt hac etiã de causa facilius albescere possint. Atq; hos ipsos lapides nunquam æquæ candidos esse, cùm humidi adhuc sunt, atq; cùm arefacti sunt, certissimum est. Hinc suspitio est, eos sui coloris albi nonnihil à sabulo obtinere. Solum sabulum in causa non esse illud manifestè et validè probat; quod in ipsa etiam argilla longè eadem albidiores cernuntur. Quæ cum ita habeant, facilè credi poterit, albedinis huius non vnicam causam existere, sed plures concurrere.

Materia horum lapidum.

Portò ex solo sabulo eos non generari, notius esse puto, quàm vt explicatione verbosiore indigeat. Humore certè aliquo opus est, quo conglutinentur sabuli partes: quas cohærere, vniriq; per sese non posse notũ est. Sanè pluuiam aquam id efficere nullo modo credi potest. Non enim facilè, qui ita cogitet, rationem attulerit certam, cur certis tantùm in locis sabuli nascãtur: Cur tereti longaq; figura duntaxat fingantur. Cur infernè ex argilla ad superficiem vsq; superiorem, eadẽ illa figura, vt nunquam ferè extra circumscriptionẽ egrediantur, plerunq; continuentur: quo pacto aqua pluuia tantulas solũ partes sabuli coagulet, atq; in profundũ vsq; semper eo, quo suprà incepit, modo pergat.

Frustuà hîc tritum illud, qnod in rebus cunctis locũ habet, cùm rectè adhibetur, pro dissolutione huius difficultatis obijciatur, non omnes sabuli partes idoneas esse. Vt enim id verum sit, ad hunc tamen nodum dissoluendum nihil confert. Permanet enim prior difficultas, & accedit maior etiã: quomodo idoneæ aptæq; illæ

illæ partes ſabuli, quæ in teretem hanc lõgam figuram ſoli rotundari poterant, in vnũ ſemper ita locum coierint, vt ſemper verſus inferiora, nunquam, (aut per quã rariſſimè) ad latera inter ſeſe cohæſerint.

Pluuia certè aqua per omnes ſabuli partes ſimiliter deſcẽdere, ac ab omnib. æquè combibi videtur. Ergo cũ aqua pluuia non poſſit credi glutinũ eſſe huius lapidis, propter enumeratas cauſas, & abſurditatem rei, aliud quærendũ nobis erit. At vix aliud, imò ne vix quidem excogitabitur, præter iſtos, de quibus ſuprà memini, vapores atque fumos.

Probabilior ob id eſt noſtra ſententia, quòd Ariſtotelem habere videatur conſentientẽ. Etenim à vaporibus omnia foſſiliũ genera ſuccosq; concretos, & præterea lapides concreſcere docuit. Neq; verò fieri poſſe puto, vt ex ſolo vapore denſato iſti lapides ſabuloſi, de quib. hic agimus, concreſcant. Nam ſabulũ ineſſe, vel oculorum & dentiũ, ſi mandentur, iudicio, adeo certũ eſt, vt ſi quis dubitet, is mihi in meridiana luce tenebras quærere velle putetur. Frigore eos condenſatos concretósque oportebat. Hoc ſi eſſet, calore iterũ liquari fundiq; poſſent, id quod nõ eſſe verum compertũ habeo. Non enim magis ab igne liquantur, quàm calcarius lapis. *Conſtant ex ſabulo.* Quamobrem ex vtroq;, vapore ſcil. illo pingui, calido, craſſo, & ſabulo inter ſeſe miſtis ac percoctis concreuiſſe eos rationi conſentaneum eſt.

Certum porrò illud etiã eſt, non miſceri tantũ hæc inter ſeſe, vti vino aquã miſcere ſolemus, ſed trãſmutari à calore & percoqui, vt in formã quandam calcis, nõ tamen verã, abeant partes ſabuli pleræq; omnes. Nam non rarò integræ quædã partes ſabuli minimè permutatæ, nõnullę etiã ſemimutatæ, per lapidis ſubſtantiã diſperſæ reperiũtur. Magis permutantur, aut certè nõ minus, ſabuli partes, in iſtius lapidis generatione et coctio-

ne, quàm terra in coctis fictilibus, aut lateribus mutata cernitur.

Et huic quidē sentētiæ nostræ nihil video repugnare. Quòd enim suprà difficultatem habebat, nobis non officit. Dicimus namq; vapores non ex omnibus terræ subiectæ partibus eadem copia ascēdere, sicut ex omni aeris parte pluuia de nubib. defluit, sed ex alia pauciores, ex alia plures erumpere. Quæ causa est euidens, cur nō omnes sabuli partes, illæ, inquam, quæ transmutari possent, in lapidem istum conformentur.

Cur autem in longam istam figuram ferè tornētur: hinc etiam fortassè cognosci poterit. Vapor etenim copiosus certo aliquo in loco collectus, & superiora petēs, per arenam viam sibi, quà maximè potest, (eam veluti perforando, ac terebrando,) facit: ac partes, quæ in medio sunt, cogit, conglutinat, vnit, atq; reliquis vicinis se parat. Istæ sic mutatæ, partes proximas supra se eodem modo afficiūt, donec ad extremam perueniū sit superficiem. Dum ita partes quædam coguntur, & à circumstantibus separantur, in ambitum spacium relinquitur vaporibus (spacium hoc manifestè apparuit, vbicunq; emergere eos inuenimus) altius ascendendi, & superpositas partes simili modo permutandi.

Nota.

Iam tum ita coguntur, sua sponte superiores incumbentes inferioribus ipsæ quoque ab alijs discedunt, spiritibusq; viam præbent progrediendi amplius. Vbi verò sabulū densius est, quàm vt commodè penetrare spiritus isti queant, & ad latus spaciū est, ad latus tū quoq; dedeclināt. Potest hoc ex suprà recitata à nobis historia, longo illo, quem inuenimus, lapide, luculentè intelligi. quanquam rarius hoc euenire conspeximus. Plerique enim rectà per profundum ascendunt, leuiterque aliquando incuruantur, vt non nisi maximum circulum descripturi sua illa curuitate videantur.

Hunc

Hunc ego modum generationis eorum existimem potius, quàm eum, quo pili atq; vngues generantur. Nã sabulum sic semper nouum subire, & prius propellere, atq; vt in corpore excrementa, ita recẽs generari oporteret. Sed ipse quoq; locus, non ita eos gigni facilè & liquidò commonstrauerit. Non posset etenim fieri, vt nõ frequenter superarent sabuli superficiem. Imò plerunq; eminerent à subeunte sabulo protrusi. At nullibi hoc vidimus, sed semper intra superficiem, aut in ipsa superficie, desinere conspeximus. Quod suprà de longo illo diximus, huic non aduersatur.

Sententiam illud confirmare etiam videmus, quòd non isto in loco solùm, verùm etiam alibi, vbi tales campi extant arenosi, isti lapides inueniuntur, aliàs nusquã. Quâ hinc itur Francofordiam, circa villam Eberssdorff appellatam, magna eorum copia reperitur. Audiui etiã non procul à villa Schvuetzingen, & prope Igelheim, et Latinoburgum, campos tales esse, qui permultos ferãt. Quinetiam apud pagum quem Altam ripam vocant, in sabulo hic cis Rhenum, eosdem vidi. Quare cum nõ nisi in arenosis reperiantur, satis liquet, ex arena fieri. Si constaret similiter, talem arenæ argillam in ijsdem illis locis, vbi præterea reperiri diximus, subiectam esse, qualis ea est, quã nos vidimus, dubitari de sententia nostra minus posset. Sanè quia exteriora sunt inter se similima, probabile est interiora non multum discrepare. Commoditatem nactus, explorabo ipse, aut, si per negocia non licebit, alijs hoc imponam. Videntur certè vtraque requiri. Nec posse hunc lapidem, vbi alterum duntaxat reperiatur, gigni, vel ex iam dictis liqueat.

Quare facilè illis respondebimus, qui alibi quoque, similem argillam, id quod ego minimè nego, reperiri sine isto lapide asseuerant. Non enim est satis argillam ta-

lem, & ſub ea aquam, ſi ita libet, inueniri, de quibus vapores ſimiles efferri poſſint. Oportet præterea materiã idoneam, ex qua ille vapor eidem permiſtus tale quid efficiat, præſentem adeſſe. Nec ſatis eſt ſabulum qualecunq; adeſſe: verùm tale ſit oportet, quod et puriſſimũ ſit, & tenuiſſimum. Sanè campi multi viſuntur planè arenoſi, qui tamen: quia non ex ſimplici arena conſtant, admodum ſunt fœcundi. Iſtud aũt ſabulum ne herbam quidem facilè produxerit, exceptis admodum paucis, quales ſunt tithymali. Præterea ſi in profundo ſabulũ eſſe cogitetur idoneum, terram ſuper impoſitam ita raram eſſe oporteret, vt ſabulum eſt, quo vapores perrũpere, atq; ad ſuperficiem emergere poſſent. Et vt tales alicubi ſub terra naſcantur, non tamen perinde vtiles ſint. Quoniam experientia docuit illos eſſe vtiles in primis, qui duriſſimi ſunt albiſſimi. Tales autem fieri, niſi ſi expoſiti ſoli ſint, non facilè poſſunt.

Ex quali ſabulo generentur.

Quidnam cæteris ſint vtiliores.

Vt igitur finem faciã, & breuiter omnia dicam, cauſas efficientes huius lapidis iudico eſſe calorẽ ſubterraneũ & ſolarem. Materiam ſabulũ eſſe aio minutum, tenue, purum, conglutinatum à calido, pingui, craſſo, (& fortaſsè ſulfureo) vapore: quàm non materiæ tantùm, verùm etiã opificis aliquo modo rationem obtinere cenſeo. Locus generationi aptus, eſt ſabulum, tùm propter materiam, tùm propter raritatem peruioſq; meatus. Vidimus aliquot lapides inter fodiendum, plurimum à ſuperficie adhuc abeſſe, quos frangi non potuiſſe cõſtabat. Quòd ſi non ſuperiecta arena craſſior fuiſſe cogitetur, quàm vt iter vapori præberet, in generationis motu tales adhuc fuiſſe neceſſe eſt. Forma, non extra lapidem quærenda eſt. Figuram, à loco in quo generatur, accipere eos potiſſimum arbitror. Finis eſt is, qui foſſilium, lapidum & metallorum eſt, quorum vſus aliquis noſcitur.

Cauſa efficiens. *Materia.* *Locus.* *Forma.* *Figura.* *Finis.*

De vſu

De vſu porrò lapidis huius dicere plura, quàm didici ex aliꝭs, nec poſſum nec debeo. Poterunt aliꝭ forſan plura narrare, qui frequenter periculum eius fecerunt. Ego illa recenſebo tantùm, nec omnia tamen, quæ auditione cognoui. Id vbi fecero, quam de facultate eius opinionem habeam, & quò referenda omnia putem, breuiter indicabo. Ex iſtis eruditi facilè ratiocinari poterunt, quibus in morbis vſus eius aliquis eſſe poſſit. Vix medicamēti alicuius vires ſemel omnes cognitę exploratęq; fuerunt. Experientia occaſionem atq; cauſam diligētius cogitandi de talibus ſemper præbet.

Audiui ego non paucos, qui vſum eius in fracturis ac rupturis minimè aſpernandum eſſe aſſeuerant. Aiunt illi, ſi quis fractum os rectè in ſuum locum reſtitui curet, & ex iſtius lapidis puluere, emplaſtrum cum oleo, aut roſaceo, aut myrtino, aut maſtichino, modicaq; cera concinnatum imponat, ac eiuſdem pulueris drachmam vnã, vel paulò amplius, manè veſperiq; in liquore aliquo ſumat, eum intra paucos admodum, non quidem dies, ſed, quod admirabilius eſt, horas, ab omni dolore liberari: & poſt pauciſſimos dies membro vti poſſe. Debet autem non ſemel tantùm ſumere, ſed ad minimum ter. Aliꝭ tribus deinceps diebus, aliꝭ binis, aliꝭ ternis, exhiberi iubent. Audiui præterea à Ruſticis, quorum in fodiendo opera vtebamur, vt ſuprà dixi, ipſos auſos fuiſſe filiꝭs ſuis exhibere puluerem iſtius lapidis frequēter: & vna hac ratione rupturas inguinum percuraſſe. Emplaſtrum quidam, nõ ex huius lapidis puluere, quod tamen vtilius mihi eſſe iudicatur, ſed ex Geranio contuſo, & ſuilla pinguedine ſubacto compoſitum, fractis oſſibus impoſuerunt, non minore, vt ipſi quidem affirmant, ſucceſſu. Efficacius ſit, ſi pars maxima emplaſtri conſtet ex huius puluere.

Vſus horũ lapidum quis.

Certò certius eſt, eum ſiccare plurimum poſſe. Nam

Facultas horũ lapidũ.

præ ſiccitate etiam linguæ admotus per quam tenaciter adhæret:is preſertim,qui albus eſt,& à ſole rectè per coctus. Non minus quàm Bolus ille orientalis, & aliæ quædam tales terræ, tum exiccat,tum adhæret linguæ: & his fortaſſe amplius etiam. Non dubito quin vapor ille ſulfureus, ex quo gigni eum arbitramur, ſuas vires ipſe quoq; hîc conferat: vt minimè opus ſit in ſabuli naturam ſolius referre omnium effectuum cauſas. Quod ſi igitur ruptis,& illis,qui oſſa artuum confregerũt,tantoperè prodeſt, propter inſignem facultatem ſiccandi, qua præditum eſſe conſtat,iuuare tales poteſt. Poteſt autem prædicta,vt aiunt,non in hominibus tãtum præſtare,ſed etiam in brutis: vaccis videlicet, capris,atq; equis.Dicuntur mirè coaleſcere oſſa horum animalium diffracta, ſi & intra corpus exhibeatur puluis,& emplaſtri modo impoſitus ſit.

Perſanant fracturas oßiũ in beſtijs.

Adſtrictionem in eo, qui ſoli expoſitus fuiſſet, guſtu percipere nullam quiui. Quanquam hoc affirmare poſſum,ipſum non in parua quantitate emplaſtro,defenſiuo appellato inditum, quod ad arcẽdas defluxiones ad pedis vlcus,tibiæ circumponebatur ſupra locum vlceratum,mirè id ipſum reddidiſſe efficacius. Vſus eodem bis ſum interea, dum ad te primũ de hac re ſcripſi,optimo ſucceſſu in emplaſtri forma, (alijs præterea adſtringentibus & ſiccantibus admiſtis.) quod rupturæ partiũ circa vmbilicum in grauidis impoſitum fuit. Viſum eſt non ſiccandi modo facultatem emplaſtri, verumetiam adſtringẽdi poteſtatem maiorem effeciſſe.Sed qua hoc ratione eueniat, facilè intelligunt eruditi. Hæc fermè ſunt,quę de vſu huius lapidis habeo comperta Dico me comperta habere, non quòd periculum ipſe omniũ fecerim,ſed quòd à tam multis audiuerim,vt non credere aliquid non poſſim.

Vt fatear ingenuè quod ſentio, vim facultatẽq; ipſius tan-

tantam minimè arbitror esse, quantã ei tribuerunt illi, qui se periculum fecisse asseuerant. Non enim nescio, quam facilè homines imperiti artis medicæ, in istis fallantur. Vix dubito Bolum orientalem minus efficacem futurum, si quis ad hæc vti malit, tametsi maioris ita sanitas homini multò constet. Valdè increbruisse vsum eius per vniuersam Germaniam audio. In Pomeraniam usq; magnam eius copiam ab equitibus, qui salutarem eius vim exploratam se habere mihi affirmarũt, deportatam certò scio. Innotescet alijs fortassè regionibus etiam propter incredibilem vtilitatem, quam præstare ante dictis morbis dictitant.

Imperiti facilè in experiẽdo falluntur.

In Pomeraniam deportatus est.

Fieri potest, vt aliæ quoq; Nationes eundem habeãt: præsertim ubi terra sabulosa reperitur soli exposita, arboribusq; nuda: tametsi nec vsum fortassè norint, nec generationis modum locumq; obseruarint. Placuit hac potissimum de causa, tàm diligenter eius natales describere, quo alij facilius in suis regionibus eundem quærerent ac inuenirent. Non audeo commemorare, quæ quantaque miracula de eo audierim. Plura non credo, quàm quæ ad facultatem siccandi, quæ sanè perquam strenua in eo inest, rectè, aptè, verè possunt referri. Ergo cum incerti nihil ad te scribere decreuerim, nunc finem scribendi facio: præsertim cum epistola modum excessisse iam quoq; existimari queat. Vale.

FINIS.

INDEX RERVM AC VERBORVM HVIVS OPERIS NOTABILIVM LOCVPLETISSIMVS.


Brahamus à Zadkiele angelo Cabalã diſcit 275
Abyſſi elementorum 132. 138
Acerui & cramatis differentia 200
Acida & Salſa propriè non miſcentur 216
Actio læſa & Calculus in eodem prædicamento iuxta Paracelſ. 8
omnis à vita eſt 258
Actiones ſunt compoſitorum 126
qui negauerint corporibus 127
Actus ſpecie differentes ſubiecta habent ſpècie diſtincta 136
natura præcedit potentiam in diuerſis 81
Adamas aere ſicco alitur 257
Adamus non omnium hominum primus pater eſt 137 *à Raziele Cabalam edoctus* 235
Aer ſulphur Chemiſtarum eſt 74 *nutritionis cauſa* 255 *nec ſal nec ſulphur nec Mercurius eſt Paracelſ.* 93 *facile flammam concipit* 75 *cur ſiquidem dicatur* 67 *Meteor. cella* 253 *ſiccus tantum Paracelſo* 64 *non poteſt arte Chemica ab alijs elementis ſeparari* 53
Aeris fructus 158
aeris nullum nomen proprium in ſacris extat 67
aerem ſeparatim in miſtis oſtendi non poſſe 151
Aeſculapius Cabaliſta fuit 14
Aeſtas non fit propter acceſſum ſolis ad Augem 234
Aeſtiuarum ſtellarum 32 *ordines* 243
Albertus Magnus de lapidibus ſcripſit 282
Alimentum & augmeutum quæ capiunt ea corrumpuntur omnia 153
alimenti & excrementi uis ſimilis Paracelſo 177
alimẽta ſunt rerum quas alunt elèmenta 56
aliquid eſt ex quo omnia fiunt 26
Allegoricæ Cabaliſtarum explicationes 272
ἀλλοίωσις abſq; ſenſibilibus qualitatibus non perficitur 88
alteratio totius ſubſtantiæ fit in miſtione 196
Altrix facultas unde 157
Amara propriè non miſcentur 216
Anagogica expoſitio Cabaliſtarum 272
Analyſis compoſitorum non extenditur ultra principium compoſitionis 91
Anaxagoræ de principijs opinio 31
deliramenta de anima Hippoc.

ſecu-

secutus 188
Anaxagoræ de elementis opinio 49
Anaximandri de elementis sententia 49
Andreas Mathiolus 252
Angeli ex sulphure sale & hydrargyrico constant 35
angeli authores Cabalæ 275
angeli artes docent 13
Anima operatur omnia igne 174
anima & natura differunt 261
anima nostra sola sine subiecto consistit 131
animæ elementa quid 125
anima particeps corporis elementis præstantioris 169
anima nec miscet nec coquit nec generat sine calore 217
anima quid Democrito 256
anima calore utitur uti artes igne 181
animæ essentiam Hippocrates non intellexit 187
animæ species Vegetatrix sensitiua, mouens & rationalis 262
animæ & corporis glutinum 166
animæ brutorũ temperamento sunt nobiliores 179
animæ formant sibi corpora idonea 135
animæ omnes in conceptu potentia prius insunt quam actu 167
animam dicentes texere Aristoteles ridet 130
animarum speciẽ augent Paracelsici 262
animarũ uehicula, Aristotelica probari non posse 166
Animalia non mori non asserit Hippoc. 192
animalia plura in firmamento nasci Paracelsus autumat 235
animalia spiritib. solis non aluntur 220
animatæ res non solæ ordinatè agũt & fiunt 261
ἀπόκρισις & φύσις idem sunt Hippoc. 194
Aqua tantummodo humida Paracelso 64
aqua pluuialis quomodo generetur 232
aqua est Mercurius Chymistarum 74
aqua uisibilis elemento aquæ aduersatur 99
aqua super quam spiritus Dei ferebatur matrix fuit 66
aqua fortis aurum ab argento separat 195
aqua mundus facta 134
aqua puriss decocta in aerem abit 48
aqua omnia reducit in nihilum 254
aquæ fructus metalla & metallica 158
aqua mumiæ 189
aquæ & igni omnium rerum generat. tribuit Hippoc. 192
aquæ super cœlum quæ sint Mosi 68
aquæ an in cœlo sint 67
aquarũ nomine quid intelligat Moses 67
Aquea quid ex aqua habeant 255
Arabes quidam corporibus actiones negarunt 127

Arabum de cœlo opinio 23
Arcanum quid 128
arcana omnium indiuiduorũ sunt æterna 137
Archeus pluuiam in stella ceu in olla coquit 236
argenti essentia aquea 184
Aristoteles & Plato, Paracelso ab inferis commendantur 20
aristoteles non cognouit quintam essentiam 165
aristoteles quomodo ignem in mistis ponat 55
aristeteles iuxta nouitios Paracelso inferior 198 ad autoritatẽ non sufficit Erasto. ibidem
aristoteles quid per priuationem uelit 29
aristoteles ab iniuria uindicatus 139
aristotelis contradictio explicata 181
aristotelis locus de animo & corporis coniunctione explicatus 167
aristotelis Meteora Paracelsus inspexit & reiecit 11
aristotelis & Paracelsi principiorũ cognatio 35
aristotelis genuina de semine sententia 177
aristotelem in principijs non potuit notare Paracelsus 45
Ars Lullij 274
artes & scientiæ non exactè tradun tur in sacris 68
artium fabri in Planetarum domibus 15
Asini omnes immortales apud Paracelsum 148
asini apud Paracelsi hominibus feliciores: nam multis seculis nobis sunt antiquiores 146
asinino semine refertus est mundus 149
Astra ad bona & ad mala auxilio sunt 11
astra ex tribus primis composita 35
Astronomia à Medicina & philosophia non differt Paracelso 4
astronomia adepta Paracelsi magistra 14
Astrologorum de cœlesti institutione opinio 22
Athenæus à Galeno reprehensus 36
Athenienses philosophi ad Paracelsum scribunt 20 hodie in terris non extant. ibid.
Atomi rotundi, anima Democrito 256
Auerroes de unitate intellectus opinio 148
auerrois opinio de principijs 31
Augustinus priuationem rationem seminalem appellat 29
Augustinus hominem non corpus non animam solam esse uult 130
Auroræ causa iuxta Paracelsum 236
Aurum ab argento per aquam fortem separatur 195
auri primum Ens quid sit 150

auri essentia ignea 194
Auster uentus calidus & humidus 231
Authoritas in argumentis nonnunquam non aspernanda 86

B

BAlsamus uitæ 113
Balsamus & Mumia idem Paracelso 86
Balsamus corruptis elementis in materia sua remanet 149
Balsamus uniuersalis 182
balsamus non potest in tria elementa separari 155
Balsami nullibi meminit Hippocr. 188
Balsami tegumenta ex elementis cōstant 157
Balsamum quid 128
Balsamum antiquornm nullibi amplius reperitur 191
Balsamum omnibus rebus inesse Paracelsus contendit 182
Balthasar Branchius D. 3
Bilis copia unde in quibusdam corporibus 143
Boreæ temperamentum 231
Bouis Stercus mures generat 143
Buxi anima quid 122

C

CAbala quid sit 272
Cabala duplex est 17
Cabala artium magistra 13
cabala oppugnatur 275
cabala est Theologia Anagogica 272
Cabalæ partes duæ principales 272
cabalæ Author quis sit 273
cabalæ nomen quid significet 227
cabalæ authores angeli 275
Cabalam laudabile & licitam Paracelsici ignorant 17
cabalam ueteres Theologi despexerunt 278
cabalam nouisse omnium intererat apud Iudæos 278
Cabala Iudæi abutuntur 272
Cabalæi & Talmudistæ quomodo differant 274
Cabalistæ mirabilia pollicentur 274
cabalistarum triplices expositiones 272
Cacodæmon Paracelsi præceptor 21
Calamentorum corpus 132
Calculus & Actio uesicæ læsa sunt in eodem genere Paracelsistis 8
calculus obstructionis causa quatenus 9
calculus & humor non gigni contendit Paracelsus 253
Caliditas & humiditas Paracelso non coniunguntur 64
caliditatem generantem quomodo Aristot. doceat 168
calor ignis nihil generat 169
calor seminis unde generandi uim habeat 173
calor fœcunditatis & generationis author non est igneus 168

calor in spiritu seminis contentus animarum socius fit 167
calor natiuus seu ingenitus ab elementis est 175
calor seminis ab elementis calet, generat autem à meliore causa 174
calor seminibus insitus ab Aristot, non dicitur cœlestis 168
Calorem esse ac ui gignendi praeditum esse differunt 173
calore anima ut igne artes utitur 181
calore sine Paracelsici nihil fabricant 222
Calx musco obducitur 263
Cananaæ terræ Anagogica expositio 273
Carbunculus noctu lucet 258
Cardanus metallis & lapidibus uitam tribuit 256
Cardanus reprehensus 59
Cardanus ignem elementum esse nō Vult 50
Cardani somnia à Fallopio & Scaligero explosa 256
Cardani argumenta de uita metallorum 263
Caro uermibus nobilior 268
Categoriæ quid sint 6
categoriarum distinctio iuxta Paracelsistas 7
categoriarum usus ibid.
categoriarum ulcerosa dispositio à Paracesista, restituta 5
Caua non sunt statim uacua 105
Caulis quid 150
Causæ morborum Diatheses à Galeno dicuntur 9
causa & effectus in eodem sunt genere 8
Characteristica Cabala 273
Chemiæ studium in Paracelso 5
chemiæ studiosi philosophi dicuntur Chymistis 52
chemiæ summum artificiū in igne temperando 73
Chiromantiæ præstantia iuxta Paracelsum 13
Chirurgiæ deditus Paracrlsus 3
Christus fulmina mittit sed Pennates dirigunt Paracelso 237
christus Logicis argumentationibus usus in Euangelio 10
Christus an pro nobis mortuus Paracelsus dubitat 98
Cibus præparatus artificio tum demum cibus fit 265
cibi an ideo quod non fœteant rectè uiuere dicantur 265
cibi absq; insito calore in sanguinē conuertuntur Paracelso 170
cibi omnes uiuunt quia non fœtent 258
Cineres salis nomine afficiuutur 73
Cinnamomum uerum antiquorum nullibi extat 191
Cinnamomifera regio nunc quàm olim notior 191
Cœlum & astra ante separationem unicum fuerunt elementum ignis 97
cœlum cur manè & uesperi quandoq; rubeat 236
cœlum quomodo doctos afficiat Astrologis 22
cœlum fructus arborum instar non fert

fert 225
cœlum Aristot. elementũ vocat 46
cœlum alitur vaporibus apud Paracelsum 164
cœlum quid in Sacris 67
cœlum non est elementum mistorum 97
cœlum Paracelsus elementum facit 70
cœlum est mens atq; ratio Paracelso 271
cœlum Paracelso nil nisi fumus feruens 253
cœlum capsa est, stellas & ignem cõtinens 96
cœlum præceptor Paracelsi 15
cœlum ex tribus primis compositum 35
cœlum ab igne conflagratum iri sacræ literæ docent 123
cœlum solum rectè elementum diceretur iuxta Paracelsistas 123
cœlum & ignis differunt 165
cœlum Paracelsus ex sale, sulphure & mercurio fabricat 84
cœlum quatenus poßit vocari elementum mistorum 123
Cœli conuersiones mistionem rerũ adiuuant 197
cœli partes sunt pars materiæ mistorum Paracelso 164
cœli non sunt corruptioni subiecti 57
cœli & spiritus incorporéi constant ex fumo 204
Cœlestis calor æquocè calor est 176
Cœrulerus et flauus ac violaceus cœli color à sale est 237
Cogitationes in corpora permutari Paracelsus credit 117
Color spiritus corallorum 128
Colorata quoad talia sunt cur non verè misceantur 213
Compositorum resolutio quousque extendatur 91
Cõciliatoris de cœlesti institutione opinio refutata 23
concretum ex materia esse & illud in se continere differunt 156
contenta elementorum iuxta Paracelsicos 129
Contineri aliquid ab aliquo non vno modo tantùm dicitur 116
Contraria ex Paracelso facilè est defendere 37
Contradictiones monstrosæ cuiusdã Paracelsistæ 112
Coralli spiritus est rubedo 122
Corporea & incorporea edere ac bibere oportet 248
Corporeum & incorporeum sunt contradictoria 219
corpus non potest fieri incorporeũ virtute naturali 109. nullum ab igne prorsus consumi potest 110
corpus in natura nullum simplex apud Paracelsicos 133
corpus omne compositum est. 30
corpus & corporeum quomodo differant 39
corpus non potest ad nihilum reduci 48
corpus quoduis an in ea ex quibus componitur resolui poßit. 42

corpus simplex perperam negatur absolutum esse in suo genere 38
corpus omne vel est elementum vel ex elementis 120
corpus omne compositum est 69
corporis & animæ glutinum Aristotelicum 166
corpora crassiora quæ videmus sola ex elementis constant 157
corpora Paracelso ad nihilum reducuntur 210
corpora componuntur ex iis in quæ resoluuntur 35
corpora animalium non aluntur solis tenuiss. spiritibus 220
corpora ex incorporeis fieri Paracelsus & negat & affirmat 40
corpora viuunt etiam quæ non nutriuntur 262
corpora non sunt ociosa 207
corpora crassa & sensibilia an sint mixta 222
corpora Paracelsica quo abeant post corruptionem 219
corpora inuisibilia ex elementis fabricat Paracels. 203
corpora agunt vi formarum. 127
corpora ex non corporibus veluti materia confici 108
corpora ex incorporeis non coalescunt 117
corpora ex incorporeis concrescere dicere est insania 220
corpora diuiniora quæ dicantur 178
corpora solum maioris & minoris ratione differunt Paracelso. 217
corpora omnia in sulphur, salem & mercurium resolui, mendacium esse 72
corporum vsus iuxta Paracelsi asinos 207
corporum nisi corporea principia agnoscit natura 35
corporum principia non sunt corpora 39
Corruptionem & generationem quomodo idem dixerit esse Hippoc. 193
Crama ex uino & aqua 198
crama à cramate quomodo differat 200
cramatis mistio qualis sit 200
cramatis & acerui differentia. 200
Creationem Paracelsus non agnoscit 83
creata non omnia nutriuntur verè 239
crescentia omnia ab ignis elemento nascuntur 254
Cucurbitulæ cur humores excita attrahant 105

D

DAns prior habet eo qui accipit 82
Dæmones gagatis oleo ac fumo fugantur 258
dæmones ex aere fabricat plato 98
dæmones cur omnia nostra nota habeant 22. ex eodem sunt limbo effecti ex quo nos, ibidem
dæmones eiecisse mosen mentitur Paracelsus 278
Democritus atomos elementa fecit

cit 49
democriti de lapidum vita opinio explosa 256
Deus non fuit Paracelsi magister 23
deus solus miracula facit 280
deus viuorum est non mortuorum 10
deus Paracelso non creauit in principio cœlum & terram 83
deus ad agendum non eget ideis. 144
deus non creauit corporea duntaxat 241
deus homini spiritum inflat 131
deus & natura quæ separata existere voluit inseparabilia sunt. 91
deus Moisi in monte Sinai cum lege Cabalam tradidit 273
deus informen nullam materiam creauit 31
deus & principia Paracelsi idem nomen habent 70
Dei verbo fiat, tres species creatæ. 70
Deum atq; homines rident Paracelsici 228
Dij ex æthere fabricati 98
Deos syluarum, montium, lapidum cum gentibus fingit Paracelsus 98
diuiniora corpora quæ dicantur. 178
diabolus multa medicamenta ostendit 24
diabolorum agmina accersebat Paracelsus 2
Dialectices ignarus Paracelsus 4
dialogi huius vsus in medicina. 270
dialogi materia & propositio 1
discipuli Paracelsi magiæ studiosi 3
dispositiones nec generantur nec corrumpuntur 34

E

EBullitio causa incrementi omnium rerum Paracelso 255
Edere & bibere tum corpora tum incorporea oportet 248
Eleazar Vespasiano præsente dæmonem eijcit 279
eleazar Rabinus 275
elementum quid sit Paracelso. 98
elementum nullum purum apud nos inueniri 161
elementum est anima & vita rerum 257
elementum perdestinatum reliqua tria in se continet 161
elementum prædestinatum Paracelsi quid 184
elementum quid 45
elementum est spiritus viuens & elementorum quasi anima 120
elementi est vita creaturarum. 99
elementum vnum nullam in se habet diuersitatem 224
elementi definitio Paracelsistarum 101

elementi descriptiones Paracelsicæ 101
elementi nomen cœlo tribuitur 46
elementi nomine Paracelsistæ flagitiosè abutuntur 103
elementa vulgaria quatuor non sunt elementa Paracelsicis 107
elementa Paracelso non sunt vasa, capsæ, receptacula 98
elementa sunt corpora, non autem inanitates 104
elementa solus Paracelsus noua statuere ausus 87
elementa duo tantùm ponit Paracelsus 65
elementa in mistione tota alterantur 60
elementa qua ratione à priscis inuenta 46
elementa singula alia tria in se continere Paracelsus cōtra seipsum affirmat 159
elementa sint mutabilia & nihilo minus χωριστά. 89
elementa X V I. numero iuxta Paracelsicos 160
elementa cur facilius infima petant 52
elementa ex nihilo creata virtute verbi 71
elementa sunt incorporea inania & vana Paracelso 102
elementa nostra non sunt pura 51
elementa corpora sunt simplicissima in sublunari globo 38. in quem vsum creata à Deo. ibidem.
elementa singulas tantùm qualitates obtinent Paracelso 64
elementa iuxta Paracelsum & suos discipulos sunt XXXII 160
elementa apud Paracelsum duplicia sunt 70
elementa ex vno creata, rarefactione & condensatione 52
elementa sola constant ex prima materia 32. creata sunt. ibidem
elementa corporeas matrices vocat Paracelsus & continentia ac contenta 120
elementa simul esse nequeunt Paracelso 202
elementa corporibus quæ continent alimenta non suppeditare 113 114. 115.
elementa ex tribus primis composita 35
elementa singula sua animalia tū bruta tum ratione prædita continent 98
elementa actum habent, non sunt actus 130
elementa à principijs differunt 25
elementa aliter Paracelsus, aliter discipuli eius tractant 105
elementa Paracelsi vnicam tantùm admittunt contrarietatem 89
elementa carent dimensionibus 111
elementa non sint matrices tantùm 122
elementa sunt XII. iuxta Paracelsum 121
elementa tantùm quatuor esse 50
elementa continentia Matrices dicuntur 113
elementa non sunt corpora Paracelso

so 95
elementa simplicia non sunt Paracelso 46
elementa non sunt matrices & Receptacula 103
elementa non posse in corpora resolui arte Chemica 41
elementa Paracelsica singula per se consistunt 69
elementa mistorum sunt materia 172
elementa duo simul esse non possunt 64
Elementorum Paracelsi nullus est vsus 92
elementorum formæ an sint qualitates 62
elementorum semina iuxta Hippoc. 193
elementorum separatio Paracelsica falsa est 52
elementorum proprietates Paracelsi quæ sint 79
elementorum numeri ex qualitatum numero demonstratio 60
elementorum numerus quomodo sit inuentus 48.
elementorum rudimenta Paracelso vt defendantur 159
elementorum generatio reciproca est 43
elementorum officia Paracelsus mõstrosè pingit 254
elementorum calor non generat, sed cœlestis tantùm 169
de Elementorum fructibus quomodo Peripatetici & Paracelsici differant 188
elementorum mistionem Paracelsus aliquando concedit 206
elementorum proprietas est vt sint mistorum materia 130
elementorum numerum numerus iuxta Paracelsum 96
elementorum tractatio Paracelsica scatet contradictionibus 162
elementorum doctrina in sacris comprobata 66
Elementis non insunt actu omnes corporum facultates 78
de Elementis sine ratione loquitur Paracelsus 66
Eliæ libri fictitij 280
Empedocles refutatur 22
empedoclis sententia de mistione explosa 202
Enoch libri fictitij 280
Ens primum quid Paracelso 250
ens corporeum à Deo ex nihilo creatum 111
entia quid Paracelsicis 104
enur fumus lapides perficit. 249
Erastus apud eremitas fuit, nihilo doctior tamen rediјt 23
Esdras primus Cabalista 274
Euestrum pars hominis syderea. 124
euestra Theophrasti quid sint 20
euestris artium inuentionem tribuit Paracelsus 14
eurus calidus & siccus 231
Eusebius de lapsu primorum parentum 21
Ex vocula quid designet physicis. 27

Excrementum cum alimento vim similem habet 177

F

Faber Paracelsi rudis 218
Fabri spiritus Paracelsi 15
Fabula de primo Ente 150
Fabula de Ispida auicula Paracelsi 151 ab ipsius quoq; discipulis irridetur 152
Ferrum quadam stellæ attrahunt 235
ferrum ex solis lumine concrescere falsum est 247
in Firmamento salem, sulfur & Mercurium Deus posuit 243
Flores æternitate carere 149
Flumina in mare fluunt & ad fontes suos redeunt 190
Fœcundus calor non est igneus 168
Forma nulla sine proprio subiecto consistit excepta anima nostra 131
forma qualibet calore proprio utitur 59
forma non est corpus 30
forma naturalis nulla separabilis 209
forma non dat habilitatem 30
forma an substantia sit vel accidens 41
forma est principium quo compositum agit 126
forma nobilior elementati an in elementato consistat 178
Formæ quod sit principium 172
ad Formam nō datur regressus à priuatione 43
Formæ elementorum 62
formæ primò nec agunt nec patiuntur 197
formæ naturales numerorum instar sunt 33
formæ naturales corporeæ sunt 39
Formarum originis ratio iuxta philosophos 178
Formatricem vim nemo vnquā pro elemento posuit 153
Fornaces conficiebat Paracelsus si sobrius esset 12
Fructus cœli fiunt generabilium partes 164
fructus elementorum ignis Aeris, aquæ, terræ 158
Fulgetra quid sint 59
Fulgur quid 244
fulgur & fulmen Paracelsus non distinguit 237
Fulmen quid 244
fulmen an Christus vel pēnates mittant 237
fulmen frigidum in lapidem concrescit. 245
Fulminis & venti generatio iuxta Paracelsum 240
Fulmina fructus ignis 158
Fumus incrementi causa est 255
è Fumo res omnes coaluerunt 220

Gabri-

155

G

Gabriel Fallopius de lapidibus 252
Gagates attrahit paleas 258
Galenus apud inferos Paracelsi libris & literis salutatus 19
Galenus censet veterum de elementis sententias 49
Galenus suam medicinam damnat Paracelsicam probat 20
Galenum Paracelsistæ nō legunt sed contemnunt 22
Gemmæ è cœlo delabuntur 247
gemmæ fructus aquæ 158
gemmæ non fiunt arte Cardano 264
Genera subalterna Paracelsi 7
genera & species non sunt extra indiuidua 132
γένεσις & ἀπόκρισις idem sunt Hippocr. 194
Generans & generatū similia sunt 65
generare caliditatem quomodo Aristot. doceat 168
generatio duplex, vniuoca & æquiuoca 227
generatio in rebus natural. non est reciproca 43
generatio & corruptio omnimoda ab Hippoc tollitur 190
Generationis author potestas 227
generationis duo modi 43
generationem quomodo describunt Paracelsici 267
generationem & corruptionem vt idem esse Hippocrat. dixerit 193
Generationes non fiunt ex mistis elementis 102
Genitum ei quod gignit simile esse oportet 253
Georgius Vetterus Paracelsi discipulus per biennium fuit 2
Georgius Agricola de lapidibus 252
Georgij Agricolæ laus 246
Glacies & ignis nihil generant 171
Globi tormentorum bellicorum quaui eijciantur 221
Glutinum animæ & corporis Aristotelicum 166
Γονὴ & σπέρμα quomodo distinguat Aristot. 139
Grando est fructus ignis 158

H

Haematites sanguinem sistit 258
Hæbrais quid designet cœlum 67
Heluetij irrident eremitas & Paracelsum 23
Heraclitus de elementis 49
Hilarij sententia de Cabala Mosi tradita 275
Hippocrates à Paracelsicis in patrocinium uocatur 185
Hippocrates quomodo à Peripateticis differat 189
Hippocrates in libro de dieta nec

sibi nec veritati consentanea dicit 185
Hippocrates res omnes ex quatuor notis elementis constituit 50 à Paracelsicis quibusdam deprauatus ibid.
hippocrates Cabala vsus ixta Paracelsum 14
hippocrates non fauet Paracelsicis 188
hippocratis contradictio 186
hippocratis de mistione sententia 214
hippocratis cum Platone, Aristotele & veritate pugnantia 186
hippocratis de indaganda rerum notitia præceptum 25 à Platone laudatum. ibidem
hippocratis de anima sententia explosa 256
hippocratis de elementis sententia 49
hippocraticæ de anima sententiæ non admittendæ 186
Homo non est sola anima sed compositum 130
homo microcosmus 125
homo ex duobus corporibus compositus elementari & sidereo 124
homo hominem generare iussus 227
homo ex quatuor elemẽtis factus Paracelso 205
homo ex omnibus compositus omnia intelligit 22
homo actu in se continet omnes totius mundi partes 164
homo cur & quomodo uocatus sit microcosmus 269
homo ex tribus corporibus compositus 165
homo ex terra puluere creatus à Deo 131
homo ex quot partibus componatur à Paracelso 270
hominis sideream partem interituram Paracelsus ait 124
homines quibus modis doceantur iuxta Paracelsum 15
hominum corpora in uermes & pediculos mutata 42
Hortus principis Electoris hyeme virens 181
Humores diuersi cur à diuersis ex eodem alimento concoquantur 148
Hydrargyrum per Chemiam ex mistis paratum est mistum corpus 80
hydrargyrium frigidum est & humidum 232
hydrargiron cur in fumũ vertatur 80
hydrargyri essentia aerea 184
Hieronymus Scallerus medicus Norimbergensis Chymista 8

I

IAcobus à Peliele angelo Cabalam discit 275
Ideam materiatam fieri an concedendum 144
Ideæ Platonicæ à Paracelsicis seminibus differunt 144
ideæ philosophicæ author fatuam opinionem Parac. defendit 255
ideæ à Theologis in mente diuina collocatæ 144
Ignis non est elementum quia solum corrum-

corrumpet 97
ignis semper est in actu secundo 100
ignis in mistis non est ζωσις 171
ignis per se solus non generat 170
ignis purus omnia corrumpit, nihil generat 56 cur paucus sit in mistis. ibid.
ignis inter elementa formæ & habitus rationem obtinet 58
ignis multa frigida producit 65
ignis non abit in nihilum 48
ignis quid agat tum in animatis cũ in inanimatis 174
ignis quomodo gignatur Paracelso 85
ignis stellarum elementum 238
ignis an in mistis contineatur 55
ignis & cœlum differunt 165
ignis Paracelso cibos uertit in sanguinem absq; insito calore 170
ignis quatenus generet 180
ignis tantùm calidus non etiam siccus Paracelso 64
ignis est mors quædam uisibilis 97
ignis non potest instrumentum esse formæ nisi pars misti sit 58
ignis uitæ causa ibid.
ignis à terra fixuram obtinet 254
in propria sphæra non videtur 59
ignis sulphure prior est cum tamen ex sulphure natus dicatur Paracelso 83
ignis est vita 258
ignis actu ignis non potest à misto separari arte Chemica 155
ignis cur nõ expreßè meminerit Moses 68
ignis munus 189
ignis incrementi causa 255
ignis fructus 158
ignis regimen summum Chymiæ artificium 73
igni cur summum locum tribuerunt philosophi 54
igni & aquæ omnium rerum generationes tribuit Hippoc. 192
ignem ex elementorum censu sustulit Cardanus 50
ignem Paracelsus elementum vocat 50
ignem Paracelsus elementũ non facit 70
ignem in mistis contineri 53
omnium rerum naturalium calidiß. esse 54
Iliaster pluuiam coquit 236
Imaginariæ compositio reali non opponitur 92
Immortalitatem omnium rerum asserunt Paracelsistæ 145
Inane corpus esse, elementum est non imaginabile 114
inanimatis ordinẽ negare est impiũ 261
Incorporeum & inane non potest solidum vel cauum censeri 129
incorporea cerni et separari non possunt 119
Indiuidua omnia morti obnoxia 137
indiuiduorum omnium arcana sunt æterna 137
indiuiduorum eiusdem speciei differentia vnde 149
Influentiæ occultæ à Magis excogitatæ 225
Insularum nouarum homines nõ ab

Adamo descendunt 137
Interpretatio duplex historica & mystica 272
Intellectus noster aqua volatilis 254
intellectum vnum numero in omnibus hominibus asserit Auerrhoes 148
Inuisibilia corpora Paracelsus fabricat ex elementis 203
Ioan. Oporinus Paracelsi discipulus 12
Ioãnes Picus de Cabala praeclarè sentit 275
Iophiel Semum Cabalam docet 275
Iosephi in Genesis 1. caput explanatio 68
Iosuam cohortatur Moses de legis doctrina 276
Isaacus Cabalam ab angelo Raphaele discit 275
Ismael Rabinus 275
Isspidae auiculae cutis arefactae cur quotannis nouas produeant plumas 151
Iudaei Cabala turpiter abutuntur 272

K.

Κῆμα quid 177
κύημα plantarum semen rectè vocatur 140

L.

Labyrinthi Paracelsici 138
Lac ex caseo, butyro, seroq; est commistum 39
Lapides in aliis elementis quoq; reperiuntur 248
lapides multi ab igne non funduntur 249
lapides ex fumo Enur 249
lapides ex sole uel planetis decidunt 248
lapides vt plantae et animalia viuũt 256
lapides fructus aquae 158
lapides corpora terrea sunt non aquea contra Paracelsum 250
lapides cur organis careant 172
lapides edunt ac uiuunt 257
lapides sunt excrementa siderũ 247
lapidum obscurorum materia 249
lapidum generatio 245
lapidum generationis modus 247
Laserpitium veterũ nullibi amplius extat 191
Limbus Paracelsi quid 271
limbus semen primorum hominum 135
Lingua quale organum 208
linguarum studia Paracelsus damnauit 4
liquor corporũ Mercuri⁹ dicitur 73
Literarum quis sit usus 279
Locus conseruat locata 108 & quomodo. ibidem
locus nec pars est nec materia 118
locus est extremitas corporis ambientis 137
locus non est pars locati 103
Lodas Rabinus 275
Logicae uerus usus 9
Logicã Paracelsus exitiosam dicit 4
Luciani uera historia 23
Lulliana ars 275
Lumen corpus est Paracelso 257
lumen Naturae unde & quid sit 16

Lumen naturale non damnat Erastus 21
lumen naturale uerum unde ortum duxerit 22
lumen tenebrosum Paracelsi 24
Lux corpus est Paracelso 257

M

Machaon Cabalam sciuit 14
Magēbuchius medicus Norimbergensis Chymista 3
Magia morborum cognitionem parit 14
magiæ scelerata Paracelsistæ fauere non nolunt uideri 104
magiæ deditus Paracelsus 2. & 3
Magicarum artium studiosi diaboli sunt mancipia 19
magicas artes omnes Paracelsus cōmendat 8
Magnetis proprium est ferrum attrahere 184
Magnetis uirtus non est nisi in Magnete 150
Manna aeris fructus 158
Marcolphi argutiæ 8
Materia prima Paracelso est increata 71
materia nulla à Deo creata sine forma 31
materia prima non est creata sed cōcreata 91
materia prima trium elemētorum Paracelsi est inuisibilis 205
materia an substantia sit uel accidens 41
materia prima per se subsistere nequit 157
materia prima in tribus Paracelsicis principijs constituta 70
materia mistorum sunt elementa 172
materia in elementorum generatione non est sine forma 33
materia prima in quatuor elementa diuisa à Deo 70
materia non est corpus 30
materiæ ad formam potentia 142
Matrix mulieris spiritum Dei habet 135
matrix mundi 134
matrices Paracelsi quid 36
matrices à Deo diuisæ 106
matrices non esse elementa ipsa 103
Medicus cœlestis Paracelsi 15
medicum solus Deus efficit docendo 13
medici Chymistæ methodum ueram non damnant 7
medicina cœlestis, Tartarea, Paracelsi 257
medicina Philosophia & Astronomia idē sunt iuxta Paracelsū 4
medicinæ quomodo morbos pellant 264
medicamenta multa à diabolo patefacta 34
Mel destillationis quarta exitiosum efficitur 183
Melicratum quale corpus 195
Melissarum corpus 132
Mens extrinsecùs in corpus ingreditur 167
Mercurius mistorum ex tribus primis conflatus 78

Mercurius non omnis & solus in fumum vertitur 75
mercurius totus ex igne aufugit 79
mercurius qui Paracelso 35
mercurius ex mistis arte paratus 80
mercurius liquor corporum est 73
mercurius quid verè sit 80 cur in fumum vertatur. ibid.
Mercurij essentia aeria 184
mercurij figura accidentalis 33
mercurium non ex omnibus mistis elici posse 73
Metalla & metallica aquæ sunt fructus 158
metalla permutātur in lapides 247
metalla cur organis careant 172
metalla ex sola aqua constare nemo veterum asseruit 251
metalla vt plantæ & animalia viuunt 256
metallorum tria prima vires & vitam restaurant 257
metallis vitam inesse quomodo probetur 257
μετεμψύχωσις Pythagorica à Paracelso expressa 138
Meteora Aristotelis Paracelsus reijcit 11
Meteora Paracelsi sine infamia metu vix recitantur 243
Meteorologia Paracelsi vera Luciani historia magis fabulosa 228
Microcosmi multi & varij 271
microcosmum cur hominem dicat Paracelsus 125
Mineræ & matrices qualia sunt loca 213
Miscibilia facilè quæ sint 199
Mistio Paracelso ex elementis omnis negata 202
mistio non fit sine opera primarum qualitatum 215
mistio quid 196
mistionis effectorem Paracelsici quē constituant 211
mistionis modus apud Paracelsicos 211
mistionis nomen variè vsurpatur 195
mistionis quæ sit causa præcipua 198
Mistionis naturam Empedocles & Stoici ignorant 202
mistionis opifex quis sit 197
mistionis quædam proprietas 200
mistionem Paracelsici non negant 195
mistionem elementorum aliquando concedit Paracelsus 206
mistiones duæ iuxta Gal. 213
mistum cum alio non differt à seipso puro nisi alteretur 161
mistum aliud fit ab ijs ex quibus miscetur 199
mista non possunt in elementa Paracelso resolui 90
mista perfectè quæ dicantur 196
mista non omnia poßunt arte solui in quatuor elementa 121
mistorū generatio succeßiua est non reciproca 45
mistorum imperfectè differētiæ 195
mistorum resolutio quatenus fiat 44
mista res toto genere aliæ sunt ab elementis 60

Moda-

Modales irrident Paracelsistæ 5
morbus calidus & siccus duo elementa designat 64
morbus & sanitas sunt metalla & mineralia hominis 98
morbi in qualitatis prædicamento constituti sunt 7
morbi non sunt in prædicamentis sed contrà iuxta Paracelsistas 5
morbi substantiæ sunt Paracelso 8
mors quid Hippoc. dicatur 192
mortuorum resurrectio à Christo argumentis docetur 10
mortuis aliquid sciscitari lege diuina vetitum 21
Moses non intellexit causas noctis & diei Paracelso 77
moses quomodo cœlum & elementa ex nihilo creata dicat 134
moses pluuiæ generationē ostendit 234
moses Aegyptius Rabinus 275
moses non dixit terram incorpoream 106
moses cur non expresse meminerit ignis 68
mosis doctrina publica continebat omnia Iudæis ad salutem necessaria 277
mosis & LXX. senatorum spiritus 276
mosis consuetudo breuitatis 66
mosen quomodo obseruet Paracelsus 71
mosen Dæmones eiecisse mentitur Paracelsus 279
motus quomodo elementorum numerum ostendat 50
motus non fit secundum habitū sed iuxta qualitates sensibus 198
motor & autor mistionis quis. 226
Mulieres in matrice habent spiritū Dei 135
mumia non potest in tria elementa separari 155
mumia & Balsamus idem sunt 86
mumia vniuersalis 182
mumia vitæ 113
mumia tegumenta 157
mundus quomodo factus iuxt Paracelsum a134
mundus asinino semine refertus. 149
mundus magister Paracelsi 13
mundus totus est inanitas 111
mus ex stercore Bouis nascitur. 143
muris semen in boue non inest. 143
muscus excrementum est lapidum 257
muscus non solis lapidibus innascitur 263
muscum non esse lapidum excremētum 263
musci anima est odor 122
Mysterium magnum increatum 71. quid sit ibidem
mysterium magnum quomodo diuisum 97

N

Natura est morborum medicatrix 264
natura mistionis opifex 198
natura & anima vt differant 261

natura & continnatione vnum differunt 201
naturam Paracelsistæ accusant. 111
naturale lumen tenebricosum 24
naturale lumen est magnus mundus 13
Necromantia adepta 14
Nitrum pinguissimum materia fulminum 243
nix fructus est ignis 158
Nominum nouatio paret obscuritatem 81
Norembergẽses medici Chymistæ 3
nox non contingit propter luminis solaris ablationem 234
nox à Luna lumine nascitur 76
nocturnæ tenebræ à stellis tenebricosis efficiuntur 76
Nubes quid vnde & quomodo generentur Paracelso 236
nubes quid Paracelso 244
nutritio quid 262
Nymphea substantia solam aquam in se habet 160
nymphæam contradictoriè tractat Paracelsus 161

O

Ociosum quid 207
Odor est anima Musci 122
Oleosa corporum pars sulphur dicitur 73
Onomantiæ faber 280
Opium cur stupefaciat cum sit amarum 81
Orcus idem quod abyssus 192
ex Orco prodire quid sit apud Hippocratem 193
Oranicæ partes à qua causa efficigente fiant 171
Origenes Cabalæ studiosus 18
origenis de cabala Mosi tradita sententia 275
Ortus & conseruationis eadem est causa 223

P

Palatini illustriss. principis electoris hortus hybernus 180
Paracelsus studia linguarum damnauit 4
paracelsus et eius discipuli diffenrũt in elementorum tractatione 105
paracelsus lectionem bonorum autorum vetat 11
paracelsus damnat omnes religiones sui seculi 11
paracelsus semper ebrius 12
paracelsus Deos syluarum, lapidũ, montium confingit 98
paracelsus quid per salem, sulphur, mercurium intelligat 34
paracelsus vix vllam sententiam constanter tenuit 37
paracelsus Chemiæ studiosus 3
paracelsus qualis fuerit discipulus Moisis 71
paracelsus logicam exitiosam iudicauit 4
Paracelsus cum Deo de sapientia certat 91
paracelsus Cacodæmonem socium suum appellat 2
paracelsus omnis philosophiæ rudis 2. stultas rerũ causas adfert. ibid.
paracelsus Aristotelis sententia de principijs oppugnare nesciuit 45
Paracelsus Galeno apud inferos a-

gentem

genti literas & libros misit 19
paracelsus cœlum ex sale, sulphure & mercurio fabricat 84
paracelsus nullo Præceptore vnquã usus 12. cœlitus se institutum asserit. ibid.
paracelsus Pythagoricos glires venatur 137
paracelsus an sit primus autor suorum 3. principiorum 154
paracelsus qua causa nomina nouarit 81
paracelsus magus fuit 2
paracelsus cũ aurigis cõpotabat 35
paracelsus Aristotelem se posteriorem facit 198
paracelsi discipuli inscitè contradicunt magistro suo 94
paracelsi discipuli magiæ sunt dediti 3
paracelsi meteora sine infamiæ metu vix recitantur 243
paracelsi legati ad inferos 21
paracelsi philosophia & medicina videtur rationibus non carere 2
paracelsi incredibilis blasphemia 237
paracelsi cœlestis medicus 15
paracelsi de principijs opinionẽ Aristoteli non aduersari quidam putant 36
paracelsi vita spurcissima 23
paracelsi categoriæ 7
paracelsi lumen naturale vnde & quid sit 16
paracelsi scriptorum & inconstantiæ norma 16
paracelsi scelerata in I. Geneseos caput interpretatio 66
paracelsi opinio de separationibus elementorum vana est 52
paracelsum non pudet in vno versu contraria scribere 245
paracelsistæ cuiusdam candor 53
paracelsistæ cuiusdam monstrosæ contradictiones 112
paracelsistæ cur prædicamentorũ dispositionem ieiunam vocent 9
paracelsistæ non possunt elementa distinguere 111
paracelsici elemẽta faciũt XVI. 160
paracelsici cur omnia confundãt 5
paracelsici Hippocratem in patrocinium aduocant 185
paracelsici nihil sine calore fabricant 222
paracelsici nouatores quibus sint similes 87
paracelsici, doctoris sui sputa ac excrementa quoq; lingunt 152
paracelsica medicina à Galeno probatur, fabula 10
paracelsicæ insaniæ τικμήειον 204
Paroxismus æthereus pluuiam facit 236
partes quid 25, duplices, ibid.
Peliel angelus Iacobum Cabalam docet 275
Pennates architecti sunt fulminum 243
pennates superi Paraclesi 235
pennates fulmina à Christo emissa dirigunt 237
Peripatetici quomodo ab Hippoc. differant 189. (10
Pharisæi à Christo logicè arguũtur
pharmacis non præparatis rarò vtuntur medici 264

Philosophia, Astronomia & Medicina Paracelso non differunt 4
philosophi promiscui qui dicantur 74
philosophi profundiores qui sint 75
philosophi cœli conuersionibus nimium tribuunt 197
Physionomiæ quid tribuit Paracelsus 13
Plantæ ex vno elemento conflatæ in quatuor resoluuntur Paracelso 205
plantarum semen fructus est 141
Plato ab inferis Paracelso commendatus 20
plato quomodo actiones corporibus non tribuat 127
platonis de elementis sententia. 49
platonis de cœli ignea natura opinio explosa 123
platonem secutus Paracelsus 98
platonica animarum vehicula ab Aristotele non probata 166
platonicæ ideæ à Semonibus Paracelsicorum differunt 144
pleuritidis signa, & artificiosa indagatio 7
Plinius reprehenditur 56
plumbi essentia terrea 184
pluuia ex vapore è terra eleuato fit 232
pluuia quid Paracelso 235
pluuiæ generationis modus iuxta Paracelsum 236
pluuiæ generationem Moses ostendit 234
pluuiam vaporibus adscribere non est error puerilis 246
pluuiæ fructus ignis 158
potentia materiæ ad formam. 142
Præceptores Paracelsi 13
prædestinata essentia 155
prædestinatum elementum quid 184
prædestinata elementa reliqua tria in se continent 161
prædicamenta quid sint & vnde dicta 6
prædicamenta in morbis collocata Paracelsistis 5
prædicamenta non 10. sed infinita apud Paracelsum 9
prædicamentorum dispositio vlcerosa 5
Principium formæ quod sit 172
principium est simplex 30
principium & principiatum differunt 37
principij definitio cuiusdam Paracelsici 45
principia sola cogitatione separabilia sunt 30
principia Paracelsica singula per se consistunt 69
principia quomodo inuenta à veteribus 26
principia corporum nulla sunt præter materiam & formam 223
principia corporum corporea natura vult esse 35
principia tria Paracelsi corporea sunt 37
principia Paracelsica elementis simpliciora non esse 156

principia artium vnde orta 22
principia Aristotelica analogia cognoscuntur 36
principia corporum misceri Paracelsici asserunt 230
principia non sunt corpora 25
principia corporum à Paracelso conficta ratione nulla demonstrari queunt 158
principia ab elementis antiquitas bene distinxit 70
principia ab elementis differunt 25
principia Paracelsi non extant distincta locis 93
principiorũ doctrina digna in qua multum operæ ponatur 144
principiorum trium necessitas 28
principiorum Aristotelicorum nullus vsus est 35
principiorum varia nomina 29
principiorum quis sit vsus 40
de Principijs doctrina Paracelsi vbique sibi contraria 90
priuationis necessitas 28
priuationis varia nomina apud authores 29
à Priuatione non datur regressus ad formam 43
Proprietates rerum vnde oriantur 226
proprietates rerum non sunt nisi in subiecto suo 151
Puella allegorica 272
pulmones in pus abeunt, sed non ex eo generantur 42
puluis omnium rerum prima materia iuxta Salomonem 191
putrida vbi vim formatricem habeant 182
Pyraustæ in igne generantur 181
pyrorum corpus 132
πυρουμένοις quid significet apud Aristotelem 170
pythagoræ somnia de metẽpsyghosi 137
pythagorici de elementis quid senserint 49

Q

Qualitas qualibet ex primis elementum est Paracelso 65
qualitates primas numero quatuor esse 61
qualitates an sint formæ elementorum 62
qualitates primæ sunt instrumentales causæ mistionis 197
qualitates primæ non sunt externæ elementis 89
qualitates primæ sunt mistionis causæ 196
qualitates corporeæ sunt 39
qualitates primæ solo tactu cognoscuntur 61
qualitates non sunt actionum causæ principes 169
qualitates primorum corporum primas esse 61
qualitates ne an substantiæ elementorum misceantur 202
qualitates non generant substantiam 196
qualitates primæ intenduntur &

remittuntur 33
qualitatibus primis in Meteorologicis omnia tribuit Paracelsus 231
quinta essentia Rhabarbari 184
quinta essentia quid sit 183. non est corpus simplex 184
quinta essentia non est id quod in re qualibet facilè inflammatur 183
quinta assentia diuersa ab aliis elementis 163
quinta essentia non potest in tria alia elementa separari 155
quintam essentiam quibus nominibus ornet Paracelsus 184
omnibus rebus inesse Paracelsus vult 182
quintum elementum non est in cæcæteris elementis apud Aristotelem 163

R.

Radix 113
Ranarum ortus quæ cum pluuia decidunt 235
Raphael angelus Isaacum cabalam docet 275
Raziel Adamum cabalam docet 275
Remedia noua non faciunt artem nouam 3
Reprehensor Aristotelis Dialectices ignarus 141
Res ex nullis elementis fiunt 255
res omnes iuxta Paracelsicos sunt immortales 145
Rhabarbari quinta essentia 148
Roma transposita 279
Ros fructus est ignis 158
Ruber color à sulphure & mercurio est 237
rubedo vnde oriatur 212
rubetæ id est laubfrosch vnde generentur 235

S

Sadducæi à Christo de resurrectione arguuntur 10
Sal totus crassa est materia. 79
sal non omnis & solus concrescit. 75
sal frigidus est & siccus 232
sal diaphoreticus & sulphur Narcoticum Opio insunt 81
sal ex mistis solutus non est simplex 95
salem quid apellet Paracelsus. 35
in Sale sulphure & mercurio non sunt omnium corporum vires. 77
salsa non agũt sine substantiæ trãsmutatione 216
salsa, acida & amara propriè non miscentur 216
Salomon ope Cabalæ sapiens factus 274
salomon sapientiam ex astris accepit 23
salomonis libri ficticii 280
salomonis & Hippoc. sententiarum differentia 190

salomonem dæmones eiecisse Paracelsus mentitur 278
sanguis non rectè dicitur mixtus ex pane, carne, caseo, &c. 201
satan mille artifex 280
Saxa in aquam naturaliter solvuntur si ex ea concreuerunt. 249
Scaliger contra Cardanum pro Aristotele eruditè disputat 57, & 58 Cardanus ignem corpus esse non negat 57
Scortatio cur prohibita 135
Secretio seu separatio Hippocratica 194
Sem Cabalam à Iaphiele angelo discit 275
semen à calore fœcundum efficitur 169
semen vnius speciei vnicum. 146
semen & fructus vt differant. 140
semen quid Aristoteli 139
semen cur nobilius esse dicatur elementis 179
seminis descriptio 141
seminis natura humida & aquosa 177
seminis animalium & plantarum discrimen 140
seminis calor vnde vim generandi sit adeptus 173
seminis corpus & spiritus ex elementis compositum est. 176
seminis spiritus non cælestis est Aristoteli 179
seminis progressionem non ostendunt Paracelsistæ 144
semina Paracelsica absque corporibus impossibile est esse 135
semina non possunt quamlibet personam assumere 209
semina ex animalibus & plantis nascuntur 228
semina Paracelsicorum ab ideis Platonicorum differunt 144
semina in elementis latentia Hippoc. non probauit 192
semina in plantis & animalibus generantur 138
semina in elementis ceu in abysso continentur 107
semina non sunt actu in elementis 147
semina non latent in elemẽtis absq; corpore 152
semina Paracelsi à motu syderum calore & frigore impediuntur. 225
seminum corpora inuisibilia 133
Separatio vltra elementa sola cogitatione fit 92
separatio prima & creatio idem Paracelso 236
seperatione omnia fieri, opinio, 26
seperationes elementorum Paracelsicæ 52
serpentes artes docuerunt 24
Sicca ebullitio siccum spiritum generat 240

Sidera non nutriri contra Paracelsum 239
sidera lapides excernunt 247
sidera viuunt 259
sidera solummodo per secretionem ex igne prodierunt 97
sidera nutriuntur & excrementa generant 238
sidera quid agant motus exemplo intelligitur 226
siderum officia quæ sint 260
sigilla Cabalæorum 274
sigillorum Cabala 273
similares partes omnes à calore & frigore densantur 171
simile simili non cognoscitur cōtra Empedoclem 22
simon Ben Lagis Rabinus 275
Sol non est corpus 248
sol cur creatus 260
sol ex tribus primis compositus. 35
solis occasus non efficit noctem. 76
solares eclypses quomodo tenebras efficiant 76
Species naturales in sola indiuiduorum successione seruantur. 136
species aliqua an interire posit. 191
species & genera non sunt extra indiuidua 132
species specialissimæ Paracelsi 7
species cuiusuis semen vnicum. 146
σπέρμα & γονὴν distinguit Aristoteles 140
Spiritus ad nutritionem nō sufficit 220
spiritus Paracelsi quid statuerit de mistione 202
spiritus Dei quid Paracelso 66
spiritus Dei in homine est quo alia carent 134
spiritus Dei super matricem fœminæ delatus 66
spiritus sydereus non est animæ & corporis glutinum 166
spiritus elementorum proprij 125
qui uerè dicantur Paracelso 126
spiritus incorporei constant ex fumo 204
spiritus corporei dimensionum legibus subiecti 221
spiritum seminis cur non cœlestem faciat Aristoteles 179
Stellæ cur luceant 59
stellæ quædam tenebrarum effectrices 76
stellæ salem, sulphur & mercurium euomunt, & hinc cœlum rubet 236
stellæ quædam ferrum ad se attrahunt eoq; fruuntur 235. itemq; ligna putria ibid.
stellæ cadentes sunt syderum excrementa Paracelso 238
stellæ matrices seu ollæ uentorum 240
stellarum tot species quot hîc rerum aliarum 234
stellarum nutrimentum incertum iuxta Parac. 239
stellarum elementum ignis est 238

Stellarum æstiuarum 32 ordines 243
Stoici corporum penetrationem cōcedunt. 202
Stoicorum deliramenta de aĩarum & corporum glutino 166
Substantia corporea sine accidentibus nullibi existit 6
substantia prædicamentum 6
substantiæ ne an qualitates elementorum misceantur 202
Succinum non attrahit ferrum 184
Sulphur totum crematur 79
sulphur ex mistis solutum nō est simplex 95
sulphur calidum & humidum siccū est 232
sulphur Theophrasto quid 34
sulphur nec omne nec solum est inflammabile 75
Superficies nulla est actu χωειϛὸρ 118

T

Tactus sensuum primus 62
solus primus qualitates di iudicat ibid.
Talmudica doctrina quid à Cabala differat 274
Tartarus in cella suspensus resoluitur 236
tartarea medicina Paracelsi 257
tartareæ uoces Paracelsicorum 5
Temperamentum à forma substantia differt 179
Tempestates cœcæ 238
Tenebræ in Eclypsibus solaribus vnde 76
tenebrarum nocturnarum causa 76
Terra solum frigida est 64
terra sal est Chemistarum 74
terra in seculum stat 190
terra generatur & corrumpitur 57
terra figit ignem 254
terra generationum officina 48
terra munus 189
terræ succus lactucam vt in se habeat 151
terram solum in centro puram existere opinio 51
terram incorpoream esse Moses non dixit 106
terram cur Moses dixerit esse vacuā 106
Terræmotus quomodo fiat 241
Terræmotus causa iuxta quosdam Paracelsistas 242
Terrea quid ex terra habeant 255
Thaletis de elementis sententia 49
Theologi ueteres Cabalam despexerunt 278
theologica Paracelsus biēnio nō tractauit 3
Thraso quidam Paracelsum Mosaicæ philosophiæ discipulum facit 70
Thrasonis von der feder sententia de igne cœlesti 58
Thrasoni illuditur 74
Tinctura quid 128
Tonitru vt fiat iuxta Paracelsum 24
tonitrua fructus ignis 158
Tormentarij globi qua vi eijciantur 221
Transcendentia Paracelsica 8

Transplantatio Paracelsicorum pugnat cum ipsorum hypothesibus 225
Tria Paracelsi corpora ante omnia creata 71 eadem ab ipso æterna ponuntur ibid.
Trinitatis & principiorum collatio Paracelsica 70 scelerata 71
Tropologica Cabalistarum expositio 272

V

Vacuum simpliciter in natura non datur 119
Vacuum cur non detur 105
Valerianarum corpus 132
Vapor pluuiæ materia 232
vaporibus cœlum alitur Paracelso 164
Varro hominem non animam solã nec corpus solum esse dixit, sed vtrumq; 130
Vẽti ad sua receptacula redeũt 190
venti generatio Paracelsi 240
venti ex locis quæ perspirant nil acquirunt 240
ventorum causas Paracelsus suo more inconstanter depromit 242
ventorum generatio aut ignoratur aut ab Aristotele rectè tradita est 242
ventorũ ortum Chymistæ artificialiter inquirunt 241
Ventriculus corroboratur à calore igneo 170
Vinum circulatione venenum efficitur 183
Virtus naturalis nulla separabilis 209
virtus formatrix vbi sit in natis ex putredine 182
virtutem formatricẽ nullus vnquã pro elemento posuit 153
vires vnitæ dispersis sunt fortiores 60
Vita est anima elementi 257
vita omnium actionum causa 258
vita est prima materia elementorũ 257
vita apud Paracelsum quid sit 100
vita quid Aristoteli 58
vitæ terminum nullum à Deo propositum esse cur Paracelsus dicat 147
vitæ manifesta indicia in metallis 259
Vlcerum curandorum liber Paracelsi à Georgio Vettero asseruatur 3
vnum continuatione & natura differunt 201
Vrina hominis quatuor elemẽta in se continet 71
vrinæ substantiæ diuersæ 47
Vrticarum corpus 132
Vulcanus ventus est & ventorũ coctor 240
Vulcanus pluuiam coquit 236
D. Vuolfgangus Talhuserus medicus Augustanus Chymista 3

Z

Zadkiel angelus Abrahamum Cabalam docet 275
Zephyrus frigidus & humidus 231

FINIS

IN LIBRVM DE METALLIS *ET EPISTOLAM DE LA-* pide Sabuloso

INDEX.


Brabamo Chemiæ peritia tributa 68
Absinthij spiritus lapidi philosophorũ comparatus 76
Actus omnis in propria materia est 76
actu inesse potest quod potentia inest 119
Adamus calluit artem metalla trãsmutandi 101
adamo quid fuerit arbor vitæ 69
Aenigmatum vsus vnde apud Chemistas 98
Aes Veneri tribuitur 15
æs album 14
æs ferro perfectius 21
æs an perfectum metallum 16
Agricolæ quomodo triticum generent 89
agricolæ cur terrã vertant aretq; 90
Agrippa Chemiæ periculũ facit 72
Albertus frigidè contra Gilgilem disputat 29
Albertus Magnus de metallorũ materia cum Chemiorum Turba cõuenit 30
Albertus aurum Chemicorum septima proba improbum cognouit 98
Alchimia cum Mahumetana hæresi exorta 101
Alimentum magnas adfert mutationes 87
Alumen arte fit 67
Amianthus ab igne insuperabilis 59
Anima plantæ nõ informat succum à se non transformatum 91
animalium generibus non omnibus sunt nomina imposita 81
antimonium quibusdam est materia lapidis philosophorum 70
Aqua sicca quid 68
aqua uitæ & lapis philosophorum 68 *ibidem*
aqua uiua quid 68
Argentum semimaturam 17
argentum fit ex sulphure albo 35
argentum lunæ tributum 15
argentum & stannum plurimum aquæ in se continent 13
argentum in putrido cuniculo repertum 19
argentum viu. cuiq; significat quod libido ei dictat 35 *arg. viuũ est aqua Chemistarum* 34 *an sit hydrargiron* 33. *quid sit Aristoteli* *ibidem*
Aristoteles de perfecto magisterio legendus 70
Aristotelis aduersus Georgium Agricolam defensio 11
aristot. de metallorũ ortu opinio 8 *eiusdem de hydrargyri ortu sententia approbatur* 45
aristoteli falsò adscripti Chemicorũ libri 34

Aristotelicæ sententiæ de metallorũ materiæ explicatio 11
Arnoldi Villanouani Lumen luminum 70
Ars non creat species essentiales 80
ars auri confectoria quomodo defendi poßit 66
ars dat formam naturalem iuxta Chemistas 75
ars principium externum est non internum 121
ars ex metallis alijs aurum non facit quia nec natura potest 94
ars non omnem potentiam in actum deducit 119
ars metalla transmutandi 64
ars formam naturalem nulli materiæ potest imprimere 62
ars Chemiæ ex primo est artium ordine 91
ars non facit substantias 123
Artium finis quis 53
artium duo ordines 88
Arsenicum Chemistis molestum 69
arsenicũ sulphur & Mercurius materia metallorum 37
Astrologi pœnis coercendi 38
astrologi magna amicitia Chemicis iuncti 14
astrologi septem species metallorum faciunt 15
ἀτειδῶδη ἀναθυμίασιν quid appellet Aristoteles 9
Auicenna notatus 75
Auicenna de ferro in nubibus cõcreto 13
Aurum perfici vlterius nequit 73
aurum philosophorum 68
aurum solum esse perfectum metallum quomodo probetur 17
aurum Chemicum facultatis veri auri obtinet 67
aurum vnicum inter metalla perfectum 65
aurum sibi tantùm perfectum non alijs 71
aurum quomodo faciat lapis philosophorum 77
aurum cur ignibus resistat 59
aurum soli tribuitur 15
aurum vix mille annis à materia perficitur 94
aurum non alio modo quàm à natura effici posse ipsi Chemistæ testãtur 52
aurum & argentum per Chemiam fabricari non possunt Paracelso 64
aurum non potest materia esse lapidis philosophici 71
aurum generatur ex sulphure rubro & quomodo 35
aurum in hydrargirium solui potest 115
aurum cur non copiosum faciant Chrisopœi 54
Auri filamenta 12
auri forma est lapis philosophorum 74
auri forma extrinsecus aduenit materiæ 75
Auriperda Alchimistæ 38
Aureus ramus Vergilij 102
aureum Vellus 102

Blasphe-

B

Blasphemia Chemica seu Paracelsica 69
Brachescus Chymista 24
Braceschus metalla ex Chalcantho architectatur 30
Braceschi Lignum vitæ, Dialogus 30

C

Cadmia Petro Bono Tutia vocata 57
Cadmia iuxta syluestre allium redolens 41
Cadmia metalla tinguntur 59
Caina inuidentia Chimistarum 55
Calchantum materiametallorũ iuxta Bracescum 30
in Calchanthum metalla non solui contra Bracescum 32
Calchanthi plures species 46
Calchanthi in metalla transmutatio 31
Calid Chemicus 102
Calor terræ duplicem exhalationẽ facit 8
calor in fodinis subterraneis non potest metalla soluere 95
calore solo metalla fabricant Chemici 61
Cardanus metallis vitam tribuit 83
Cariophillus flos odorem aromaticũ participat 40
Casu facta speciem non constituunt 22
Cerussa ex plumbo paratur 81
Chalcitin in Mysi transmutari vidit Galenus 28
Chemiæ vanitatis argumenta 96
chemiæ antiquitas 101
chemiæ vsus & necessitas 8
chemiã quatenus damnet Erastus 7
chemistæ dum vrgentur principium petunt 49
chemistæ cuiusdam fraus insignis 51
chemistæ quomodo ex sulphure & Mercurio metalla fieri dicant 35
chemistæ triturant stramen in ane 64
chemistæ cur sub ænigmate sua tegant 98
chemistæ quibus, ex quibus, ac quomodo natura metalla efficiant ignorant 92
chemistæ omnes pauperiores moriuntur 53
chemicorum duo genera 52
chemistarum scripta quasi non scripta sunt 58
chemistarum blasphemia 68
chemistarũ artes fucatæ, quibus rudioribus imponunt 50
Chemici miseri sunt 83
chemici clariores propè omnes Astrologi fuêre 37
chemici magna amicitia Astrologis iuncti 14
chemici scriptores plerique de scopo gloriantur artis 36
chemici se mutuo philosophos vocãt 31
chemicorum communis opinio de metallorum principijs 35

Chemicorum libri Aristoteli falso adscripti 34

Chemicos libros Diocletianus exuri iußit 103

chemicum axioma 72

χρυσοσπέρμον vocant Chemistæ lapidem philosophorum 68

χρυσοῤῥόας libri author Alchimiæ quatuor fines facit 56

Chrysopepœiæ primum fundamentum 65

Chrystallus ex sola aqua coalescit 24

Crystalli forma 33

χυτὰ esse debent metalla 16

Cineres salem constituunt 32

Coctio an naturalibus vel artificialibus organis perficiatur nil refert iuxta Aristotelem 66

coctione separantur dißimilia 23

Codro pauperiores Crœsi diuitias pollicentur 8

Cohærentia facile non fuit alterum alterius materia 56

Columella excusatur 85

Cõgelatio terminus est coctionis metallorum 28

confutare multa possumus quæ etiã non didicimus 96

Coruus Chemicus est lapis philosophorum 68

D

Democritũ sibi affingunt Chemistæ 101

Deo perfectiora elaborant Chemistæ blasphemia 78

Diocletianus Imperator Chemicos libros exurit 103

Distillatoriã medicinam perfecit 8

Draco Chemicus 68

E

Vt ἐλατὸν sit omni metallo adesse debet 16

ἐλατὰ Aristoteli quæ 9

Electrum non est simplex metallum sed compositum 14

electrum quidam Mercurio adscribunt 15

Elixir dictus philosophorum lapis 68

Efferarius Monachus refellitur 34

Errauisse nemo videri uult 58

Essentiam quæ mutant, genus proximum mutant 73

essentialis permutatio specierũ proximi generis non datur 28

Experientiam nunquam opere præstitam iactitant Chemistæ 97

F

FALLOpius de tophorum fodinis 43

Ferrum hydrargyrum non recipit 56

Ferrum Marti tribuitur 15

ferrum in nubibus concretum in fumum abit nec funditur 13

Ferrum non omne liquescit 10

ferrum in nubibus concretum Auicenna quale fuerit 93

ferrum post primam fusionem non liquescens 15

ferrum an sit perfectum metallum 16

Ferri

Ferri lapides molles & pingues 16
ferri vsus 20
Filamenta argenti & auri 12
Fontes in lapides mutantes iniecta 93
Forma quælibet in sua peculiari materia inest 110
forma metallorum 80
formam naturalem nulli materiæ ars imprimere potest 62
formam quid det rebus ex putredine artis 75
formæ naturales sunt inseparabiles 76
formæ diuersæ non consistunt in eadem materia 23
formæ duæ in materia eadem nec vna in diuersis specie materijs inesse potest 107
formæ non obediunt materiæ sed ei dominantur 122
fortuita putantur raro contingentia 95
D. Franciscus & lapis philosophorũ similes 72
Frigus & siccitas metalla cogunt et indurant 63
Funduribus orichalchum fossile inuenitur 14

G

Gabrielis Fallopij contra Cardanum disputatio de vita metallorum 83
Gebrus rex Persarum & Indiæ fuit 101
Geber Chemista 9
Gebrus Mahometi ex filia nepos fuit 98
Gebrus Chemistarum princeps Magister Magistrorum appellatus 15
Gebri laus 102
Gebri opinio de materia metallorũ 37
Gebri idolum Chemicorum 72
Generatio reciproca in solis elementis quærenda 109
Generatio propriè dicta quæ 38
Germanicum argentum nondũ perfectum 27
Georgius Agricola Gilgilem consutat, sed frigide 29
Georgius Agricola de metallicis omnium optimè scripsit 10
Georgij Agricolæ iniuria depellitur ab Aristotele 22
Gilgil metalla ex cinere conflat 29 ab Alberto & Agricola confutatur ibidem
Gilgil metalla ab igne ualido fieri credidit 29

H

Halitus & vapor metalla generant 8
Harem Gebri pater 102
Hydrargyron ueteres metallorum excrementum uenenatũ faciũt 15
Hydrargyrum non concrescere frigore 45
hydrargyrum nil quam coctionem desiderat vt aurum sit 66
hydrargyrum Mercurio tribuitur 15

Hydrargyron non esse materiam metallorum 33
hydrargyron non inuenitur in fodinis metallorum 33
hydrargyrum quomodo metallorũ materia dicatur Chemicis 31
hydrargyrum non est metallum 15
hydrargyrum mirificè metalla appetit 36
hydrargyri & sulphuris vena rarò metalla habent 41
hydrargyri species vna est 45
Hermes Trismegistus Magus 102
Hermetis Smaragdina tabula 103

I

IAson quòd incautius Chimiam exerceret occisus 54
Igne vehementi metalla generari Gilgil credidit 29
Imperfectum potest perfici 67
imperfectum in nulla specie ponitur 20
Indiuidua eiusdem speciei non possunt in se mutuo transmutari 105
indiuidua imperfectarũ rerum natura non multiplicat 21
Iul. Cæs. Scaliger de filamentis auri Hungarici 13

K

KΑπνώδη ἀναθυμίασις quid apud Aristotelem 9

L

LApis philosophorum quouis auro XCII. perfectior 72
lapis philosophorum est Monachus Franciscanus 72
lapis philosophorum dictus quod labiles vias faciat 52
lapis philosophorum ostendit quibusdam resurrectionem mortuorũ 68
lapidis conficiendi diuersissima rationes 70
lapidis philosophorum vires incredibiles 69
lapidis Sabulosi historia 128
lapidis philosophorum materia est auro perfectior 74
lapidis philosophorum materia iuxta diuersos diuersa 70
Lapidem philosophorum Paracelsus nec incepisse nec perfecisse testatur 65
lapides sunt excrementa siderũ 64
Laton quid 68
Lignum vitæ Braceschi 50
lignum vitæ quid 68
Lolium Theophrasti videtur esse triticum agreste 86
lolium iterũ in triticũ vertitur 84
Loti vxor in salis statuam conuersa Chrisopœiam ostendit 68
Lumen luminum Arnoldi 70
Lunæ nisi coctio deficit ut aurum sit 66

M

MAgia mater est abditarum rerum 65
Magnes non est ferri materia 56
Magni lapidis compositio incerti authoris refellitur 34
Mahometani Chemiæ studiosi 53
Marchesita mater hydrargyri 57

marchesitæ liquata sulphur olet 36
marchesitæ quædam aurum ac argentum continent 50
Marchesitam non esse excrementum metallorum 57
Materia metallorum 10
materia metallorum est sulphuris materiæ opposita 43
materia nulla est communis rerum specie differentium 117
Medici quatenus sanitatem efficiant 98
medicina summa omnium ægritudinum 68
mercurius philosophorum est lapis philosophorum 68
metallum quid Paracelso 64
metallum est genus species sub se distinctas habens 17
metalli definitio 9
metalla frigore concrescunt 45
metalla non fieri ex vaporibus sulphuris & hydrargyri 42
metalla omnia incinerari ac in hydrargyri similem materiam conuerti possunt 48
metalla ista cur sulphur oleant 41
metalla rarò inueniri in venis sulphuris 42
metalla ex cinere conflat Gilgil 29
metalla rarò effodiuntur syncera 26
metalla viliora natura non transmutat in se inuicem 27
metalla post congelationem non coquuntur amplius 28
metalla non sic se habent ad aurum sicut ouum ad pullum 25
metalla in Calcanthum resoluuntur 31
metalla non generantur ex aqua vel succo 10
metalla instar succorum aliquando concrescunt 13
metalla non generari ex hydrargiro 33
metalla Planetarum numero definita 15
metalla liquefacta sulphur olent 35
metalla cur diuersa simul sæpè inueniantur 121
metalla non ex aqua & terra mista sunt 11
metalla solo calore fabricant Chemici 61
metalla non fiunt ex sulphure & hydrargyro 34
metalla non solum differunt vti sanus & æger 22
metalla non soluuntur in materiã communem specie vnam 114
metalla ex halitu generantur 8
metalla aliquot non transmutantur in se 116
metalla non sunt metalla iuxta Chemicos 111 non differunt solis accidentibus. ibid.
metalla ex quibus, quomodo, quib. instrumentis fiant à natura chemistæ ignorant 92
metalla quando à calore coquantur 19
metallorum effectorum virtus quæ sit 32
metallorum plures species in vna vena 26
metallorum species sex 16

fœcunditas quomodo deperdatur 60. materia est suus cuiq; halitus certus 10. species & numerus 14. vna communis materia nulla est 104. quomodo eadem sit materia 23
metallis vitam tribuit Cardanus 83 vitam tribuunt quidam opinionistæ 77
ex metallis conficit hydrargyron. 39
Mexicum orichalchum 14
morbi omnes, lapide Chemico arceri 69
Moses Chemista fuit 101
minium ex cerussa 82
mista in quas partes dissolui possint 106. in materiam ex qua nuper orta sunt resolui 117. non soluuntur in id ex quo proximè generata fuerunt 38
Mysi & Chalcitis inuicem mutantur 28
mysteria scripturæ in lapide philosophorum recondita 68

N

Natura vix mille annis aurum perficit 94. optimum in quouis genere appetit 80. viliora metalla in se inuicem non transmutat 27
natura quid 79. it prorsum, non retrorsum 47. non mutat speciem vnam in aliam 82. in paucioribus impeditur 19
naturæ bellum indicunt Chimistæ 68
naturam ab arte iuuari medicina docet 66
naturæ sunt morborum medicatrices 90

O

Odor substantiæ fallax 41
Orichalchum Ioui adscribunt Chaldæi 15. nullo igne liquabile inuenitur 15. ex ære & Cadmia paratur 82
orichalchum fossile 14
Ouum ad pullum quomodo se habeat 25

P

Paracelsus lapidem philosophorum nunquam fecit 65. sibi contrarius 63
paracelsi constantia 64. cur non admodũ meminerit Erastus 63
paracelso quid sit metallum 64
parmenidæ vnum 39
Patiens patitur vt pati aptum est non vt agens agit 117
Petrus Bonus Chemista 9 22
petrus Stähelin medicus aurum in hydrargirum solutũ ostendit 116
Pharmacarius Taruisinus artis Chemicæ veritatem, Venetis comprobat 100
Philosophi qui sint Paracelso. 63
philosophiæ ignorantia Chrysopæiæ opinionem inuexit 8
Planetarum & metallorum idem numerus 15
platonis de formis opinio reprobata 75
platonem Chemistam fuisse falsum 102

plinij

plinij authoritate abutuntur Chymistæ 32
plumbum Saturno tributum 15
an perfecta metalli species 16
album & nigrum ac cinereum 14
Potentia non omnis ab arte in actũ reducitur 119
Pruina & ros quomodo fiant 10
Ptolemæus Gebro inferior 102
Pyrites non est excrementum metallorum 57. in proprijs fodinis inuenitur 57. liquatus sulphur olet 36
pyrites nonnulli aurum ac argentũ continent 50. mater hydrargiri 57
Pseudophilosophi ementitis titulis sua scripta ornant 51

Q

Qualitates quæ seipsas non promoueant 77. primæ elementorum cur se promouere possint 76
qualitatum similitudo 58

R

Rabi Mosis Algorismus 102
Raymundus Lullus aurum in Anglia confecit 100
Raymundi Lulli liber de Intentione Chemicorum 70
Rasim Chemistæ falso allegant. 94
Res specie differentes habent speciæ differentes materias. 128
Richardus Anglus Chymista. 24
Rogerij Bachonis speculum Chemicum 61
ros & pruina vt fiant 10
Rusma Turcicum 14

S

Sabulosi lapidis Historia 128 vt albescat 132
Sales arte facti 67.
sales metallorum materiam facit Bracescus 48
sandyx ex cerussa 82
sanguines animalium differunt specie 113
sanitatem quatenus efficiat medicus 90
Scaliger contra Cardanum de vita metallorum 83
Siligo vitium tritici 85. in triticum abit 84
similia non sunt eadem 112
Slaccoualdicum stannum 13
Smaragdina Hermetis tabula 103
Sol prima materia lapidis philosophici 71
Solomonem Chemistam fuisse quidam fabulantur 68.101
Species vnius generis proxima non in se permutantur 18. essentiales nulla ab arte creantur 80. eadem potentia seruantur qua sunt creatæ 79
specierum transmutatio impossibilis est 89
spelta est Siligo 85
Spiritus fœtens 68
Stannum Ioui tributum 15
Slacoualdicum 13. plus aquæ in se habet 13

veneri attributum 15
Substantiam odor non indicat 41
succorum concretorum venæ semper aliquid imperfecti cõtinent 43
suillus sanguis vt fiat humanus 115
sulphur splendescens 33. Chemicis terra subtilis dicitur 34. quomodo metallorum principium dicatur 31
sulphur esse, & sulphur olere differunt 40
sulphur olentia non omnia sunt ex sulphure nata 40
sulphur non est, quod sulphuris proprietatibus caret 44
sulphuris materia metallorum materiæ opposita 43. putrefactum in viuum argentum abit 33
sulphureum metallorum excrementum 36

T

TAuladanus Chimista 24. cõtra Bracescum de materia lapidis 70. quomodo defendendus 72
Thesauros philosophiæ 51
theriaca quale medicamentum 121
Tingens metalla non ideo est materia metallorum 58
Trismegisto iniuriam faciunt auri fabricatores 101
triticum in lolium degenerat 84
Tutia quibusdam Cadmia est 57
tunici flos 40

V

VApor & halitus metalla generant 8
Velleris aurei fabula 102
Vergilij aureus ramus 102
Vinum cur non corrumpatur in mustum 208
vitriolum, id est Calchanthum materia metallorum 30
Vnum Parmenidæ 39

Z

Zea est Siligo 85

FINIS.

181